



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>





AK 1 B

2 / 15x





Ms. B. 1124.

Sharrook

Philos. morum. 1607.

ΥΠΟΘΕΣΙΣ ΗΘΙΚΗ  
DE  
FINIBUS & OFFICIIS  
secundum  
NATURÆ JUS.

Unde *Casus Conscientiæ*, quatenus  
Notiones à *Natura* suppetunt, diju-  
dicari poterunt.

Jureconsultorum, item Veterum aliorumque Do-  
ctorum, tam ex Paganorum quàm ex Christia-  
norum Scholis consensus ostenditur. Principia  
item, & Rationes Novatorum omnium in  
Philosophia ad *Ethicam* & *Politicam* spectantes,  
quatenus huic Hypothesi contradicere videan-  
tur, in examen veniunt.

In usum *Theologiæ*, & LL. & *vite honestati*  
studentium.

---

Authore

ROBERTO SHARROCK,  
NOVI COLL. OXON. pridem Socio, modo  
Ecclesiæ *Walthamensis* Rectore, & Cathedralis  
*Winton* Præbendario.

---

*Editio recens*

Ex Authoris recognitione duplo auctior.

---

O X O N.

Typis *Lichfeldianis*. Prostant apud *Ricardum Davis*.  
Anno Domini CIO. DC. LXXXII.



**Bayerische  
Staatsbibliothek  
MÜNCHEN**

AUGUSTISSIMO PRINCIPI  
CAROLO II.

Dei Gratia

Magnæ Britannia, Franciæ, & Hiberniæ  
Regi, Fidei Defensori &c.

**P**RINCIPEM ( ut recte Sene-  
ca ) Patriæ Parentem non vana  
adulatione ducti appellavimus.  
Quod si verum sub veteri Romano-  
rum Imperio, sub Vestro REX &  
DOMINE CLEMENTISSIME  
multo magis; Vitam enim ipsam a Ma-  
jestate tua suscepisse videmur, qui a Te  
accepimus quæcunque tenemus vitæ  
præsidia. Terra ipsa quam incolimus,  
ubi villas ponimus & familias locamus,  
tota Tua est. Tu *directum* tenes, nos,  
Tua & Antecessorum tuorum Muni-  
ficentia, *utile* Dominium.

Neque hoc tantum nomine quod  
*Hominium* Tibi ex lege Terræ omnes  
debemus, ad fidele Obsequium, cæte-  
raque omnia præstanda, quæ ad Dig-  
nitatem

nitatem & Incolumitatem supremi Feodorum Domini spectant, ex debito Allegiantiae tenemur; sed hanc etiam amplias, densasque Obligationem, quia non minus Pientissimus es Parens, quam *REX* Maximus. Tu Pietatis universae, id est tam Caritatis Christianae, quam Fidei, es Defensor. Tu nobis *DEI* vice es, *DEI* enim (ut phrasi utar Apostolica) es Minister. Tui vice sunt, qui nos quomodocunque tutantur. Servientes Tui sunt & Commissarii, qui quaecumque ab Oceano Majestatis Tuae profluxa nobis defendunt Jura.

Apud quem igitur hanc supremi totius Mundi Regis & Naturae omnium Parentis Legum Tabulam appendam, nisi apud Te? Cui necessariam hac tempestate Juris Naturalis defensionem dicavero nisi Majestati imprimis Tuae, Quem omnes ubique intuentur & suspiciunt ceu verae & genuinae justitiae Natum Patronum? Tu Innocentiam (quam Natura nobis prima lege commendavit) i. i. Innocentes extendendam, Tu Fidem, (praestans illud humani pectoris

pectoris Bonum) Tu Grati animi sensum, cæteraque Naturalis Juris Officia naturaliter foves, & ( laudi annon sit, prorsus an laudi maximæ) aliud non potes, adeo ut non sis minus hujus Naturæ legum Tabulæ, quam utriusq; Decalogi Custos & Propugnator. Vestræ etiam Majestatis esse nosti, non solum leges ponere, verum & Sceptro, imo & Gladio, si opus sit, (*neque enim Gladium frustra tenes*) Atheos, protervos & positis jam (maxime Naturæ) Legibus inobedientes corrigere, sed *DEUM* vis imitari, qui neque mortem fecit, sed mallet Homunciones improbos etiam & petulantes vivere & poenitere.

Cape igitur *R E X M A X I M E* hanc Naturæ Legum Tabulam, vel Tantæ dignam favore Majestatis; Neque a Me, homine perpusillo, sed a supremo Mundi Conditore & Rege, non privatorum solummodo, sed & summorum Principum Conscientijs impensius Commendatam. Idque eo feceris lubentius, quod Regina etiam sit Naturalis Conscientia, Mutuumque  
Majestatis



Majestatis vestræ auxilium exigit, red-  
ditura etiam vicissim, ubi res postulat.  
Habet enim illa quoddam Spirituale  
Imperium, Temporali suppetias sæpe,  
easque absque noxa & incommodo  
semper inferens. Hoc Conscientiæ re-  
gimen (quod magna habetur apud  
probos omnes & modestos reverentia)  
si qui spernant Improbi, Tuus, *AU-*  
*GUSTISSIME PRINCEPS*,  
insurgat in partes Communis Justitiæ  
Gladius. Tuum autem si spernant  
Gladium, aut subterfugere voluerint,  
Spiritualement saltem Conscientiæ Tor-  
torem, divinamque summi *DEI* vin-  
dictam (sic ego fidenter vaticinor)  
aliquando non effugient.

-----*Alterius sic*

*Altera poscit opem res.*----

Ego autem postquam cum Tabula Le-  
gum Justitiæ etiam Naturalis contra  
Novatores defensionem apud certissi-  
mum Justitiæ Patronum submis-  
se deposuero, Liceat humillimo & devoto  
vestro Parocho *Walthamensi* in um-  
bram suam & secessum redire, vel in  
obscuriorem quencunque ex Mandato  
Principis

Principis Imperij angulum, ubi serviam plurimum *DEO & REGI*, utrique Optimo, Maximo, *DEO* imprimis; supplicans semper ut salvus diu regnes, Diesque Imperij vestri sint super nos sicut dies Cæli: Deinde ut Nos in honore & Obsequio Regis, promisso propter hoc Obsequium divino, & tutela potentissimi Regis freti, diu & pacifice vivamus in patria quam per Progenitorum Tuorum, Vestramque continuam Beneficentiam, *Deus* nobis dedit incolendam.

*Sic DEUM veneratur*

*Sacrae Majestati Vestrae*

*Aeternum fidelis, &*

*humillime devotus*

**RO. SHARROCK,**



---

*Ad Benevolum novæ hujus Editionis libri de Officiis Lectorem Autoris Prefatio generalis.*

**C**orruptos queruntur multi ferrei jam novissimique sæculi Mores; vetus hæc, imo obsoleta fere, querela. Aliud est quod nos jam querimus, quôque nos, nihil tale meditantes, in relectionem principiorum hujusmodi Juris & Justitiæ laceffitosis non diffitemur; Scholastica scil. pro tuendis corruptissimi sæculi moribus arrepta esse arma. Quis enim his studiis aliquando initiatus Philosophiam Honestissimam Matronam veteri spoliatam pudicitia, æquo animo ferre poterat? Nobilissimâ Disciplinâ Ethicâ, Vitæ duce, Morumque magistrâ, publicè dehonestatâ, Doctoris, imo Discipuli titulo indignus, qui stylum suum suspendere ultra sustinuerit. Ima jam prope emergit sæculi fæx:Omni enim morum corruptela insolentius est, quod vibrent jam calamos, torqueantque ingenium (si quod habent vitiosi) quo sua ipsorum vitia defendant; & Impudentiæ, quæ in vitiorum praxi se jam diu exercuit, alia jam succrevit impudentior; quæ non tantum excusandis, sed defendendis, imò & ornandis vitiis magnopere se ostentat. Interim (quod admiratione est dignissimum) non viri boni solum & sapientes, sed & Christiani volumus nuncupari. Quales, Deus bone! Christiani? Qui Religionem fere tollimus; qui Spiritui Sancto divinisque ejusdem dictatis scriptisque rationem sæpe humanam præterimus;

[ c ]

R.-



Rationem vice versâ, quam modo prætulimus, *ἰσµῶς* Sensitivi Appetitus sensibusque subjicimus, qui nobis cum Brutis sunt communes, & à quibus in mentes nostras (quibus divinitus est origo) omnis se effundit vitiorum sentina. Erant etiam antiquitus prophani, impii, intemperantes, luxuriosi; nemo tamen eo hæcenus insaniit, ut Theologiam aut Philosophiam torserit, ut haberet quo sua honestaret vitia. Nemo gravissima (quorum pœnitere sanius esset) flagitia aut Apologiâ defendere, aut Panegyrico exornare, antehac suscepit. Primi sane sumus, qui Impietati Tropæa ereximus. Hunc sibi honorem *Hobbins*, *Spinosa*, aliique Philosophorum Theologorumque novissimi, monstrosi Novatores, nobis vel nolentibus extorquebunt, ‘ primos se post  
 ‘ natum Christum Justitiam, Temperantiam,  
 ‘ Pietatem, Virtutem denique omnem, Legemque  
 ‘ ipsam Naturæ, virtutum omnium mensuram &  
 ‘ regulam, pro eximia sua fortitudine ausos sustulisse. Occinunt jam video, occinantque Triumphe,

*Cum fuerit lectus Scyron, torvusq; Procrustes,  
 Et Scinis, & Tauri mixtaq; forma viri,*

aliaque prisæ Antiquitatis monstra; concedimus etiam *Hobbio*, & *Spinosa* imagines consignatæ legantur: ‘ Hos post *Epicurum* primos.  
 ‘ Religionem erga Deum, Justitiam, Fidem, omnemque erga homines virtutem, Legemque ipsam Naturæ fortiter depugnando ausos obtruncasse. Recte enim *Boethius*, ‘ posse contra Innocentiam, quæ sceleratus quisque conceperit, ‘ inspectante Deo, monstri simile est. *de Consol. I.*

Hæc

Hæc autem, inspectantibus Deo & hominibus defenditſe velle, aut apologiã ornasse, monstrum omne excedit, & quo possint propter singularem Improbitatis excellentiam merito triumphare.

Jamne igitur tandem de Legibus Naturæ & communi humani generis jure erit conclamatum? Jamne, quæ ab origine mundi hæctenus vim obtinuit, exterminanda est à toto terrarum orbe Conscientiæ Lex? *Det Deus meliora!* Christiani dici volumus: Quin prius Ethnicos appellemus, quam eorum Philosophiæ, qui isthoc aggrediuntur facinus, nos submittamus. Tolle Naturæ leges, tolle Conscientiam, sic sane Justitiam, Pacem, totiusque Mundi ordinem decoremque, imo omnem hominibus vitæ ipsius securitatem sustuleris. Quæ enim Domus, Societas, Respublica, quod Regnum, his sublati, poterit firmiter stabiliri? Quæ Thronos præcipue & Sceptra Principum circumambient pericula? Qui Domini, qui Parentes, in propriis privatisque familiis tuti, si Innocentiæ, Fidei, & Gratiitudinis tollantur leges, omniaque ex Utilitate sint metienda? Vero absit Reverentia, & quod res est dicamus. Nisi Deus Opt. Max. summa divini sui Numinis providentia naturalem hominum animis terrorem incussisset, ne in hujusmodi facinora prorumperent, quis eum non stolidum, hebetem, ingenii tardum, pusillanimumque diceret, qui vel parentis sui expectaret præclarum funus? Quis non falso testimonio apud Magistratum, veneno, aliisve malis artibus, illum vita simul & hæreditate expungeret, cui proximus ipse hæres succederet? Quæ non amicausâ, quem propensius amat, maritum non

falleret uxor, hæredemque ei inopinatum supponeret? Non eo evehimur venimusque ingenii, ut possimus Legem humanæ Conscientiæ nobis implacide oblarrantem seponere, hæc facinora non possimus artificiose clanculumque perpetrare.

Respondebunt forsitan Novatores, Legum timorem à Principibus latarum natis (quos nolunt agnoscere) à lege Naturæ terroribus se facere succedaneum. Verum facile videbimus minora fere (certe non maxima) hujusmodi legum censurâ coerceri flagitia. Nam neque quæ Principes, neque quæ in Principem perduelles regnandi causa perpetraverint, postquam Principatum adepti fuerint, his legibus sunt obnoxia. Neq; etiam maxima illa delictorum pars, quæ clam fiunt, popularium Institutorum tenentur censuris; neque enim omnino fieri apparent hujusmodi nequitia. Quin & si quod præsens periculum esset, quis est ita pusillanimus, qui, ut Regnum obtineret, aut hæreditatem amplam divitiasque summas acquireret, non ausit se periculo exponere? Qui enim legem Naturæ & Conscientiam tollunt, supremum etiam post mortem Judicium tollunt; & (ut *Senecæ* utar phrasi) *post mortem nihil* putant, *ipsarq; mortem nihil*. Et sane si nulla Naturæ lex esset, nullum nefas, nulla nequitia, nec improbis à Deo pœnæ naturalis ulla sit suspicio, eodem bono animo per fidas, venena, falsa testimonia, aliaque malitiæ stratagemata, nec majori periculo, homines ad divitias festinarent, quàm modo bonâ conscientiam summo tamen periculo,

*Impiger extremos currit Mercator ad Indos,  
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.*

Non ægré sane quis mortem ipsam contempserit, qui post mortem nihil morte ipsa gravius timuerit. Nonne hac ipsa rerum tempestate, qui Atheismo noviter apud nos initiati sunt, facile vitam suam contemnunt, eandemque vel divitiarum, vel improbæ Veneris, vel etiam Vindictæ cupiditate impigre periculo exponunt? Qui autem ex impio hujusmodi dogmate vitam suam parvi faciunt, vitæ fortunarumque vicinorum facile (ut dici solet) fient domini. Ita ut nulla homini homine ipso pestis capitalior, si conscientiam Justi & Injusti ab eo sustuleris. Eo enim brutis ipsis perniciosior est homo improbus, quo brutis ipsis ingenio præstat. Quæ enim Bestiæ in alias moliuntur Bestias, bruta vi magna ex parte moliuntur: Homines mali arte summa, occultissimis doli technis, & vaserimis fraudum perplexarum rationibus dira malitiæ suæ exequuntur effecta. Quod nisi in confesso sit, ex *Tullianis* Lucubrationibus fiet adhuc explicatius, [videatur *Dissertatio* apud *Ciceronem*, lib. 2. de *Finib.*] ubi ex Epicureorum concessis voluptates omnes esse persequendas, divitiis autem acquiri voluptates, sic ulterius pro necessitate Honesti naturalis edisserit. ‘Pecunia (inquit) effectrix est multarum & magnarum voluptatum. Ut igitur illi, qui recta & honesta quærunt, ea statuunt per se experenda, atque adeunda quævis pericula decoris honestatisque causâ: sic vestris, qui omnia voluptate metiuntur, pericula adeunda sunt, ut adipiscantur



piscantur magnas voluptates. Si magna res,  
 magna hæreditas ageatur (cum pecunia voluptates  
 pariantur plurimæ,) idem erit *Epicuro*  
 vestro faciendum, si suum finem bonorum  
 sequi volet, quod *Scipioni* magna gloria propo-  
 sita, si *Annibalem* in *Africam* retraxisset. Itaque  
 quantum adiit periculum? Ad honestatem  
 enim ille omnem conatum suum referebat, non  
 ad voluptatem. Sic vester sapiens magno ali-  
 quo emolumento commotus, cum casu si opus  
 fuerit dimicabit: Occultum facinus esse potu-  
 erit, gaudebit; deprehensus omnem pœnam  
 contemnet. Erit enim instructus ad mortem  
 contemnendam, ad exilium, ad ipsum etiam  
 dolorem. Sed finge non solum callidum illum,  
 qui aliquid improbe faciat, sed etiam præpoten-  
 tem, ut *M. Crassus* fuit, ut hodie est noster  
*Pompeius*, cui recte facienti gratia est habenda;  
 esse enim quamvis velit justus, iniquus pote-  
 rat impune: &c. His quidem, aliisque ejus-  
 modi, exemplis liquido mihi constare videtur,  
 plures esse quos nihil unquam à perpetranda  
 nequitia deterrebit, nisi recti justique conscien-  
 tia deterruerit.

Interrogabunt forsan alii, si legem Naturæ  
 ejusque conscientiam sustulerint moderni No-  
 vatores, annon Religio Christiana grassanti ho-  
 minum nequitia ponet aliquando impedimentum?  
 Ponet sane cum Deus volet. Verum experimen-  
 to didicimus eos, qui naturalis Legis conscientiam  
 exuunt, prius fere Religionem omnes exuisse;  
 coloremque solummodo cum *Machiavello* *Hob-*  
*bioque* religionis retinere. Quod idem observa-  
 vit *Johannes Oranus*, è *Soc. Jesu*: 'Politicos sc.  
Ma.

'Machiavelli sectatores nullam religionem ag-  
 'noscere, veræ falsæque delectum ac discri-  
 'men tollere, eam duntaxat probantes, quam  
 'Politico statui magis utilem judicaverint. Neq;  
 sane sublata Naturæ lege ætatis nequioris morbo  
 ipsa medebitur Religio. Quæ enim ponit Reli-  
 gio serpenti vitiorum gangrænæ impedimenta,  
 stabiliendo legem naturæ magnam partem ponit;  
 jubet ut procuremus quæ sunt honesta coram om-  
 nibus; ut abstineamus ab ejusmodi noxis, quas  
 qui perpetrant proprio ipsorum judicio morte sunt  
 dignissimi; ut intemeratâ simus, tam apud Deum,  
 quam apud homines conscientiâ. Neque enim Re-  
 ligio Christiana tollit Conscientiam naturalem,  
 sed ad ejusdem dictata, in rebus quæ non ad Dei  
 cultum specialem spectant, sed homini homini-  
 bus intercedunt, fere remittit. Si enim *D. Pau-  
 lum* audiamus, *Charitas Christiana* non solum ex  
 fide sincera, sed etiam ex conscientia bona debet  
 proficisci; adeoque ipsam diminuet Religionem,  
 qui legem Naturæ ejusdemque diminuerit Con-  
 scientiam. Neque enim his sublatis ipsa Religio  
 (justa sua amplitudine) diutius poterit consistere.

Hæc mihi, aliaque hujusmodi complura, in  
 non inamabili nostro (si non Otio; id enim maxi-  
 ma illa Animarum cura, quæ mihi in obscura eti-  
 am villa rusticanti incumbit, dicere non sinit;   
 saltem in) secessu meditati, caligantibus jam  
 fixâ maximarum rerum contemplatione oculis,  
 humanâ specie major, nescio annon apparere

---

Inter severiores Philosophos Poetica hujusmodi *par-  
 tiquara* sive picturas v. apud *Boethium*, de *Consol. Phil.*  
 Apud *Xenoph.* *Ἀπομνημονεύματων* lib. 2. Apud *Philonem*,  
*De mercede meretricis in sacrarium non recipienda:*

videbatur

videbatur Imago : Eadem forsā vera regiaque Jurisprudētia erat, quæ, siquā *Homero* fides, per totos novem annos cum *Minae* veteris Justitiæ Mystra nobilissima versata est magistra. Nonne, inquit, Tu eras, mi fili, qui, cum olim in Academiæ sinu feliciter recubuisti, *Sacerdas Juris nostri* dicebare? Quin age! excute veterum. Cernis quid in me communem Justitiæ Matrem novi in Philosophia jam moliuntur Gigantes? Cernis, ut filii etiam mei, qui sub *Justiniano* nostro tecum olim profecerunt, (secularibus penitus demersi curis aut negotiis immixti, si non etiam, quod indignius, quæstui dediti) vulgarem fere Jurisprudētiā veræ præferunt, ita ut vix unus è mille supersit, qui Naturæ suæ legem, communem Juris parentem, à misera præsentis contumeliæ calamitate defendendi molestiam in se suscipere voluerit. Si in amplius & nobilius Sacerdotium vocatus nolis mihi jam ultra Sacerdos esse, Fac tamen quod bonum virum, nostrumque etiam exsacerdotem, decet. Jube nostros confidere; Dic saltem nondum de nobis penitus esse conclamatum; Tuam publice protestare Conscientiam; Communem veteremque Justitiā dic adhuc apud viros bonos & honestos, malitia sua nondum depravatos, vivere & valere. Præcipe fortiter, ut mentes suas consulant, qui Jura Legesque Naturæ non omnino existere tantopere exclamarunt. Sique *Seldenus* vester apud aliquos præclarum opus fecisse reputetur, qui Jus nostrum ex opinione *Ebræorum* patefecerit, erunt etiam qui Tibi, aliisque in eadem *Sparta* ornanda desudantibus, gratias aliquas referendas censebunt, quod Jus Naturæ secundum

secundum *Romanos*, *Græcos*, cæterasque omnes gentes, de quibus aliquod monumentum hac in re literis consignatum est, consentientibus etiam Theologis & Jureconsultis, aliquatenus descripseris. Et si forte profugus ille nequam sine nomine *Judæus*, *Hobbinsæ*, noviter (sicut olim *Epicurus*) in diversa abierint, id potius monstrosæ Ingeniorum eorundem Idiosyncrasie tribuendum erit, quam ut consensus humani generis mancus inde censeatur.

His & hujusmodi cogitationibus, quæ mihi meditando ultro obversabantur, incitatus seposita jamdiu de Jure Naturæ studia saltem revivere in animum induxi; decantata etiam aliorum eodem in argumento scripta perlegere, veræque jam vacillanti Jurisprudentiæ, quæ toti humano generi communis est (si qua potero) superias ferre. Id Principibus maxime, aliisque etiam bonis viris cordi esse debere cogitabam, si bonæ Conscientiæ antiquum illud, & toti humano generi proficuum suum conservetur Imperium. Quid enim est in omni rerum natura quod plura nobilioraque sibi conjuncta habet, aut publica commoda, aut privata solatia, quàm vitæ Honestas & Justitia? Illa sola est Bonum illud Animi pretiosissimum, Philosophorum omnium judicio, bonis omnibus fortunæ & corporis longe anteferendum. 'Una virtus  
' Justitia (ut inquit *Cicero*) omnium Domina  
' est & Regina virtutum; adeo ut, vera Philoso-  
' phia judice, non modo pluris putare, quod utile  
' videatur, quàm quod honestum, sed etiam hæc  
' inter se comparare, & de his dubitare, turpissi-  
' mum sit. Hinc ficas, hinc venena, hinc falsa

testamenta, furta, peculatus, hinc expilationes, direptionesque Sociorum & Civium, quod male philosophantes Utilia cum Honestis comparaverint. Quod *emolumenta rerum* fallacibus indicis videriat, *pœnam veram turpitudinis*, quæ acerbissima est, non viderint. Quæ si ita sint, nisi curvi in terram simus, & talpis ipsis cæciores, nunquam id commitemus, ut inanem mundi gloriam, aut voluptates, aut divitias quascunque iis præulerimus gaudiis & deliciis, quæ à vitæ honestate solent proficisci. Saltem, qui Christianos nos profitemur, etiam præ foribus esse jam Tempus credimus, cum magis è re erit bene, id est, *pæ, sobriè, & honestè*, vixisse, quam quantumcunque gessisse Imperium. Estque sane Deo Opt. Maximo Gratia facile esse parabilia Virtutis Justitiæque solatia, quod ipsum optime expressit summus inter Veteres Philosophus. *Δυνατὸν, ἰσχυρὸν, καὶ μὴ ἀρχοντα γῆς καὶ θαλάσσης ἀπέλθαι τὰ κατὰ καὶ τὸ ἀπομαρτυρῶν δυνάει ἀν τις ἀπέλθαι καὶ τὴν ἀρετῶν. Ὅτι τὸ ἐπιώτατον τῶν δυνατῶν ἐκ ἡθῶν δοκεῖ τὰ ἐπιώτατα ἀπέλθαι, ἀλλὰ ὅ μᾶλλον. Ἐκείνῳ ὅ παρῶν ἐκάρχει. Ὅτι τὸ ἐπιώτατον ἐπιώτατων οὐ καὶ τὴν ἀρετῶν ἐπιγυγνῆσθαι.* ‘Possibile est iis, qui maris & terræ imperium non habent, res agere honestas. Potest enim quis bonis mediocribus instructus, quæ virtuti sunt consentanea facere. Privati enim homines, non minus quam proceres, æquitatem exercere sunt comperti, imo etiam magis. Satis autem est tantum contempere. [scil. quantum postulant honestæ actiones.] Est autem ejus vita beata, cui competit secundum virtutem operari. Ita *Aristoteles de morib. lib. 10. cap. 9.* Ad hanc vitæ beatitudinem manibus pedibusque contendamus. Meminerimus

nerimus Apostolici etiam Effati, καὶ τὸ ζῆλον ἐν  
καλῶ πνεύματι. Gal. 4. 18. Ne sinamus impietatem  
crescere; Reip. enim interest, ut publici Virtu-  
tis oppugnatores à bonis omnibus & sapientibus  
publice, idque strenue, totis viribus oppugnentur.  
Serpentem igitur, ne crescat (si adhuc poterim-  
us) etiam in ovo opprimamus. Sic sane, quod  
Deo gratum, & quod hominibus maxime fructu-  
osum est, exequemur. Sic inclinatæ hominum  
jam perversorum mentes ab omni nequitia &  
impietate, ad bonam frugem, Justitiam, & Pie-  
tatem, æternamque adeo salutem reducere co-  
nabimur. Et sane (ut cum egregio *Laërantii*  
dicto finiam) ‘ Si vita optanda est sapienti, pro-  
‘fecto nullam aliam ob causam vivere optaverim,  
‘quàm ut aliquid efficiam quod vita dignum sit;  
‘& quod Utilitatem legentibus, etsi non ad Elo-  
‘quentiam quia tenuis in nobis facundiæ rivus  
‘est) ad vivendum tamen afferat: quod est ma-  
‘xime necessarium. Quo profecto satis me vi-  
‘xisse arbitrabor, & Officium hominis implèsse, si  
‘labor meus aliquos homines ab erroribus libe-  
‘ratos ad iter cœleste direxerit. *Laë. lib. 1. de*  
*Opificio Dei. c. ult. ad finem.* Hunc, bone Lector,  
affectum imitare, & vale.

*Datum è Musæo meo*  
WALTHAMIE  
Episcop. WINT.  
Jan. 1. 1679.

[ d 2 ]

Ro. Sb.



---

Ad Juris in utraque *Anglorum Academia*  
Studioſos, præſertim vero *Wiccamicos*  
*Oxonienſes*, Autoris *Paræneſis*.

**A**ugurium ante annos jam plus centum fecit Do-  
ctiſſ. Hopperus, *Friſius*, Philippo *Hiſpani-*  
*arum Angliæq; Regi Conſiliarius*, & Brevi  
futurum, ut univerſam *Civilem ſapientiam*, non  
ſolum vitiiſ & ſordibus emaculatam, & integritati  
reſtitutam, ſed ad primas *Naturæ commendationes*,  
primosque totius interioris *Philoſophiæ fontes*, à qui-  
bus *Ortus ſui principatum ducit*, eandem revocatam  
& reſtitutam videremus. Quid ab *Hoppéro ipſo*,  
quid à *Grotio*, quid ab aliis præſtantiffimis *Ingeniis*  
in *Civili Veterum ſapientia* è cineribus reſuſcitanda, ſi  
quid etiam à nobis aut antehac, aut jam præſtitum ſit,  
vos facite, *Præclari Juvenes*, judicium. Cumque nos  
jam ad hæc *ſtudia conſenuimus*, alioque (ut probe no-  
ſtis) *avocati ſumus*, ſinite quæſo ut vos habeam exo-  
ratos; in nobiliſſimo *Juris ſtudio ſic verſemini*, ut,  
quæ adhuc deſunt, vos ipſi, aut ſaltem è vobis aliqui,  
tempeſtivè ſuppleatis. Quod ut fiat, cavendum eſt  
ne vulgaris noſtra *Juriſprudentia* (quamvis ſpecioſa  
præ cæteris ſit) vos totos abſorbeat; ne quæſtuariis  
rauci fori *formulis penitus ſuccumbatis*, & divina pro-  
ſus ſubmittatis *Ingenia*. Id vulgus veſtrum fortè  
lucris ſtudio faciet. Et faciat, ſi valde volet, per me  
licet. Curvas enim in terram animas erigere perquam  
difficile eſt. *Naturam autem*, ex mala conſuetudine  
factam contumacem, *furcâ expellere non noſtrarum eſt*  
*virium*, divina ſolummodo *virtutis opus eſt*. Sunt  
ſane



sane, sicut oportet, alii, viri in omni Jure insigniter docti, qui in commune sudant, quos publica Regni avocant munera, quibus sustinendis ultra Honoraria, etiam Reip. nomine gratiæ sunt habendæ; Spartam illi, quam nacti sunt, ornent. Vobis autem, Juvenes Academici,

Quis meliore luto finxit præcordia Titan,

Quis & Animus est, & Otium; dum adhuc formanda vobis studia sunt, consilium hoc lubens impendo, mihi olim siquid in Jure profeci, vobis modo futurum, utile. Quamprimum scilicet titulos Juris & summa præcipuarum Legum capita, celeri sed fideli labore justaque intelligentia pervolastis, melioribus (quod Philosophos Juri studentes decet) vos statim assuescite: quæ ad universalem justitiam spectant ex singularibus Legibus sagaci decerpente ingenio. Altiora spectate, quàm quæ vulgus Jureperitorum sapit. Neque ante conquiescite, quàm ad eam usque Disciplinam perveneritis, quæ integram veræ æternæque Jurisprudentiæ speciem contineat; quæque phrasi Apostolica (ad Rom. 2. 20.) optimè dici possit, *μὲντοις τῆς γνῶσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ*, Forma integra scientiæ & veritatis quæ in lege reponitur: cujusque faciem saltem, id est, potiore nobilioremque partem (cæteri fortè corporis, imo & mentis, quæ in lege est, indicem) nos hac Opella adumbravimus. Ea sane Jurisprudentiæ summo jure dicitur Divinarum atque humanarum rerum Notitia; Justi atque Injusti Scientia, quoddam faciendorum omnium, tam erga Deum quàm apud homines, cognitionem contineat. Hujus sacrosancti Juris ut aliquando Sacerdotes fuis, (quo se nomine nuncupari voluit eximius inter Jurisconsultos Ulpianus) magna omnes ambitione contendite: quod Sacerdotium ad aliud nobilius, Christianum

stianum scil. (cui vestra fors an privata, Wiccamiq; nostri vota vos ultimo destinaverunt) gradus erit facilissimus peraequè ac aptissimus.

Aliud etiam, Juvenes Ingenui, vos decere si admonèam, condonetis quaso. Eruditos scil. in Peripato Scholares, prima Juris principia & fundamenta ex Academicorum & Peripateticorum scriniis potius depromere (ex quibus similia & sibi invicem planè congruentia suppetunt dogmata) quàm ex Epicureorum secta improba; cujus explosam olim doctrinam ex cineribus in Gallia resuscitatam hausit nuper Hobbius, & inter Britannos suos infaussto nimis successu sparsit, tanquam genuinum cerebri sui venenum, Philosophorum omnium hujus ætatis longè audacissimus. In hoc Socrati, Platoni, Aristoteli, cum Epicuro Hobbioq; convenit, 'omnem naturam esse conservatricem sui ut salva sit, & genere conservetur suo. Academici, Peripatetici, & Philosophi communiter omnes asserunt, 'Hominem solum animal natum esse pudoris & verecundiæ particeps, appetensque conjunctionum hominum & societatum, animadvertensq; in omnibus rebus quid ageret aut diceret, nequid ab eo fieret nisi honestè & decorè. Idem (ut idem inquit Cicero) Academici scil. Peripateticique, Naturam hominis diviserunt in Animam & Corpus; cumque eorum utrumque per se esse expetendum dixerent, virtutes quoque utriusque eorum expetendas esse dicebant. Cum Animam quadam infinita virtute anteponerent Corpori; virtutes quoque animi bonis corporis anteponebant. Cum denique sapientiam totius hominis custodem & procuratricem esse vellent (quæ esset Naturæ comes & adjutrix) sapientiam manus esse dicebant, ut eum tueretur, qui constaret ex animo & corpore, in utroque juvaret eum atque

atque contineret. His initiis tanquam seminibus à Natura datis, temperantiam, modestiam, justitiam, & omnis generis honestatem perfectè absolutam esse. Hæc de communibus (excepta saltem Epicureâ) Philosophiæ principiis acutissimè edisserit Cicero. Atque hæc initia, lectissimi nobis Consozii, fas & æquum est nos defendere, quæ vere sunt ex Cicero-  
ne hausta Peripatetica. Sic scopulos ex altera parte Epicureæ Hobbianæq; Philosophiæ, Atheorumque doctrinam pestilentem evitabitis; qui, de corpore humano vitæque hac temporali unice solliciti, parum animo tribuunt, ab eoque tollunt pudorem verecundiamq; honesti justique naturalis; ex altera parte Stoicas etiam vanitates præterfugietis, qui omnia tribuunt animo, adeoque nullam corporis habent rationem. Corporis nec esse Bona asserunt, nec esse expetenda quæ ad corpus spectant; qualia multa fere comminiscuntur Stoici immenso Pindari ore, quàm severis Philosophis, digniora. Hæc utrinque extrema vitantes medio (si quid recte sentio) ibimus tutissimi.

Nemo vestrum puto mihi imputabit, quod furi Naturali explicando vestra studia, leges scil. Civiles, præcipue adhibuerim; aut quod, ubi commode fieri poterat, Vultei aliorumque optimorum Juris interpretum sequi potius methodum, quàm (quod alii solent) distrabere maluerim, quo facilius utriusque Juris parallelismum, si placuerit, ex utriusque comparatione facere poteritis. Alius ex Jure Anglorum patrio possit fortasse non inepte exempla desumere. Id autem studium nostræ (uti nostis) non erat facultatis. In Collegiis Londinensibus hoc ediscitur Jus: In quibus studiosus aliquis possit fortè species peccatorum contra Placitum de Innocentia ad innocentes extendenda ad caput de placitis Coronæ & delictis publicis

publicis reducere; species item Peccatorum contra Placitum de Fide servanda, ex formulis Contractuum expiscari poterit. Nullam enim Juristæ nostrates methodicam habent Obligationum doctrinam, qualem continet egregium, quod in Academiis profite-mur, Civile Jus. Quod adeo verum est, ut cum Obligationum ex contractu scientiam explicare Westos ille nostras in se suscepit, quam egregio suo, quod in omnium manibus versatur, Formulari præmitteret; necesse habuit integram generalem Contractuum doctrinam, eorundemque singulares descriptiones ab Her-manno Vultejo, absque vel minima sensus aut methodi mutatione, sermone solummodo mutato, in opus suum transferre. Alij, quibus hoc fecisse pudor est, Obligationis tam ex contractu quam ex delicto doctrinam ex formulis Brevium Regiorum (miro labore, non secus ac Cacus ex antro Boves) extrahunt. Breve enim Regium, cum remedium delicti sit, quandam dat offensi notationem; & ex cognitione delicti contra principium quodcunque (sive innocentiam, fidem, gratitudinem, aut sociæ spectet) nasci poterit è contrario quædam justæ notitia: Cumque apud nos rectum sit obliqui index, apud illos obliquum est index recti. His etiam addi poterit, quod ex usu Anglorum patrio omnis illa doctrina de successione ab intestato ex Natura sociæ promanans, & proli futuri spei sæculi justè subveniens, Juris plane Civilis est & Canonici: unde neque ex legibus terræ Anglicæ strictè dictis poterant facile, quantum ego assequor, exempla ad hoc caput spectantia deprømi; aliaque etiam plura taceo, cur congruentius mihi duxerim specimen exemplorum ex Jure Civili, quod commune Imperii Romani erat, atque etiamnum pluribus in locis retinetur, quam ex legibus patriis desumere.

Veniā etiam facite, Juvenes, si in hac postrema Editione (quod Sacerdotium Christianum exercenti forte non indecorum censetur) à Divino Jure sacris literis consignato, & in utroque fœdus promulgato, exempla aliquando adhiberem presentibus argumentis non incongrua. Veteres interim Ethicas Politicosque nunquam non adhibui: ut agnoscant aliquando Hobbiani, ante natum Hobbiū, aut librum de Cive editum, Ethicam simul & Politicam extitisse; quam neque Epicurus, nec Carneades antiquitus poterat, nec jam Machiavellus, Seldenus, Hobbius, Theologopoliticus Judæus, alijsve, quotquot sunt in Philosophia, Novatores poterunt evertere. Hæc nostra subscriptionum quarundam horarum studia, in bonum publicum, non literati solum, sed totius Christiani Orbis, proclivi animo destinata, æqui bonique consulti Juvenes Doctissimi, &

Valete.

Clarissimis

---

*Clarissimis Viris*

Honoratissimo D<sup>no</sup> & genere  
prænobili, & universæ Scientiæ  
Virtutumq; ornamentis Illustri,

D<sup>no</sup> ROBERTO BOYLE,  
ARMIGERO.

Insignissimo D<sup>no</sup> literis studiisque huma-  
nioribus undequaq; Ornatissimo,

ROBERTO LANGFORD;  
ARMIGERO,


Cognato suo, & uni ex Antecessoribus in Juris  
Collegio GRAYENSI.

*Colendissimi Domini,*

**M**oris passim est Scripseribus, ubi opus aliquod pub-  
lici juris faciunt, illud Potentissimo alicui Prin-  
cipi, aut Domino inscribere & consecrare, ut va-  
ratione, majestata, imperio, aut quacunq; dig-  
nitate sublimes possint sibi in fautores & patronos denoveri;  
& velle quidem facere videntur, modo inverteunda abste-  
nensio, & Maximis viris ad Optimas suas quasi Nobilis-  
simis instrumentis uti instituant. Ego jam mihi novam hac  
ratione ambire aut conflare velle amicitias opus esse non cen-  
sui; bene mihi consultum esse existimans quod vestra meae  
sine aucupio gratia, vosq; habeam quos edenda jam à me  
Hypothesi deligam, sine ulteriori ambitu patronos, quibus  
me officio obstruatur, nec amicitia aut necessitudine (adco  
[ c 2 ] favore

*facere vestro, indignissimum licet, dignatus sum) conjunctio  
 esse possim: Mens enim ipsa honestiq; lex, ut inter precipua  
 qua honore debeo prosequi, vestra colam nomina, coegit. Gra-  
 tulator autem mihi, quod nulla neq; in tanto rerum nostrarum  
 salo tempestas impedit, quo minus tuto possim publicum hoc  
 facere iussum inter praecordia spirantis reverentia monumen-  
 tum. Porro illud mihi summe videbatur necessarium, ut in  
 re ardua, grandi, infinita fere varietate, atq; ubi sapius sub-  
 tilissima rationi in acie Novacula procedere necesse est, non  
 mediocria deligerem Ingenia, quos facerem scripti totius  
 Arbitros & Judices primarios. Cum autem duo praecipua  
 sine capita, de quibus in omni hac dissertatione possit fieri ju-  
 dicium, quorum alteram ad severam rasiacinationem spectat,  
 alteram ad historicam de Philosophorum Gentilium, Jure-  
 peritorum circa Officia dogmatibus, narrationem: Utrumq;  
 vestrum utriusq; partis perinsignes novi Aestimatores, judi-  
 cioq; quantocunq; pares. Vestrum tamen, Illustrissime  
 BOYLI, nobile subactumq; ingenium, acerrimum judicium,  
 & ad Philosophiam quancunq; eximie comparatum, nec  
 effectuum vi partimve studiis in veritate indaganda impe-  
 ditum, quasi genio aliquo aut fato priorem occupasse provin-  
 ciam videntur. Alteram, Insignissime Cognate, cum  
 decore subire poteris, confertissimaque literis mens illud  
 quasi vendicare videtur. Te enim etiam inter Necessarios  
 habui, quem ob ingentem in omni Humanioris doctrina gen-  
 re scientiam, & propter summum, non rixarum e Legibus  
 excitandum, sed (cui rei perpauci animum intendunt)  
 sapientia in Legibus sua studium, plurimum revereor &  
 suspicio; Te habui, qui ante praeterita iam duo annorum  
 infra, cum consultatio esset de quinquennio Wiccamico  
 optimo in studio Juris absomendo, Autor eras, ut, quoniam  
 Civilia iam apud nos desueverunt fora, & de Vulgari Juris-  
 prudentia actum est, vera Jurisprudencia animum addice-  
 rem; Te, qui studiofis apud vos in jure Terra haec medi-  
 tationes nostras poteris facillime commendare. Quos igitur  
 potius deligerem Patronos, quos melius summos hac in causa  
 dactilas, quam viros virtute omni & dignitate preclaros,  
 quorum neque peritia in rebus judicandis, nec in estimandis  
 candori, accedere quicquam votis aut desiderio possit? In  
 Vobis igitur, Viri undequaque Colendissimi, novum consti-  
 tui*

*ni Quumviratus Jus ; non censendi solum ( id enim onus  
facere aufert) sed faciendi, si quando iudicio vacet, cen-  
suram. Conclufis jam & iudicatis hic à me rebus univer-  
fims, si ratio iufferit, consentire placeat: Sin iudicatum rem-  
iterum iudicare fit opus, in Vobis fitum est vel iubere (Sene-  
cz utar Phraf) ut dividam fententiam, vel si res id exi-  
gat, non folum praecipere, ne quid improbem ex his quæ  
jam decrevi, fed ut dicam etiam, Hoc amplius cenfeo.  
Illud precor, quæfoque, quosunque modo efficit, ut integra  
aliquando & fine erroris nave perfecta de Officiis Hypothefis  
exhiberi poffit. Quod quidem adeo Nobile & Magnificum,  
fi quando perficiatur, futurum est Opus, ut forffaffe cum  
Sceptra fuis vel Maximus totius orbis Princeps, fi ei offera-  
tur, equiparare poffit: Si enim in Mythologis Sceptra didi-  
cimus à Jove Regibus donata, quibus iniquos & injurios  
corripere; Leges etiam didicimus ab eodem profectas Jo-  
ve, quibus in univerfali iuftitiæ & pace continerentur populi,  
& provifum effet ne injuria omnino fieret, aut Sceptra inju-  
ftitiam vindicanti effet opus.*

*Alii vero fi qui contradicere & pra ingenii levitate dictis  
opprobria velle facere videbuntur, iubete Clariffimi Domini,  
ut integra qualicunque, cui macula una aut altera non adha-  
reat, confcribenda de moribus humanis recte conformandis  
Hypothefi operam dent, quo factò fi qua his contraria propo-  
nantur iudicia, iis profectò non magis irafcar, quam velim ut  
in me exceandefcat Dofiff. Hobbius, cuius de Officiis con-  
cinnitate quacunq; confictò Systemati neceffarium erat, ut  
meas ex adverfo ponerem rationes; quippe fi fecus feciffem,  
fi non unicam, certe potiffimam oppositionem fubterfugiffe  
latuiffique velle vifus efferm. Neque inique tolerandum  
videretur, fi cum Ptolemæo eufque Apogæis, Perigæis,  
Epicyclis, gravius & feverius ageret Copernicus aut  
Tycho: Iniquus multo ferendum, fi qui facti fint, qui, cum  
nec ipfi communi commodo immenfas rerum fylvas & innu-  
meros casus multiplici materia & variis circumobfctis cir-  
cumftantiis inquirere aut perpendere fuflineant, tantum abfint  
ut gratias perfolvant debitas iis, qui huius Spartæ adornanda  
infudarunt, ut ex integro Systemate unum aut alterum ftudiofo  
inquirant decerpantque, quod obloquantur, impbegua. *

*Arce, Infigniffimi Dni, à Mufarum præfepibus hu-  
jufmodi*



*insimul detractores, ignavum pecuni, nullifitium in expertus :  
 Id enim vobis bene convenit, qui & augmento Reip. litera-  
 ria universim fudetis, & pressa qualestuncque & fideles tanto  
 in re meditationes dignoscitis quo aestimio sine habenda. Si quis  
 vero occurrat humanus, prudens, gravis censor, inelametic,  
 quaso, opem potius & suffragia, quam Prooletis censuram,  
 nec finite ut praelara huic Hypothesi inscripta Vestrum No-  
 mina veritatis quocumque officiant Triumpho. Aliud quod  
 subjiciam, aut cui implorando incerem vobis genua, non sus-  
 petit. Optimus noster Maximusque Deus anima, corporis,  
 & externa in catur Vobis bona, isque omnibus Vos indices ad  
 Honorem suum & communem utilitatem magis magisque  
 locupletet praeor, & adaugeat. Sic valere Viros vero Co-  
 lendissimos jubet*

Omni Officiorum genere Nominibus

Vestris devotus & obstrictissimus

*Datum è Museo Wiccensico,  
 OXON. Kal. Jan. Anno  
 partus Virginis 1658.*

Ro. Sbarroçk.

---

A D  
*LECTOREM DE OPERIS RATIONE ET USU*  
*Præfatio.*

INGENUE LECTOR,

**I**Nter omnes sanæ Philosophiæ deditos studiis peræque convenit, nihil magis desiderari ad Moraliſ Disciplinae perfectionem, quàm ut Officiorum, quæ naturali lumine cognoscuntur, confirmata fiat & distincta Explicatio; utque Regulæ, juxta quas homo naturalis, quatenus naturam suam consulit, & perinde Ethnici, absque Religionum intuitu popularium, de *Justo* & *Injusto* faciebant judicia, in medium una quasi Syllabo comprehensa, producantur. Communiter enim animadvertum est pudorem aliquem, atque modestiam naturalem esse, atque erubescere solere Ethnicos ad quasdam actiones, atque etiam exhorrescere, trepidare, concuti, si certas vivendi regulas non observaverint. Idque etiam apud Christianos è sacris Oraculis confirmatius factum est, extare facinora, ob quæ commissa, etiam ex propriis ipsorum conscientis, se morte dignissimos existimabant Gentiles. Hæc Conscientiæ naturalis judicia seriò inquirere, & industrius aliquantum investigare operæ pretium duxi, quo mihi & communi doctorum desiderio satisfacerem. Duplici autem methodo (si hanc morari historiam placeat) istam moliebar indaginem: Primò deſtiebam meipſum à notionibus quibuscunque receptis, & aliunde quàm à Natura ipsa haustis: Quicquid à parentum & præceptorum institutione, quicquid à vitæ communis usu, aut loci, temporisque (quibus utebar) moribus judicio accrevit, studioſe exuere atque amovere conabar: quæ autem, his ſemotis, supererant, humana cenſui, ſoliusque Naturæ rectare atque esse judicia. Deinde poſt meipſum gnæviter conſultum, aliorum

atque horum percontandi mentes studium increvit, eorum quoque quibuscum mihi erat convictus, quam eximios superioris sæculi viros, & Heroes *ἄλλαι καὶ ἀειδυνότα*; imprimisque, cui imprimis studebam, & quem inter Philosphos duxi Cotyphæum, *Aristotelem* intueri animus erat, & quas virtutum dignoscendarum regulas in Scholis suis consecraverat, animadvertere; ubi (absit reverentia, quæcunque veritati possit esse injuria) libros offendi definitionibus confertissimos, quibus omnibus hic saltem adherere defectus videbatur, quod ignotum (si non per ignotius) saltem per æque ignotum explicare viderentur. Hujusmodi est generalis illa Virtutis definitio, *Eth. lib. 2. c. 6.* qua definitur, *Ἐξὶς θεωρητικῆ ἐν μέσῳ ἔσται, τῆς ἀρετῆς ἡμῶν, ἀεισμενῶν λόγῳ, καὶ οὐκ ἐν ὀρεσίμῳ ὀρίσται.*

\* Hanc enim, quisquis Scholæ nonnaverit, vocem dixerit, & præterea nihil: cum nec ipse declaret Philosophus, quid *definiat ratio*, quid *μεσότης* quæ *ἡμῶν* sit, quid *vir prudens determinet*; neque ex ipsis (quibus utitur) verborum formulis, quod quærebatur, rationi humanæ innotescat. Perinde enim videtur, ac si cui de via à *Roma Brundisium* versus interroganti, responsum sit, eam esse tenendam, quam itineris prudentes meliorem duxerint, neque nimis dextrorsum, neque sinistrorsum nimis, sed ut ratio jusserit, incedendum esse; eâpse tamen ratione in speciali singularum virtutum descriptione *ἀρετῶν*, altum incedit, nec clare quicquam aut distincte de norma Officiorum, aut regulis, quibus secundum virtutem formanda est vita, in Methodica (quam contexit) Aretologia edisserit. *Fortitudinem* (quam primam suo constituit ordine) definit *Eth. lib. 3. c. 6.* *Mediocritatem inter Timorem & Audaciam, cum periculum infest maximum & pulcherrimum*; & *c. 7.* *Fortem* eo describit, quod *pericula, honestatis gratiâ, subeat, idque quando oportet, & ut ratio jubet.* *Temperantiam* similiter *Eth. L. 3. 10.* *mediocritatem circa voluptates*; *Intemperantiam* dicit *excessum circa easdem*; & *C. 11.* *Intemperantes eos, qui modum excedunt in gaudendo iis, quibus non oportet,*

\* Habitus electivus in mediocritate consistens quoad nos, ratione definita, & sicut vir prudens definitur.

aut magis quam oportet, aut non ut oportet. Temperantes, qui moderate (sicut oportet) concupiscunt. Liberalitatem eo definit L. 4. C. 1. quod sit *Mediocritas* circa pecunias, & omnes res qua pecunia aestimantur; Finem ejus esse pulchrum, actiones formales esse, dare quibus oportet, & quanta oportet; & quando oportet. Magnificentiam vero gradu solum ab eo differre, & C. 2. virtutem dicit, qua in magnitudine sumptuum liberalitatem superat; Magnifici autem esse, ad Decorum respicere. De Magnanimitate similiter, quod sit virtus qua mediocritatem servat in magnis & debitis honoribus, moderate expetendis, vel contemnendis, c. 7, 8. De Mansuetudine c. 11. quod virtus sit, qua mediocritatem servat circa iram in vindicando & puniendo, idque quomodo, & quos, & propter quae, & quamdiu oportet. Eademque ratione de Comitate, Ευτραπεία, Justitia, atque universis (excepta veracitate) virtutibus: Quid autem per magnum illud totiesque iteratum (Oportet) significetur, quaeque actiones sint, quibus Mediocritas observetur, quae loca, tempora, propter quas res, & in quas personas, singularum virtutum actiones eliciendae sunt, nequaquam ex definitis innotescit. Neque eundem latuit (si quid recte intelligo) hic, in Philosophia, quam de Moribus contexit, defectus. De hujusmodi etiam definitionibus exercitissima Philosophi sunt verba. Καὶ τις ἔρεθι ἡ μισοσύνη, ἃς μετὰ τὴν φαυλότητα τὴν ἰσχυροτέραν καὶ τὴν ἐλαφύτεραν, ἔπαισι τὸ ὀρθὸν λόγον. Ἔστι δὲ τὸ μὲν οἰσῶν ἔπαισι, ἀληθὲς μὲν, ἐστὶν δὲ σαφές· καὶ γὰρ ἐν τῇ ἀλλοίαις ὀπμιελόαις περὶ ὅσας ἔστιν ὀπισθήματα, εἴτε ἀληθὲς μὲν οἰσῶν, ὅτι ἔτι πλείον, ἔτι ἐλάττω δὲ τὸν οἰσῶν, ἐστὶν ἴσχυρον, ἀλλὰ τὰ μέτρα καὶ ὅσα ὀρθοῦς λόγος. Τῆτο δὲ μόνον ἔχον ἂν περὶ ἐστὶν ἂν οἰσῶν πλείον ἢ σοῖα δὲ τὸν σοφίαν ἔχει τὸ σῶμα; ἐν περὶ οἰσῶν, ὅτι ὅσα ἢ ἰατρικὰ καλῶν, καὶ ὅσα ὀπμιελόαις ἔχον· διὰ δὲ γὰρ περὶ τὰς τὴν ἰσχυροτέραν ἔχει, μὴ μόνον ἀληθὲς ἢ τὸ τῆτο οἰσῶν, ἀλλὰ καὶ διωρισμένον, πῶς τὸ ἔρεθι ὀρθοῦς λόγος καὶ τῆτο πῶς ὀρθοῦς.

Ac aliquis terminus est mediocritatum, quas inter nimium & parum interjectas esse dicimus, rectae rationi existentes consentaneas. Quod cum ita dicitur, est illud quidem verum, sed non satis apertum: Namque in ceteris studiis atque exercitationibus, in quibus scientia aliqua veretur, licet hoc quidem verè dicere, nec plus neque

*minus laboris aut desidia quam res postulat suscipiendum esse, sed omnia que medio sunt posita, & ut recta ratio prescribit, esse facienda: ' Verum qui hoc tantum perceptum & cognitum habet, nihil eo amplius sciri possit; veluti si quis quærenti qualia alendo & curando corpori sint adhibenda? Respondeat, quæ ars mendendi præcipit, & ut is qui ea præditus est præcipit; quapropter etiam in habitibus animi, non solum hoc vere esse dictum, sed etiam distinctum atque explicatum esse oportet, Quæ sit recta ratio, & hujus quæ sit definitio. Arist. Eth. Nicom. lib. 6. cap. 1. Ex quibus in mentem mihi venit, consciam sibi fuisse Philosophum, perfectam & omnibus numeris completam apud se de Moribus doctrinam, nondum extare: plus enim tanquam huic Philosophiæ necessarium exegit, quam ipsum alicubi præstitisse comperi. Nihil enim ultra ferme circa virtutes definit, aut faciendum præcipit, quàm *mediam tenere, excessum vitare & defectum*, atque his similia, ex quibus ad claram & distinctam Officii cognitionem nihil certum accedit, quo intellectus humanus juvari possit.*

Quæsi igitur à cætera Peripateticorum Schola, an præ præclaro in nobilissimum Magistrum & Philosophiam studio, hanc hac ex parte perfectiorem adhuc fecerint, & clariorem de Officiis doctrinam; an tandem *invenit* illud (quod vitio ipse vertit Philosophus) à Virtutum definitionibus summovent, & quæ intelligi possint perspicuasque stabiliverint Officiorum Regulas. Inveni post sexcentos Commentatores, & controversiarum in *Aristotelis* Philosophiam tractatores (pene dixeram nugivendulos) parum quacunque, hac in re nihil Augmento Scientiarum accessisse: quasi periculum esset, & læsæ Majestatis crimen, ultra Sectæ suæ Principem in *Peripato* quenquam sapuisse. Postquam denique desiderio, unde cupiebam, parum satisfactum est; cæteram, qua sciebam Moralem contineri materiam, sine magno delectu aut Auctorum studio, percurri Bibliothecam: præclara ubique offendi de Officiis judicia, sed indigesta, sparsa, sine ordine & methodo, in variis auctoribus & materiis disseminata; ejusmodi tamen, quæ si

si congesta forent, & suis locis adornata, pulcherrimum Systema, & integram de Officiis Hypothesin visæ sunt polliceri. Laudare singulos Autores orium non est: vix enim quenquam reperire erat, qui humanius quicquam scripsit, à quo non luculentissimæ aliquando de Justo & Injusto, seu de moribus universim efformandis notiones exciderunt: ordinatam integramque, quam sequi poteram, de Officiis Hypothesin, inveni nuspiam. *Hobbii* quippe scripta, quæ id nomen præ se ferre videbantur, mens refugit, quod tibi compererat & communi hominis sententiæ contraria. Ille enim cum inter prima Philosophiæ suæ dogmata Sui conservationem, Utilitatem, Voluptatemque in hoc seculo consequendas tuendasque solum, quasi Finem, atque unicum honestati in moribus fundandæ principium proposuisset: & deinde obedientia universali Principibus exhibita tutelam hanc atque utilitatem comparari & defendi posse assumpsisset; de cætero Conscientiam sustulit, facilemque edidit de Moribus Hypothesin; sed horrenda quæcunque Morum introduxisse atque admisisse ausus est portenta. De *Epicuro* hæreo an idem cum *Hobbio* senserit. Ad voluptatem enim omnia retulit, & in Physicis conscientiam videtur sublata velle; alibi tamen non videtur, sed ejus influentiam ad morum honestatem admisisse, atque pro Justitia inde deduxisse argumenta; ut ex Officiorum à *Torquato* apud *Ciceronem* assumptæ, & sententiis à *Seneca* aliisque autoribus sparsim citatis admonemur.

Cæterum (quod reliquos spectat) & Philosophi, quibus intima humanæ Naturæ secreta rimari studium est; & Jureconsulti, qui in Jure & Justitia inquirendis plurimum exercentur; Historici item, qui quæcunque hominum monumenta, judicia, dicta, factaque literis consignarunt: Poetæ insuper, non solum quales *Theogænes*, *Phocyllides*, & cæteri qui *rusticæ* scripserunt Poemata; sed & elegantiores, qui quasi picturâ aut speculo imaginem humanæ vitæ, opinionumque, affectuum & actionum variâ exhibuerunt Poësi; omnes non sanis solum, sed claris, distinctis, & illustribus de Officiis sententiis sunt referti. Quantum autem ex quoque Scriptorum genere Moralis doctrina juvari possit, ex Symbolis hic à

me collectis fieri possit iudicium. Super omnes procul dubio unus est *Cicero*: nullum enim existimo extare in tota hac Hypothesi iudicium, quod ab Illustrissimo hoc Philosopho non alicubi confirmetur.

Utile igitur studium videbatur dogmata, sententias, præcepta, & quæcunque naufragæ ab antiquo Naturæ fragmenta, quancuncque operis impendio colligere. Ea tamen è communi cæteræ Materiæ Chao decerpere operæ pretium non duxi, quæ propter vocum generalitatem, synonymiam, aut abstrusiozem quomocuncque significationem clara in se & distincta non erant, aut facilitatem & certitudinem sensûs non continebant: Exempli causâ, cum *prima Juris præcepta* hæc vulgo audiant, & pro talibus apud Imperatorem in *Institutis* insignita sint; *Honeste* scil. *vivere*; *Alterum non ledere*; *Suum cuique tribuere*; medium statim selegi, & in materiam Hypotheseos seposui. Primum & tertium aut interpretatione exponenda, aut ab Hypothesi amandanda censui. Iusta enim interpretatione ad Hypothesein satis aptè (ut infra ostendimus) accommodari possint, aliàs admitti non poterant. Quod quid sit *honeste vivere*, quid *suum cuique tribuere*, ante factam explicationem, aut hypothesein demonstratam, intelligere sit impossibile.

Claras tandem has, quas collegeram, sententias & iudicia cum iis Notionibus comparavi, quas in meipso prius (abstractis remotisque forinsecis à Natura dogmatibus) inveneram: quæ conformia erant Hypotheseos confirmationi, apposui; contraria apud cordatos viros (*Epicuro Hobbioq;* exceptis) nullibi inveni. *Carnades* enim ingenii ostentandi causâ contra iustitiam & vulgaria de bonis moribus dogmata, pro Utilitate disseruisse visus est; cæterique qui objici poterunt, ei accenseri debent hominum facti, qui aut parum sibi mente constabant, aut parum mentes suas excusserunt. Contrarias utcuncque praxes, & visa primo fronte iudicia ex adverso posui; ita tamen ut ostendatur quam parvi sint æstimandæ, & ab Hypotheseos propositæ veritate quàm nihil derogent. Hæc de re ipsa, deque Opere (quod substantiam attinet) dicta sunt. Ad Methodum etiam, Stylum, & Usum nonnulla restant dicenda.

Circa

Circa Methodum quæri consuevit, quis Ambitus, quinam de Moribus doctrinæ limites proprii, quomodo coarctanda sit hæc Tractatio, ne quid nimis expatietur, aut in nimias angustias se contrahat.

Nauseæ quibusdam & fastidio est, quod apud Philosophos hos, quorum præ cæteris magni habita est jamdiu Doctrina, in Philosophiæ ambitu res eadem multoties veniat tractanda; quod causarum genera in Topicis, Demonstratione, Physicis, Metaphysicis; quod Anima in Physicis, Metaphysicis, & Ethicis; quod Prædicamentorum Genera & Species, tam in Logica quàm Metaphysica vulgo explicantur: quæ & plura ejusmodi invidiosè licet ab aliis dicta, vitio tamen Scholis idcirco consueverunt à Judicibus non iniquis verti, quod effectus probet Quantitatem, Substantiam, Qualitatem, Speciesq; & Individua (quicquid contradici ab iis solet) eodem modo eademque planè forma, non ut notiones, aut rationis entia, sed ut res tractari; & in commentariis de Causis, de Anima, & cæteris quibuscunque materiis quatenitates (de quibus loqui amant) non omnino observari. Eandem ego fortasse non evitasset maculam, nisi veritus essem de iis hic differere rebus, quarum commentationes Physica, methodo Synthetica, & quæ summa est disciplina, ipsa Theologia, quatenus ad Hominis beatitudinem methodo Analytica procedit, aptius exposcit.

Non me latuit receptum apud omnes esse in Ethica Naturali, ut proponant de Fine, de Objecto, Subjectoque Virtutis, & Mediis quibus ad finem perveniri possit, prolixas dissertationes; & nobiles de Anima, Indole humana, Intellectu, Voluntate, & Affectibus (quæ ad subjectum pertinent) quæstiones illic eventulari solere. Duxi tamen satius has disquisitiones omittere, quamvis in promptu mihi sint, & commenta jam hac de re adversaria; propterea quod hæc de Officiis Hypothesis, integra sit, & perfecta in se doctrina.

Si quis concesserit perfectam esse, regeat tamen eam perfectiorem esse posse; eique pulchrum fore qui finem præmonstravit & media, ut Subjectum similiter (Hominem scil.) ejusque statum & naturam ostendat; & rationem



tionem viamque præmonstret, qua insitens, per media traductus, finem assequi possit: Ego itidem ei assentior pulcherrimum hoc fore, si quando perfectè & adæquatè fieri possit; & proinde etiam consentaneum fuisse, me, qui tranquillum & jucundum mentis statum proposui, Scopum, & media, Virtutes, illud etiam ostendisse, quid sit homo, quali utatur anima, quos habeat affectus & facultates, si causas tandem explicare potuissem, easque in natura sitas, per quas præclari illi habitus in mentibus ita possint infigi, nequid prorsus sequius ab homine in omni vita fiat quam virtus jusserit; si denique, ut Artes, arte tradere liceret Officia, & humana ratione quis iis possit imbui.

Verum aliter se habet res: quippe in Natura pluri-  
mus adhuc reâi & obliqui index restat, auxilii parum; & quamvis magis magisque, juxta aliquorum sententias, à mundi exordio obfuscata est Naturæ lex, Juris tamen aliquid per divinam providentiam in Conscientiis hominum adhuc pressa retinuit vestigia, Notionesque persistunt in imis defixæ præcordiis, ex quibus aliquatenus & justitiæ honestatisque Naturalis, & peccati contra easdem fieri possit agnitio. Deest tamen methodus, desunt subsidia, deficient hominibus naturaliter facultates, nec vires suppetunt, quibus in ardua virtutis via ad felicitatis clivum progressuri, impedimenta quæ se obji-  
ciunt, depellere, aut seipos in cursus rectitudine tueri possint.

Quid sit homo, quali anima, quo intellectu & voluntate, quibus item affectibus sit præditus (præter considerationem Physicam) ad Theologiam dixi pertinere: Ethicæ quippe Christianæ secunda videtur pars, primamque, quæ de Fine (felicitate scilicet Christiana, gloriaque per gratiam assequenda) edisserit, immediate sequitur: Gratia enim Evangelii, suum in statu (seu lapsu dicam) & miseria hominis, nancisci videtur fundamentum: Miseria hominis ex impotentia ad voluntatem legemque summi Dei, & Creatoris sui, implendam colligitur. Eaque tandem impotentia perfectissime dignoscitur ex perpensis Animi natura, rectitudine aut errore intellectus, factique aliquando judicii certitudine  
aut

aut incertitudine, constantia aut inconstantia: Voluntatis item necessitate vel libero arbitrio, aut quacunque in virtutem aut vitium proclivitate; ex affectuum qualicumque superioribus facultatibus obedientia, & sequacitate, vel contumaci contra impetu: Quæ omnia absque ejusmodi Psychologia, qualem à me quidam exposcere videntur, exponi nequeunt, ut proinde mentis statum à Theologis tractari necesse sit, cumque non absolute solum, sed & respective, quatenus affecta sit in quacunque objecta resque omnes tam ad Deum, quam ad mundum hunc, & præsens sæculum spectantes.

Et mihi videtur rationi summe consentaneum, ut in hanc Ethicam illæ deferantur disquisitiones, cum mentis *è paròpòis* morumque reformatio solius sit sanctioris disciplinæ cura, quæ sola potis est ad beatitudinem iter tutum præmonstrare. Illic de expiatione per Christum facta, illic de ineffabili Spiritus Sancti auxilio continetur doctrina, divina illic ad pietatem & justitiæ media, quæque supra hominis ingenium sunt, sanctissime à Deo intuemur præcepta; illic Sacramenta, Sabbara, Orationes, Jejunia, lectiones Scripturarum, Ecclesias, correptiones Christianas, & cætera ejusmodi ad hanc rem recepimus, Deo ordinante, instituta. De Anima igitur in ordine ad Mores, aut pietatis & justitiæ viam in Ethica Naturali disquirere superfluum mihi videbatur; Naturaque ducente, absque Religionis intuitu, virtutem aut felicitatem assequi velle, ejusmodi esse vesaniæ quali detineri videretur, quisquis summum in Capitolio turrim ascendere jussus, ab extra, ubi pedatim gradi impossibile est, muri summitatem attentare malit, quam introeundo per gradus ascensioni ordinate extructos, facile adire culmen.

Sed ad querelam de defectu satis: hoc uno videri possim abundasse, quod tot voluerim paginas sola autoritatum & judiciorum recensione oppleri; adverti autem nullam nimis operam posse iis locandis & itabilendis infumi, quæ ædificii totius & cæteræ structuræ, probasi & fundamentò sunt. Propositiones hæ: Quod sit aliqua Natura lex; ejusque placita esse, *Ne quis alserum ladas innocentem; Ut fidem servet quisq; , & repen-*  
das

*das gratias*; cæteraque etiam quotquot infra citationibus confirmantur, prima duxi principia, ex quibus omnis Officii, quæ naturaliter competit, agnitio dependet: Hos cogitavi fontes Juris, & universalis, in cæteram, magisque specialem de Moribus doctrinam, influentiz. Actus enim omnis habitusque moralis eatenus censetur virtus, quatenus sub aliquo horum placito contineri, in aliquo comprehendi, ex aliquo præcipi videtur; adeoque ut probet quis Fortitudinem, Temperantiam, & cæteras virtutes sic vulgo nuncupatas revera virtutes esse; Invidiam, Avaritiam, Prodigentiam vitia esse, non opus erit ulteriori, ex qua ad speciem auctoritates promantur, anthologia; id enim honesti turpisque satis clarum est indicium, quod quidque conforme sit, vel enorme, à dictis Naturæ dictaminibus.

Huic accedit, quod aliam non comperi potiore de Jure Naturæ disserendi rationem, quàm ex expressis hominum, de natura sua & sibi connatis anticipationibus, sententiis: Quippe ad comparandam de principiis fidem humana autoritas permagni est momenti; *quis enim quæ sunt hominis cognoscit, nisi Spiritus hominis qui est in ipso?* Quin & principia quæcunque sive ad Mathematicam, sive Metaphysicam spectantia, non aliunde quàm ex communi consensu confirmationem petunt.

Has enim considerationes adjuvit jactanter illud à *Thoma Hobbio* in dedicatione Elementorum dictum, ubi asserit *Physica doctrinam rem esse novissiam, Philosophiam vero Civilem multo adhuc magis, ut quæ antiquior non sit quam ipsius de Cive liber*; ex citatis enim Autorum judiciis exhibere videbar antiquam, communem, & ubique receptam (veteris materiz novam excipio collectionem & compagem) nec *ἀναισθητον* nec *ἀνετάλητον* de Moribus doctrinam, quæque priusquam *Hobbis*, *Hobbis* dixi? imo priusquam nasceretur *Theognes*, obtinuit.

De Stylo non eram omnino sollicitus: vulgarem facile præfero, ut intellectu faciliorem. Nolui floribus Oratorum, aut meretricio cultu, fucum rei quam trado facere, nec tam dictorum ornatui, quam hominum captui, consulere: Nervos, musculos, ossa, articulatim, ordinateque posita hinc à te velim (generose Lector) in-

veniri,

veniri : Colores, si desint, fac ipse suppedites Candorem. Magnopere me pulchella illa apud *Ciceronem* sententia, quoties recordor, afficit : ‘ Omne quod de re bona dilucide dicitur, præclare mihi dici videtur ; istiusmodi autem res velle ornate dicere, puerile est ; plane autem & perspicue expedire posse, docti & intelligentis viri. Atque hæc ipsa res ex earum videtur numero, quæ doceri contentæ ornari negant. Præterea id meum est ingenium, ut utilitatis rerum potius sim, quàm verborum elegantia curiosus. Hoc enim difficillimum à me ipso obtineo, ut styli emendationem (præsertim si intelligi possit, qui primum à calamo fluit) morer. Accedit, quòd adversariis circa hanc Hypothesin in methodum compingendis tum studebam, cum inclinata corporis valetudo superfluas animi amandavit curas.

Si quis *Cassianum* illud, *Cui bono ?* hic examinare satagat, ipse breviter, Cui usui esse possit hæc de Moribus doctrina, subnotare non gravabor, imo etiamsi nemo satagat, erit tamen mihi de futuro contingenti cautio.

Tria igitur sunt, quibus potissimum huiusmodi Tractatum inservire posse cogitabam ; vulgari scil. Prudentia ; curæ Civitatis, sive Politicæ ; vitæ denique Christianæ recte tam in faciendis quàm concipiendis & credendis dirigendæ, actionibusque tam animi quàm corporis ad perfectissimam amussim conformandis,

Vulgaris prudentiæ est, sibi in mundanis sapere, rem familiarem, & cætera ad vitæ honestatem & quietem tueri, tuta augerè quantum licet. Vis igitur ut ne quis te lædat ? Cave ne quenquam tu læseris ; adeoque fiet, nequis tibi, saltem sine animi sui ægritudine, noxam inferre possit. Vis ut alter tibi proficiat ? Obligatum obstrictumque eum tibi facito, ex quo possis Naturæ placito. Vel præsta ut tecum ineat contractus tibi postea profuturos : aut ipse imprimis incipias ei inservire, & meritis mutuam demereri officium ; vel res tuas sic procura, & compone, in eumque conjice statum, ut dum sibi, & proli, & consanguineis suis benefacit, aliud non possit quàm tibi, & proli, & consanguineis tuis prodesse. Quod cum multis modis fiat, at præcipuè per Conjugia, ex quibus vel personæ ipsi, quæ maximam benefaciendi ha-

bet facultatem, vel soboli ejus, aut cognatis possit, & solet fieri conjunctio. Vel denique ut plurimum iis intertis, qui sine molestia sua aut incommodo beatitudinem tuam possint multum promovere; inhumanum quippe est, & à nostra alienum natura, his rerum circumstantiis indigo non subvenire.

Quantum in Civitatis administratione & Politia usum habere possit, facile conspicitur. Civitatis & rerum publicarum negotia aut cives suos & municipales spectant, aut exteros: Quod cives attinet, nemo est cuicumque obnoxius religioni, aut libertatis suæ quomodocunque studiosus, qui si à Magistratu in Juris Naturæ observationem cogatur, queri possit sibi inferri injuriam, nec in seculo nostro (ut cunque supra modum querulo) hanc alicubi pudor sustinuit querelam. Quod ad exteros attinet, nihil frequentius est, quàm ut de jure & injuria singulæ gentes & civitates inter se disceptent; indeque ut illata resarciantur damna, foras inferuntur bella. Suo autem loco conclusimus omnium hujusmodi judiciorum, legem Naturæ esse normam: nec aliud aliquid in Jure Gentium præcipi, nisi quod perspicuè sub his Naturæ Placitis continetur, aut ab his clarissimè deducitur.

Ad Christianorum mores, atque eorundem conscientias in præctis informandas, hanc Ethicam censui non parum conducere: Ad Juris enim Naturæ observationem severe nos obstringit Religio, ita ut neminem oporteat Christianum majorem aliquam sibi indulgere licentiam, quàm quæ cum Naturæ Obligationibus facile consistat. De hoc Naturæ Jure in præfatione ad Principes populosque liberos orbis Christiani, sic scitissimè *Grotius* edisserit. ‘Voluisse scilicet Deum naturalem hominibus inter se societatem esse. Huic autem à se fundatæ aut Domui aut Civitati summum illum Principem patremque familias suas quasdam scripsisse leges, non in ære aut tabulis, sed in sensibus animisque singulorum, ubi invitis etiam & aversantibus legendæ occurrent. His legibus summos pariter atque infimos teneri. In has non plus Regibus licere, quàm plebi adversus decreta Decurionum, Decurionibus contra Præsidum edicta, Præsidibus in Regum ipsorum sanctiones. Quin illa ipsa populo-

rum

rum atque urbium singularium Jura ex illo fonte dimanare, inde sanctimoniam suam atque majestatem accipere. [ Et paulum infra de eadem lege. ] Lex illa, *inquit*, inventu non est difficilis, utpote eadem apud omnes; & facilis intellectu, utpote nata cum singulis, singulorum mentibus insita: Jus enim tale quod nec Rex subditis negare debet, nec Christianus non Christianis. A natura enim oritur, quæ ex æquo omnium parens est, in omnes munifica, cujus imperium in eos extenditur, qui gentibus imperant, & apud eos sanctissimum est, qui pietate plurimum profecerunt. Justitiam item Deus, *ut procuremus honesta coram omnibus*; sacraque etiam Oracula testantur, & Theologi constanter affirmant venisse Christum, non quo tolleretur, sed magis magisque adimpleretur Moralis lex: Media enim ordinavit pietati & justitiæ humanæ naturæ inserviendæ, & Spiritus insuper subministravit auxilium. Contra, illud Christianæ libertatis videtur esse, ut eatenus sibi in quibuscunque Placitis possint indulgere, quatenus Jus Naturæ non impedit; exceptis solum ejusmodi casibus, in quibus à nobis in lege Dei amplius aliquid, aut expresse, aut per certas deductiones atque argumenta implicite requiritur, quam communis exigit Natura. Sicut enim olim sub administratione Judaica multa præcipiebantur, etiam Moralia præcepta multa, quæ in umbram non erant, sed in regulam charitatis data, quæ Obligationes in Naturæ placitis non præfinitas continebant: Ita etiam in Christiana religione multa videntur severius præscripta, quàm sunt ea Officia, quibus ex naturali intellectu practici dictamine tenentur Gentiles.

Ad rectam etiam, quod credenda attinet, fidem, veramque progignendam, in aliis Religionis & Theologiæ capitibus, *καὶ ἄλλοις* proficere cogitavi: quod enim de lege Morali dicunt Theologi, tria per eam ostendi; 1<sup>o</sup> officium hominis, 2<sup>o</sup> ejusdem peccatum, 3<sup>o</sup> expiationis per Christum necessitatem; Ego itidem per hanc de Officiis doctrinam, & officium quod exequi debemus, aliquatenus (ut jam monui) enarrari; 2<sup>o</sup> & peccatum Numinisque offensam quatenus ab Officio

[ g 2 ] .

recessum

recessum est; & 3<sup>o</sup> ejus offensi, scil. omnipotentis Dei placandi usum ostendi, existimabam.

Porro in quæstionibus de Justitia Dei, ad rectam de Deo sententiam indispensandam facere videtur, imo necessariam esse hanc Hypothesin. Quoties enim quæstio est, *An Deus secundum justitiam aut bonitatem quicquam possit efficere?* veluti, An justum sit eum aliquando decernere *Titium* in extrema conicere tormenta, absq; peccati cujuscunque vel præteriti, præsentis, aut futuri intuitu? An non tantam deceret majestatem universum in virtute & felicitate tueri mundum, cum sine periculo, damno, aut molestia sua facere possit? An possit, quos fecit ut in rerum natura essent, non diligere, & summis prosequi amoris affectibus? In his & cæteris hujusmodi Problematis certissimum videtur, quod si nullæ sint (quod *Hobbius* censuit) Naturæ leges, at naturalia Justitiæ præcepta, commodo cujusque proprio & voluptate exceptis, consentaneum fore, Deum contra Justitiam aut Bonitatem naturalem peccare non posse, etiamsi quod placuit quomodocunque fecerit. Qui cogitant aliquas esse Naturæ Leges (cæteri autem ab *Hobbio* & *Epicuro* omnes, qui qualicunque digni sunt æstimo, id cogitare videntur) actiones supra memoratas aut malas esse, injustasque, aut honestas, bonas, & summo Deo dignas æstimant: Qui injustas esse contendunt, illud sibi plerique imprimis quasi postulare fere videntur, Deum, Angelos, homines, atque omne ens intellectu præditum, eodem Jure uti; deinde assumunt plerumque has actionum Species contra commune Naturæ rationalis Jus esse: ex hac parte in nostra hac ætate, *Socinianos*, *Arminianos*, *Sublapsarios* stare ut plurimum putavi. Aliam vero tuentur *Supralapsarii* recenter, antiquitus *Stoici*, & aut præmissam negant propositionem, asseruntque eodem Jure non uti; aut eam (improvisa forte consequentia) admittunt & idem agnoscunt Jus, sed deinde dictas actionum species Juri Naturæ reconciliare (quo inficientur assumptis) student: nullum autem ex utraque parte argumentum consistit, antequam confirmata sit de supposito Jure Hypothesis. Circa Propositiones quæstio est, *An Deus & Homo per eandem perficiantur virtutes,*

&c

‘ & eodem modo regulatas iisdemque terminis finitas ;  
 vel (quæ quæstionis conjectio ad solutionem non parum  
 prodesse possit) ‘ an sicut se habet homo ad hominem,  
 ‘ ita respectu Moralium actionum Deum se habere ad  
 ‘ hominem necesse sit, eademque utrobique sit actionum  
 ‘ norma? Dijudicari autem ista nequit rectè quæstio,  
 antequam conspiciatur primo, quæ inter homines norma  
 seu regula sit, & deinde quomodo per eam, quæ in con-  
 fesso sunt Divinæ Actiones, possint resolvi, recteque posse  
 consistere, vel non posse consistere, fiat iudicium. Qui  
 enim magnis verborum involucris de Amplitudine Dei,  
 Potentia, & Libertate edisserunt, nec dicunt aut ima-  
 ginantur in quibus sit amplius, à quibus (scil. obligatio-  
 nibus) sit liber, verba potius quàm notiones ostentant,  
 aëra verberant, & cum sibi adversantibus non alio potius  
 quàm *Andabatarum* more pugnare videntur. In assumptis  
 versantur quæstiones, *An cum Justitia communi dicta acti-*  
*onum species conveniant?* Adeo ut neque in illis quicquam  
 concludi possit, priusquam quid justum injustumque apud  
 homines sit, quidque communis illa, de qua loquuntur,  
 Justitia exigat, extra controversiæ aleam ponatur.

Alia etiam quamplurima, quæ mihi in mentem jam  
 non veniunt, esse possint, in quibus aut Theologi, aliive  
 in suis Facultatibus, & in Legum præsertim studiis ex  
 Hypothesi de Officiis, juvari possint. Quæso autem Te,  
 ut jam à me scripta æqui bonique consulas; *si quid*  
*novisti rectius, imperti.* Si fructum qualemcunque inde  
 perceperis, Deo Gloriam attribue; qui quidlibet in  
 quemlibet, per quodlibet instrumentum, pro arbitrio suo  
 & virium plenitudine effectum dat.

VALETE.



Per-erudito & per-amico Viro

ROBERTO SHARROCKIO

de edenda sua Hypothefi Ethica.

**E**A quamvis sit (quod T<sup>u</sup> novisti, probe) Ethica dignitas juxta ac utilitas, ut hac arte sola gubernentur Imperia, administrantur Respublicae, suscipiantur bella, ordinentur familiae, & dirigantur universim in vita communi humani generis actiones: per diu tamen (quod dolendum sit, si non pudendum) aut pra hominum incuria aut ignorantia, tanquam cineribus sepulta jacuit hac doctrina, imo apud eos inviluit tota, qui doctiorum titulo sibi plus nimio plauserunt, & etiamnum plaudunt. Ea quippe magna pars studioforum plerumq<sup>ue</sup> affectati sunt studia, quae aut plane sunt nociva, aut superflua; quaeq<sup>ue</sup> ad vitam humanam feliciter agenda nihil certe, aut parum habent momenti. Quod si qui nupero hoc seculo reperti sint, qui huic doctrina aliquatenus operam dederunt, hi videntur mihi exsuccos ut plurimum exanguessq<sup>ue</sup>, de hac re tractatus edidisse: in istorumce nimirum paginis nunc futiles occurrunt & deridenda quaestiones, nunc laboriosa obscuritate caligantes definitiones, aut generales rerum explicationes; nihil magnam partem, quod non pompe magis & clamoribus Scholae, quam veris Reipublicae usibus adaptatum videatur, ut quod ad praxin ne eminus quidem collimet, nedum illam contingat. Quin & ad instar Nili prorsus iniqua & est & monstrosa vulgariter recepta Philosophia Moralis, in qua scilicet justitiae fontes & definita aequi bonique principia desideres. Quod ad veteres attinet; Poeta quidem, & Historici, & Philosophi, quae Graeci, quae Latini, aliquas sane rationis notitias vel inter Gentilem ignorantiam sospitarunt, quinimo eximia post se reliquerunt de Justo & Injusto, de Finibus & Officiis, apophthegmata & dictata; ac rara, & hinc inde scriptis suis respersa, ac nulla ordinata methodo,

nulla

nulla connexa serie ac dependentia. Adeo ut plane hâc  
 Etonus neglecta est, aut inutiliter tractata, aut confuse & im-  
 perfecte tradita hac Morum doctrina. Gratulor igitur tan-  
 dem Tibi, qui magna solus, supra quam dici potest felici-  
 ter, elucubratus es *Moralia*, ubi in hoc genere Philoso-  
 phia suppletur desiderata, dilucidantur obscura, superflua  
 tolluntur, & ab anteriori ævo crude proposita in usum man-  
 rantur germanum. Prima Operis facie non sine delecta-  
 tione contempler, velut ex *Salo Venerem*, emicantens  
 voluptatem: qua (nec sine ratione) unicam ipsa se ven-  
 ditat *Amasiam*, in quam intuetur, quamq; impensivo  
 ardet humanum genus; in cujus olim amplexus non tam  
 corpore quam animo totus it famosus Epicurus. Video  
 hic innatas omni homini equi ac boni notitias pensculatius  
 trutinatas, & firmiter stabilitas, unde faberrime à te  
 efficta est *Principiorum Heptarchia*, quibus in actiones  
 humanas quascunq; imperium est, non quidem æquale,  
 attamen ejusmodi, ut alterum alterius *Provincia* non im-  
 mineat: quippe

— Facies non omnibus una est,

Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.

Porro quatenus & quibus in instantiis aut istis adheretur,  
 aut deviat, pari acq;isitum est diligentia, definitum ju-  
 dicio. Quam mirabunda heic curiositate & Epicuri  
*Hortos*, & *Sylvas Academia*, & totum *Historicorum* ac  
 solide philosophantium campum pervolas, hinc inde deli-  
 bans quod in hoc congeras *Alveare*, unde *Mellitissimus* de-  
 mum emergat sapor? Sunt & Tibi præsto contesseranti-  
 um *Jureconsultorum Civilium* suffragia, qui ad ador-  
 nandum hanc *Pandoram* sua quisq; mittunt *Symbola*:  
 adeo quod orbis *Romani* Jus olim audit, nunc *Terrarum*  
*Orbis* ac *Natura* esse ostensum est. Omnia (quod ad  
 laudes Tuas immane quantum facit) libere, uti *Virum*  
 decet ingenuum, & modeste, sed nec minus solide ac ner-  
 vose philosophatus es. Sed quid *Lectorem* moror? Sine  
 quaeso duntaxat hoc grande eloquar: Solus, quod sciam  
 (uno dempto *Hobbessio*) integram ac ordinatam elaborasti  
*Ethicæ Hypothesin*. In qua, si quæ sint fortæan, in qui-  
 bus abs te dissentio, silenda heic existimo, eo quod univer-  
 sa *Politica*, nemon & *Religionis* principia quandoque da-  
 bimur

( )  
*bimus enucleata, favente Deo & Republica. Tu vero  
& Gentes hanc nostram & Literatorum Nationem, &  
Humanum genus, porro (quod & facis) demereri pergas,  
& Me amare, qui sum*

Infolidum

& Animitus Tuus

JO. AYLMERUS.

---

SYL-

# Syllabus Operis;

Res argumentaque in singulis Capitibus,  
& Numeris contenta indicans.

## CAP. I. De Finibus Moralium Actionum.

- Num. 1. De communi in Ethicis disquisitionibus defectu. *Quoad Scientiam Moralem augmentum & perfectionem, Doctrina de Fontibus Juris, certisque Actionum Regulis desideretur.* pag. 1
- N. 2. *Methodus & Partitio Ethicæ.* 4
- N. 3. *De Fine Moralium Actionum.* ib.
- N. 4. *Certus esse veri Gaudii in viro bono & sapiente causas, & perpetuam esse rationem, cur Fertilitas ex bonis & Sollicitudo ex malis actionibus proveniat, breviter ostenditur.* 7
- N. 5. *Testimonia Ethnicorum de Animi aegritudine, & tristitia, angoribus, & suspicionibus de futuro post vitam statu, quibus se molestari fatentur, qui extra leges Naturæ vixerunt: quæ omnia ei felicitatis parti, quæ in animi tranquillitate atq; indolentia consistit, maxime sunt contraria.* 10
- N. 6. *De Gaudio Sapientis: Ubi Testimonia Ethnicorum recensentur de felicitate, quam ipsi ex vita honeste & sapienter acta consequuntur: quæ partim in Animi tranquillitate, & vacatione à mala Conscientia stimulis, perturbationeque mentis consequenti, partim in gaudio ætiali & hilari, lætæq; bene actorum recordatione solebat consistere.* 15
- N. 7. *Quod secundum Naturam sit omni ratione & operâ niti, ut dolor ille animi ex malefactorum conscientia evitetur, voluptasque ex benefactorum recordatione promanans conquiritur.* 18
- N. 8. *De comparatione Finium. An Bonum conservationis Bono Perfectionis sit præstantius & eligibilius? An ex Appetitu Sensitivo, an ex Rationali major sit felicitas & voluptas?* 20
- N. 9. *Summa Gentilium ratiocinatio (sive maxima quæ sic)* Felici-

## Syllabus Operis.

*Felicitatem Finem, Virtutis operationem Medium ad felicitatem constituunt. Primum Ethica Naturalis fundamentum, in Religione esse positum. Quod Deus Opt. Max. credatur passim communium de Justo & Injusto notitiarum causa & fons. Rationes cur credere debeant ratione utentes. I. cum summum velle, ut principiis Naturae insitis ipsi conformiter, id est, honeste & juste viverent. Quantum inter sit Rationalium Deo, communium ac moribus formandis notitiarum auctori, placere. Contumaciter in Deum peccantes a toto reprobos. Unde nascitur necessaria apud omnes mente recte utentes voluptatis & bona spei cum virtute, suspicionis mala & doloris cum improbe factorum conscientia, connexio. Ea Ratiocinatio Fines constituit Naturalis Ethica. De imperfecta Paganorum Religione & Virtute. De Fide, Spe, Charitate naturali sive Ethica. Ex Fide & Spe constitui felicitatem, ex Charitate Virtutem.*

N. 10. De differentiis Philosophorum, & diversis eorumdem Principiis. Dogmatum Fidei Christianae cum Hypothesi nostrae de Moribus concordia. Eiusdem cum Doctissimi Jansenii doctrina comparatio. Ubi etiam obiter disquiritur, An Virtutes & Bona, quae dicuntur Opera Gentilium, mera sint Peccata? Singularis Justinii Martyris de aeterna Socratis salute ventilatur Opinio. De antiquorum quorundam studio, qui Theologiam Judaeorum & Christianorum cum Gentilium Philosophia componere voluerunt.

N. 11. De Finibus constituendis dissertatio Theologica, qua imprimis disquiritur, An ab Ethicis vel Christianis sit peccatum, quoties Actionum Moralium Finem posuerunt Felicitatem propriam? Negativa sententia defenditur; Sanctosq; in Sacra Pagina laudatos ad propriam felicitatem collimasse. Jansenius obiter animadversus, ubi dicit, Deum absolute diligendum absque omni nostri respectu. Auctoris contra Jansenium duplex funiculus, Gloria Dei, & Salus propria. Quomodo Gloria Dei ulterior finis quam sui felicitas constituitur: ita ut sui felicitas medium ponatur ad gloriam Dei procurandam, quod pluribus exemplis clare illustratur. Quod plures esse possint fines, quibus ad eandem honestam actionem sapiens moveatur.

## Syllabus Operis.

*moveatur. Ita Temperantia fines inter Philosophos, ut sit & mens sana, & corpus sanum. Ita inter Christianos, quod gloria Dei & propria felicitas, quamvis seorsim sine subordinatione sibi invicem sumantur, possint per modum cause finalis appetitum movere. Gloriam autem suam & felicitatem nostram cum Deus conjunxerit, humano ingenio non esse separanda.* 69

**Num. 12.** *An in intentione recte viventis sit ut Voluptate fruatur, qua in statu est, an eâ qua in Motu, cum ad virtutem se accingit? Ultra Voluptas sit majus bonum? Et quodnam sit ex Virtutis Moralis operatione summum Bonum? An plura esse possint per se Bona? Summum absolute Bonum solummodo in divina beatitate reperiri. Hobbii Philosophemata de Felicitate male cum veteribus convenire.* 78

**N. 13.** *Disputabilis Opinio, Quod per Έρησυναρ Aristoteles Voluptatem in Motu, tantopere à Veteribus celebratam, intellexerit.* 83

**Num. 14.** *Epicurus an Aetionum Moraliùm Animi statuerit, aut Corporis, vel ad corpus aliquo modo relatam Voluptatem? Obiter Cicero & Plutarchus contra Gassendi opprobria vindicantur. Seneca sane Epicureus in questione de Finibus quid sensit?* 88

## CAP. II. De Lege Naturæ.

**Num. 1.** *De Legis Natura existentia Dissertatio.* 104

**N. 2.** *Generalis Legis Natura, ex causis effectisq; descriptio.* 116

**N. 3.** *Quod Ethnici dictamina humane Rationis se sequi oportere fatebantur, tanquam veram Naturæ Legem, & obligatoriam vivendi Regulam, Philosophorum Gentilium Testimonia.* 118

**N. 4.** *De Thomæ Hobbii, Anonymi Theologopolitici, Samuelis Puffendorffii, Joannis Veldeni, aliorumque sententiis circa Legis Naturæ existentiam; & ad eorundem Objectiones brevis Responsio.* 122

**N. 5.** *An recte Hobbiius, Hobbianiq; statuerint, statum Naturæ, Belli omnium in omnes esse statum?* 126

**N. 6.** *Principia Moralia Anonymi Theologopolitici cum Veterum doctrina comparantur. præsertim in hac Quaestione,*

## Syllabus Operis.

- one, An homini naturaliter competat Jus, ex legibus Appetitus, non Rationis, vivere? 143
- N. 7. *Sententia Veterum iis adversaria, qui non per se collendas esse Virtutes volunt, sed ex Utilitate Officia metuntur.* 152
- N. 8. *Ubi disquiritur, quanam inter veteres Philosophos & Novatores, de Fine & Principiis Actionum Moralium, sit discrepantia. Contra Novatores legum Natura existentia defenditur. Antiquior Carneadis, recens Thomæ Hobbii, Anonymi Theologopolitici, aliorumque Hobbianorum Hypotheses convelluntur.* 159
- N. 9. *Samuelis Puffendorffii, Professoris in Jure Natura apud Regem Sueciæ, fundamenta Ethica examinantur; cum Veterum Hypothesi, tam à nobis quam à Doctissimo Cumberlandio explicata & confirmata, comparantur.* 164
- N. 10. *De Juris Natura fontibus. Quod Societatis appetitus & custodia, Naturalis Juris fontes unici, non recte statuuntur.* 171
- N. 11. *An Regula hæc, Sic erga unumquemque agas, quomodo tecum agi velis, si ipse in eo fueris statu, in quo est ille quicum agis, sit sufficiens ad dirigendum hominem in omnibus vite communis circumstantiis ad bene agendum.* 179
- N. 12. *De Morum post mentis voluptatem principiiis, Juris & Justitiæ fontibus, legibus Originariis, vel singularibus Natura Humana Placitis. Quanam sint? Quibusq; factis acquiescat Natura Hominis, finemq; sibi præstitutum Tranquillitatem Animi ejusque delectationem acquirere studeat. Obiter de Obligatione ad utrumq; Jus, Divinum scil. & Humanum, hominibus ex sui amore derivanda.* 182
- N. 13. *Quod principia modo memorata cum principiiis Juris in vulgari Jurisprudencia definitis, justa adhibita generalium in Jure dictionum interpretatione, optime conveniant.* 185
- C A P. III. De primo Morali Placito, seu prima speciali Naturæ Lege, De Innocentia ad Innocentes extendenda,**
- N. 1. *Ubi Gentilium Testimonia recensentur, quibus probatur*  
cum

## Syllabus Operis.

- eum in boneste & turpiter agere ex communi hominum sententia, quisquis Innocentem laeserit.* 191
- N. 2. *De speciebus peccatorum contra primum Natura Placitum, De Innocentia ad Innocentes extendenda.* 195
- N. 3. *Quod noxe inferenda species modo memorata divino in sacris Bibliis interdicto sint subjecta: & proinde quod dicta nostra in hoc capite Hypothesis tam Justitia Divina quam Civilis Romanorum Jurisprudencia suffragio comprobetur.* 200
- N. 4. *De Quasi-deliictis in Jure Civili. Ostensa obiter Juris Divini in Rep. Hebraeorum Analogia.* 206
- N. 5. *De aliis etiam quasi-deliictis, qua ex Jure partim Civili, partim ex vera Philosophia & Christiana Religione dignoscuntur, Placito Natura de Innocentia ad Innocentes extendenda repugnantia.* 211
- N. 6. *Ratio ex hoc Placito petita, cur Parentes de futura liberorum felicitate solliciti esse debeant.* 213
- N. 7. *De Ἀρπαρροφαιῶν, & immanibus, prout in Historia tam veteri quam nova exhibentur, quarundam Gentium ritibus. Quod leges de Religione ipso fonte differant à legibus de Moribus; adeo ut diversitas rituum in Religionibus, diversitatem notionum in argumentis Moralibus non arguat. De furtis lege permissis, latrocinii usu receptis, communi item diffidentia, ceterisq; exemplis qua adversari videntur conclusioni sensum Obligationis ad Innocentiam in Natura humana positum statuenti. In quorum singulis quaritur quatenus fides historiis adhibenda, & qua ratione dicta Morum phenomena cum praesenti Hypothesi conciliari possint & debeant.* 214
- N. 8. *Quod ex hoc dictamine non cogamur innocentes nos erga brutum genus prestare. De contrario dogmate apud Pythagoreos aliosq; recepto, idq; potissimum ex μυστηρίοις perperam credita.* 226
- N. 9. *Limitatio Juris, quo tenemur neminem malo afficere, ab innocentia petita, ubi perpetua ratio Domini, ejusq; defendendi jus, etiam cum damno nocentium, exponitur.* 228
- N. 10. *Quo primum temporis articulo inter noxios sint habendi homines; An scil. ubi primus apparuit male faciendi*



- ciendi conatus, an non nisi peracto demum facinore, an cum intenderint damnum, an potius cum damnum dedervint? Obiter ostenditur, quod Fides Christiana sententiam confirmet que docet, voluntatem male faciendi reatum inducere. 230
- N. 11. An suspicio damni ab alio imminentis sufficiens sit causa ut alteri alter nocere incipiat? 234
- N. 12. Quaritur, quomodo nos timebimur, cum rationabiliter metuamus, ne ab alio aliquo ledamur, si non removere personam suspectam insequentemque noxam damno dato liceat. 236
- N. 13. Cum periculum jam instet, quomodo metuens se gerere debeat. 237

## CAP. IV. De Fide servanda.

- N. 1. *Judicia & rationes Jure-Consultorum & Gentilium, quod Obligatio ad Fidem servandam à Natura sit.* 241
- N. 2. *Quod Naturale hoc de Fide servanda Placitum originarium sit, & à cæteris distinctum, Quod neq̄, ex Placito de Innocentia ad innocentes extendenda, nec de Sui amore derivetur. Obiter de cæterorum Natura placitorum à Placito de Innocentia distinctione.* 246
- N. 3. *De modis quibus fides dari possit. In fide danda requiritur Consensus voluntarius, & Consensus signa. De varietate signorum. De Stipulationum formulis Jure Civili: quodque intersit Reipub. ut certa stantantur signa serio paciscentium.* 249
- N. 4. *De speciebus peccatorum contra fidem datam. Que tot sunt quot sunt formula paciscendi. Formule Pactionum ex usu Rom. Imperii. Contractus qui vocantur Reales Juris Gentium: de Mutuo, Commodato, Deposito, Pignore. Contractus qui vocantur ex consensu Juris Gentium: Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Mandatum. Contractus Juris Civilis proprii. Contractus innominati. Quasi-contractus. In quibus omnibus notantur Promissiones, saltem implicite. Quomodo consensus in unoquoque prædictorum contractu sive pactione significetur, disti. te explicatur.* 253
- N. 5. *De communibus in Mundo rationali Principiis de Fide servanda effectibus. De ejusdem Principii influentia ad*

## Syllabus Operis.

*ad formandam in Christianis universalem Magistro obedientiam. Quatenus facta in Sacramentis, Baptismi praesertim, Stipulationes, & vota ejusdem obedientiae specialiter causae haberi debeant.* 265

N. 6. *De statu personarum in Regnis & Civitatibus ex data acceptaq; fide constituto. Quatenus ex fide data ad Obedientiam Principi exhibendam tenentur subditi. De variis item Consensus formulis, quibus Principis vel Principum virorum imperio reddimur obstricti; veluti per verba expressa, vel per Procuratores & Deputatos, vel per usum Feodorum & Jurium à Principatu dimanantiam, ut in Regno Angliæ, ubi terra omnes à Rege tenentur Feodorum jure. De Exlegibus, sive Uslagatis, an juste dicantur capita habere lupina? An Aëtus regiminis quis possit exercere, cui populus nondum consensit. De Obligatione Infantum item & minorum sub tutela legitimi Principis educatorum. De obligatione & statu personarum in familia. Quod ad leges Ecclesiasticas alias prius obligati saepe ex pacta fide ulteriori obligatione innectuntur.* 268

N. 7. *De fidei data in Principe aliisque Magistratibus effectibus. An in Imperiis pacto constitutis fides data summum Principem liget? De Imperio absoluto, summo, mixto sive summo minori. Quomodo potestas, cui regimen Imperii committitur, conventionibus & pactis vari generis possit limitari?* 277

N. 8. *An ex sacrarum Scripturarum autoritate nova Malmesburiensis dogmata confirmantur? Nihil scil. injustum à Principe fieri posse; Nullam esse posse subdito in rebus suis proprietatem, qua Rex ab earum usu excludi queat; Nihil à Principe præcipi posse quod improbum sit; Regis Mandatum quæcunque subditorum acta indubie justa facere; Ubi queritur, quid per S. Scriptura phrasen מִשְׁפָּט הַמֶּלֶךְ Sam. 8. Obedire in omnibus, & subisci Principatibus, Col. 3. Tit. 3. intelligi debeat? An propter Principis præceptum Christum abnegare debeat Christianus? De exemplis Naamani & Saxoniarum Ducis: an vera Religionis ex præcepto Principis abnegationem iustificent? An negans sententia à Regula, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, quicquam deroget?* 287.

N. 9.

N. 9. *An si quis in pollicendo verbis de futuro se daturum aliquid declaret, ad illud dandum quod promisit se daturum, teneatur?* 300

CAP. V. De Gratitude erga benemeritos exhibenda.

N. 1. *Ex tertio Natura Placito declaratur Naturam velle, ut qua erga quenquam alius est benevolentia, eadem ille erga hunc sit, & parem meritis vicem, quo possit modo, rependat. Ubi testimonia & iudicia Ethnicorum, Adversaria in Hesiodium Carmen, & S. Matth. Textum. Cap. 5. 47. & Luc. 6. 32.* 301

N. 2. *Thomæ Hobbii contra hujus Principii existentiam argumentatio discutitur. An Gratitude sensus per se mentem humanam afficiat, an solummodo per accidens, quatenus ex gratitudine lucra consequimur temporalia, & mala, præcipue bellicum vite statum devitamus? An Natura homines gratis in beneficia propendeant? An desperatis emolumentis ex conscientia naturali deserenda sit Amicitia? Ciceronis, M. Bruti, Senecæ, aliorumq; sententia.* 306

N. 3. *Quatenus ex Principio naturali de Gratitude debito, cultus Dei Creatoris, tam apud Gentiles quàm apud Judeos & Christianos est receptus; Cultus item Jesu Christi Θεωσπῶρου, & Spiritus Sancti apud Christianos; ubi beneficia, qua in homines confert aeterna Trinitas, Pater, Filius, & Sp. sanctus, summam simul recensentur.* 314

N. 4. *De Origine Idololatriæ, sive divini inter Gentes cultus: Solis scil. Lune, Planetarum, Elementorum, Bonorum, ut putabantur, Daemonum, Deorum Indigentum. Et quatenus ex Naturali de Gratitude placito hac proflexerit Veneratio. Historica fides & testimonium; ubi Catalogus ex fabulosa Theologia Gentilium Deorum exhibetur, beneficiaq; singulatim recensentur propter que cultus est adhibitus. De Philosophica interpretatione Divinorum Nominum, & inde secuta fabulosa Theologie in emendatiorem reformatione, ex Cicerone & Seneca; fonte tamen Venerationis, Gratitude scil. nullatenus immutato.* 324

N. 5. Ad

## Syllabus Operis.

- N. 5.** *An ad honorem & cultum procurandum sola Potentie estimatio, non item Bonitatis, Causalitatem contulerit? Eumeri Athei, & Philosophi Malmesburiensis discutuntur Paradoxa, ubi ex Paganorum testimonis probatur nullam ex Potentia sola oriri Obligationem ad honorem & Cultum. Quatenus in quibusdam Timor compertus est Venerationis & cultus Divini causa procreatrix. De cultu ceteris fere anamolò, & variis Barbarorum Idololatriis, quarum satis probabilis ratio reddi non potest.* 326
- N. 6.** *De aliis Naturalis Gratiitudinis effectibus, qui hominibus intercedunt. Quod precipuarum in mundo Rationali personarum status Gratiitudine fulciantur, Parentum scil. Patronorum, Magistratum, Dominorum, Amicorum, Liberos, Clientum, Servorum, Pupillorum inde Officia. Quatenus ex eodem fonte Ambitus ratio, & potentiores per munera vel corrumpendi, vel saltem sibi divinciendi consuetudo, & Usura ex sententia Salmasii profuxerint.* 344
- N. 7.** *Harum omnium Obligationum Principium in Naturali Gratiitudinis sensu recte locari, aliud Argumentum inde deducitur, quod Benevolentia in Genitore, Patrono, Magistratu vel Patria cessante, aut in inimicitiam conversa, cessent Liberos, Clientum, Civium seu popularium ex communi estimatiòne ad Obsequia prestanda, nisi alii quam ex Gratiitudine nexus sint, Obligationes & Officia.* 352
- N. 8.** *An sine contractus cujuscunq; vel fidei data intuitu, ex innato de debito Gratiitudinis instinctu ad Obsequia parentibus prestanda teneantur liberi?* 356
- N. 9.** *De Gratiitudinis speciebus, & quod ex Religione Christiana ad omnes Gratiitudinis species singuli Christiani saltem propter Dei præceptum teneantur?* 359

## CAP. VI. De Sui Amore.

- N. 1.** *Sui Amoris honestas Paganorum testimonis comprobata.* 361
- N. 2.** *An de Sui Amore Placitum à ceteris Natura Placitis sit distinctum?* 362
- N. 3.** *Species peccati contra Sui Amorem.* 364

## CAP. VII. De Naturali ad Proles curam Obligatione.

- N. 1. *Quod Natura instigante ad Liberorum procreationem prout sunt homines, quodq; eadem approbante Natura, & obligatione ad procreatorum curam asserente, promovende prolis felicitati parentes studere debeant, Judicia Paganorum eorundem testimonio comprobata.* 367
- N. 2. *An quintum Natura placitum, de naturali ad prolis curam obligatione, à ceteris distinguatur?* 370
- N. 3. *Limitatio Legis Natura de prolis cura: Nullam sc. constare Obligationem ad conferenda in eos beneficia, qui erga parentes ingrati & contumaces, vel alias absq; parentum culpa, moribus profligati evaserunt.* 372
- N. 4. *De Regulatione Naturalis hujusmodi cupiditatis sive affectus, Philosophorum monita. Necnon de speciebus peccatorum, quibus contra naturalem in liberos superfluum, sive bonum prolis, peccari solet. Quatenus parentes bona animi, corporis, & fortune, & speciatim apta conjugia liberis suis ex hoc placito procurare debent. De patria item potestate, & peccatis contra Naturam.* 375

## CAP. VIII. De Naturali ad benefaciendum Consanguineis affectu.

- N. 1. *De honestate naturalis erga Consanguineos affectus, actionumq; ex eodem affectu procedentium, Ethnicorum Judicia, eorundem testimonio comprobata.* 381
- N. 2. *De limitatione Officii in Consanguineos.* 382
- N. 3. *De ea qua propinquis intercedit naturali Amicitia, An suo stet principio, an ab alio oriunda sit?* 383
- N. 4. *De speciebus peccatorum contra debitam consanguinitatis superfluum.* 385

## CAP. IX. De Naturali ad Humanitatis Officia Obligatione.

- N. 1. *Quod inhonestum sit sanguine disjunctis obvenientibus, ignotis, vel quibuscunq; hominibus non nefariis ea denegare, qua accipienti utilia sint futura, danti vero damnum vel molestiam non inferant, Paganorum judicia, eorundem testi-*

## Syllabus Operis.

- testimoniis comprobata. Quibus obiter annexa sunt quaedam Heroica Virtutis Exempla, qua ultra communem justitiam vulgaris normam sunt expressa, ubi & quaedam Veterum quaestiones discussae.* 386
- N. 2. *Philosophi Malmesburiensis contra hujus Placiti existentiam argumentum advertitur.* 393
- N. 3. *De speciebus peccatorum contra Caritatem, ex Placito de vulgari Humanitate promanantem.* 395

### CAP. X. De Officiorum comparatione generaliter, & sub diversis capitibus.

- N. 1. *De necessitate comparationis Officiorum ad Ethicam disciplinam complementum.* 396
- N. 2. *Index Criticus, difficiliore quot occurrunt Casuum species, cum in illas simus redacti circumstantiarum angustias, ut alterum adimplere Naturae dictamen sit impossibile, nisi aliud ab eo diversum transgrediamur, quasi typo exprimens & dijudicans.* 397
- N. 3. *An Innocentia preferenda sit φιλαυτία?* 400
- N. 4. *An Sui Amori preferenda sit Gratiitudo parentibus, patriae, amicis, ceterisque bene à nobis merentibus exhibenda? Reconcilianur Proverbia, ῥῶν πρῆμῶν ἑγγύιον, & quod Sibi quisque maxime est Amicus. Σπρωγῆς in prolem & consanguineos an preferenda sit Gratiitudo? De beneficiorum diversitate. Quibus in casibus Officium Retributionis Sui amori juste postponitur. De mensura Gratiitudinis, quam dixerunt Veteres, par pari referre, τὸ ἴσον, sive αὐτῷ τὸ μέτρον ἐποδῆναι. Anteròs inter Poetica regula Aequalitatis certissima, ut bonis nostris gratitudinis causa eatenus cedamus, quatenus amicis rebus suis nostri causa cessit. Beneficii magnitudo ex affectu Benefactoris aestimanda, Affectus ex Sui abnegatione. Duo areola viduae ( Marc. 12. ) cur divitum muneribus à Servatore praelata? Professio Christum venisse sub primò Ecclesia ortu, quomodo sinceri Spiritus sufficiens character & Tecmerion.* 406
- N. 5. *An Proli desiderio Sui Amor preponendus sit? Ubi queritur etiam ulterius, An Amori Consanguineorum aliorumve necessariorum, sive etiam Extraneorum, φιλαυ-*

## Syllabus Operis.

- |  |     |
|--|-----|
| <i>na sit preferenda?</i>  | 413 |
| N. 6. <i>Innocentia, an Gratitude preferenda?</i>  | 415 |
| N. 7. <i>Annon ledendus alter, ut aliis benefiat, vel liberis, vel consanguineis, vel ignotis?</i>   | 418 |
| N. 8. <i>Quoà fides quomocunque data contra expressum aliquod Natura dictamen, nulla ratione obligare quenquam possit.</i>   | ib. |
| N. 9. <i>An Fides Innocentia preferenda?</i>   | 421 |
| N. 10. <i>An Fides Gratitude preferenda?</i>   | 422 |
| N. 11. <i>An Sui Amori preferenda sit Fides?</i>   | 424 |
| N. 12. <i>An Caritati in prolem, consanguineos, &amp; externos, preferenda sit Fides?</i>  | 425 |
| N. 13. <i>Quid in iis casibus agendum sit, cum per fidem minus stricte ex articulis contractus servatam, nulla contractibus noxa fiat, nullam contingat damnum aut prejudicium; contra ex contractu stricte observato in Gratitude, scilicet, vel ceteras caritates alias debitas, videamur impingere?</i> | 426 |
| N. 14. <i>Caritas in consanguineos à prole diversos, quo ordine inter cetera Officia ex Natura Placitis preferenda sit? Quem locum in ordine Officiorum tenebant Pupilli &amp; Clientes Jure Romanorum?</i>  | 427 |
| N. 15. <i>An proli præ ignotis benefaciendum?</i>  | 428 |
| N. 16. <i>An Vulgaris Caritas, seu Liberalitas in externos, Philantia postponenda?</i>   | 429 |

### CAP. XI. De comparatione Officiorum singularium sub eodem capite, sive ex eodem Placito promanantium,

- |  |     |
|--|-----|
| N. 1. <i>Sub eodem capite necessariam esse Officiorum comparationem. Placitum de Innocentia primum, quartumque de Nostri amore tuendis, nullas exhibere comparationum species.</i>   | 430 |
| N. 2. <i>Comparatio Officiorum sub Placito de Fide servanda, ubi ostenditur Pacitiones tempore priores jure esse potiores, sicut &amp; priora Juramenta. Tam Pacta quam Juramenta habere vim constructivam tantum, non destructivam; adeoq; prius jus per Pactum vel Juramentum alterius non tolli. Unde neq; Pactio neq; Juramentum Civili Juri contra-</i> |     |

tra

## Syllabus Operis.

- trarium valet. Quod plurimis probatur exemplis & instantiis. 431
- N. 3. Officiorum comparatio sub Placito de Gratitude. Plurimum benevolo potius facienda est Retributio. Obiter quaritur, Patria an Parentibus plus debeamus? Gradus benevolentiae aestimari debere eo, quatenus amici sui causam suam posthabueris. Insigniori amico aut benefactori differenda aliquando gratia sunt, ut alii amico, licet inferioris nota, opitulemur, qui maxime opis indiget. 435
- N. 4. Officiorum comparatio sub Placito de *επιδοταια*. Ubi imprimis de jure Primogenitura quaritur. Et an Natura instinctu sit, quod liberorum alii aliis preferuntur? 438
- N. 5. De Officiorum comparatione sub Placito de *σπλαγχις* in Consanguineos. De praelatione Consanguineorum ex linea descendenti. Deficiente linea descendenti, quod homini liberum sit quemlibet cognatorum cuilibet preferre. 440
- N. 6. De comparatione Officiorum sub Placito de Humanitate, seu Caritate vulgari erga omnes homines exercenda. 443
- N. 7. Ut possit quis totum explere Officium, atq; secundum virtutem perfectissimam & morum integritatem vivere, que cura adhibenda? 444
- CAP. XII. Quibus modis tollitur Obligatio.
- N. 1. De generibus modorum, quibus tollitur Obligatio. Quod solutio Debiti primus modus sit. 447
- N. 2. Quod Impossibilitas facti modus etiam sit, quo tollitur ad factum obligatio. Judicia *FCtorum* & *Gentilium* variis casibus exemplisque rerum judicatarum confirmata. 448
- N. 3. De Impossibilitate conditionata. 452
- N. 4. Quod tertia exceptio seu excusationis vel obligationem auferendi modus generalis sit Renunciatio, vel Juris remissio facta ab iis, quorum interest obligatio. 453
- N. 5. Quo pacto fieri possit, ut qui naturaliter juri possit renuntiare, ita tamen civiliter obligetur, ut illud non facere valeat? Distinctio Bartoli, quibus in casibus secundum Jus Civile juri suo quis possit renuntiare. 458
- N. 6. Quod ex hoc principio, Volenti non fieri injuria, minus recte ab Hobbio concludatur, nullam esse posse injustam legem. 459
- N. 7. Quomodo alii etiam modi, quibus obligationes Jure Civili



*Civili aut Municipali tolli solcant, supra descriptis modis generalibus unice videantur inmitti tanquam veris fundamentis, quibus si destituerentur, nihil haberent quo equitatem suam tueri possint.* 460

**CAP. XIII. De Restitutione, seu Noxarum ex Naturæ Placitis non observatis natarum reparatione.**

**N. 1.** *Sicnjus peccato contra hæc Natura Placita vel per damnum datum, fidem lesam, retributionem omissam, affectuum naturalium vel humanitatis neglectum & incuriam, vel contemptum, alterius cujuscumque fiat deterior conditio, tenetur peccans id agere, ut damnum passus in pristinum restitatur statum, & ne quid ex ipsius culpa alteri cedat male, procurare.* 465

**N. 2.** *Quod damni reparatio sub lege Mosaica ab iis, qui in alios noxa causa visi sunt, exigebatur, S.S. Autoritas.* 467

**N. 3.** *De Actionibus seu formis à Jure præstitutis, juxta quas noxa ex non præstitis Obligationibus orta reparari, & damna inde tam publice quam privatim data resarciri Jure Civili consueverunt.* 469

**N. 4.** *De ratione Obligationis ad pœnas subeundas, & quomodo alicui Jus competat eas, quas debet improbus, pœnas exigere. Ubi probatur rationem hanc naturalem esse & maxime genuinam, quod alias fieri non possit, ne cui ex alterius culpa sit male: nec ita procurari ut publica res in eundem restitueretur statum, quo ante malo exemplo commissa facinora homines fruebantur. De Civili etiam ad pœnas subeundas Obligatione.* 473

**N. 5.** *De Pœnarum in Jure Civili gradibus, ex Inst. de Actionib. §. 21, 22, 23, 24, 25. & ratione Actionum ultra simplicium conceptarum: de Obligatione item Civili ad pœnas quascunq; juxta leges subeundas.* 475

**N. 6.** *Quomodo fiat, quod mala Improborum exempla cedant in Reip. perniciem.* 478

**N. 7.** *Dogmatum Malmesburiensis de jure Pœna tam irroganda quam remittende animadversio: & cum Hypothesi nostra de obligatione ad pœnas dictorum dogmatum collatio.* 480

**N. 8.** *De Jure Gentium & Belli inter Gentes. Quod Officia*

## Syllabus Operis.

*cia ex Jure Gentium eadem sint que Natura precipit, nē inde nos ad aliud prestandum obligari, quam ad quod Jure Natura imprimis tenebamur, aut quod à Jure Natura justā consequentiā poterit derivari.* 483

### C A P. XIV. De Numinis Placatione.

N. 1. *Quod naturali ratione verisimile sit, Deum peccatis contra haec Placita admissis offendi, non tamen esse implacabilem; & supposito quod placabilis sit, hominum interesse ut offensum placent.* 487

N. 2. *Quod Numen placabile à Gentibus passim cogitatum sit; & de Placationis faciendae usu, Ethnicorum testimonium.* 490

N. 3. *Humaniores iratum Numen placandi ritus, qui tamen ipsi inepti nimis cuiquam, secundum Naturam facienti iudicium, possint videri, & tantum non ridiculi.* 492

N. 4. *Crudeles qui inter Gentes Deum placandi obtinuerunt Ritus, exemplis variis ex historia petitis declarati. De 'Αυδερνδουδα: De Expiationum formis per Deiformes victimas, in quibus veri per Christum sacrificii exemplar mentitus est Diabolus. An Cananzi ab Abrahamo 'Αυδερνδουδα: exemplum derivarunt?* 495

N. 5. *De variis Philosophorum ad placationem Numinis faciendam ex iudicio naturali rationis, non Oraculorum consilio, sententiis. Quodque hac in re animi conversionem ad sapientiam & puritatem magnificantes, de cetero Orationibus & exiguarum impensarum libamine propitiari Deos, crudelitati vero, pompa, & sumptibus sacrificiorum parci voluerunt.* 500

N. 6. *Quod maxima Gentilium pars hos Placationis ritus sibi met ipsis praescribere non sint ausi, sed satius duxerint divinitus illos per Oracula, Vates, Angures, aliosq; quibus cum Diis putabatur commercium, sciscitatos addiscere. Quod ratio, ipsaq; rei natura hanc exegit modestiam. Et de Christianae Religionis excellentia.* 506

N. 7. *Quod Placationis necessitas ab Epicureis & Atheis negetur, ab utrisq; tamen sine ratione.* 510

*Judicium de positae Hypotheses certitudine, cum Epilogo ad viros bonos, & simplicis sapientiae in vitam Christiana studiosos.* 514

De

## De Habitu Grinis *Dissertatio singularis.*

*De hujus Controversia origine Præfatio. Textus D. Pauli, 1 Cor. 11. 14. expenditur. Οὐδὲ αὐτὴ ἢ οὖτος ἰδόντων ἑμῶς, ὅτι αὐτὴ ἰὸν νομῆ, ἀτιμία αὐτῶν ὄντι; Quod inde notuit intelligi Apostolus, universale esse Naturæ Placitum, Ne quis Masculus prolixos gerat Crines, sed ad usum & consuetudinem Corinthiorum referendum. Id plurimis argumentis probatur, præsertim ex moribus Gentium contrariis, quorum plena sunt omnium locorum & temporum Historia. Exempla recensentur. Idem arguitur ex voto Nazareæus in vetere Fœdere probato. Jubere tamen Naturam de usu Crinium, ut sanitati propria sint & gratiæ aliorum conciliandis, non noxa aut scandalo, &c.* 527

*Pars 2. Ubi Cl. Salmasii singularis de habitu Crinis sententiæ animadvertitur, & ad Historia veritatem examinatur.* 533

### Errata.

#### Pag. lin. lege

- 2. 8. possit
- 20. 26. moralemve
- 24. 25. Virtutis usum
- 35. 19. abducti
- 52. 31. proportionati
- 53. 30. Quicumque, inquit
- 64. 37. omnem
- 81. 7. quæ in motu.
- 101. 14. pronunciauerunt
- 276. ad finem, lege §. (In causis ad Eccles. &c.) ex incuria Typothetarum transpositum ad pag. 285. lin. 20.
- 312. 25, 26. melioribus, atque secundum bonorum judicium etiam securior
- 315. 4. citat
- 318. 11. *Serm. Pemandri.*
- 320. 32. & notionum
- 325. 20. Parentes colere
- 327. 1. numerantur
- 334. 19. *Cassor & Pollux.*
- 25. substitueret
- 28. toti mundo
- 386. 24. *S. Empiricus.*

#### Pag. lin. lege

- 103. 8. audet hæc
- 118. 2. fatebantur
- 178. 32. promanantem
- 180. 34. Nec justum
- 200. 8. pignore
- 234. 4. Hæresi
- 245. 21. ni Sacramentum
- 262. 34. inter contrahentes
- 338. 30. iniquè
- 339. 32. fratrum & sororum
- 381. ult. lib. 2.
- 401. 23. hanc eligas
- 441. 13. aut cui copiosus
- 23. Mores gentium penult. amplius ne cum
- 442. 1. eorum quos inter suos
- 443. 26. honestiori sunt
- 455. 17. *Tripbonius*
- 465. 5. peccato
- 500. 9. oblationes.

*Cætera Typorum sphærmata facile deprehendet Lector & corriget.*



D E  
**O F F I C I I S**  
 SECUNDUM  
**NATURÆ JUS.**

---

C A P. I.

De Finibus moralium Actionum.

---

Num. 1. *De communi in Ethicis disquisitionibus defectu. Quod ad Scientiæ Moralium augmentum & perfectionem, Doctrina de Fontibus juris, certisque actionum Regulis desideretur.*

**D**Effectum Scientiarum, in doctrinâ de Moribus; illustrissimus *Vernanius* noster his verbis redarguit; 'Qui de legibus scripserunt, omnes tanquàm Philosophi vel tanquam Jure-consulti argumentum illud tractaverunt: Atque Philosophi proponunt multa dictu pulchra, sed ab usu remota: Jure-consulti autem, suæ quisque patriæ Legum, vel etiâ Romanarum, aut Pontificiarum placitis obnoxii & addicti, judicio

‘ dicio sincero non utuntur, sed tanquã ex vinculis sermocin-  
 ‘ nantur. Ad scientiarum igitur hac ex parte augmentum vir  
 Clarissimus hoc imprimis desiderare visus est, ut ‘ Fontes  
 ‘ Justitiæ & utilitatis publicæ peterentur, & in singulis ju-  
 ‘ ris partibus Character quidam & Idea justii exhiberetur,  
 ‘ ad quã particularium regnorum & rerum-pub: leges pro-  
 ‘ bare, atq; inde emendationem moliri, quisque, cui hoc  
 ‘ cordi erit & curæ, potest. *De Augment. scient. l. 8. c. 3.* Do-  
 ‘ trinam igitur de universali justitia seu Fontib: Juris (sic  
 enim appellari voluit) summè cogitavit necessariam, defi-  
 ‘ cientemque conquestus est; quod etiam submonet, *Tract.*  
*de certitudine Legum, Aph. 82.* ‘ Ad certitudinem (inquit)  
 ‘ legum facit (si quid aliud) tractatus bonus & diligens de  
 ‘ Diversis regulis juris. Regulæ autem quæ colligendæ sunt  
 ‘ non aliæ sunt, quàm Distamina generalia rationis, quæ  
 ‘ per materias legis diversas percurrunt, & sunt tanquam  
 ‘ taburra Juris.

Quin & illustris *J. Cæus Joachimus Hopperus Phrisius,*  
 ‘ Nihil est, *inquit,* non dico in Jure Civili, sed nec in tota  
 ‘ humanitate, quod ita nobis enudat quantam vim rerum  
 ‘ maximarum humana Mens possideat, cujus muneris co-  
 ‘ lendi & efficiendi causa nati & in lucem editi sumus, atq;  
 ‘ hæc de Principiis & origine juris tractatio. Cujus tanta  
 ‘ dignitas est, tantaq; scientia, ut præter hoc, quod summã  
 ‘ adfert liberalibus ingeniis voluptatem, vel sola sine aliis  
 ‘ perfectum Juris-consultum efficere possit: Ita *Hopperus,*  
*lib. 1. De Juris Arte. Tit. de Principiis Juris, p. 8.*

‘ Hæc ipsa Distamina Jureconsultissimus *Cicero* nunc prin-  
 ‘ cipia, nunc fontes, nunc stirpem cæteri juris nuncupat: *de Leg.*  
*1. & 2.* Et ipse *Hobbius,* ‘ Quod, *inquit,* maximè à Morali  
 ‘ Philosophiæ operam dantibus desideratur, est Regula acti-  
 ‘ onum certa, unde sciri possit, justum an injustum sit quod  
 ‘ facturi sumus. Quod enim in unaquaque re facere jubent,  
 ‘ quod rectum est, antequam regula aliqua seu mensura certa  
 ‘ constituta sit, quam hætenus nemo constituit, inutile est.  
*Hobbius in Log. cap. 1. §. 7.* Et revera mirari eos satis nequeo,  
 qui ad mentem prudentis referunt, ut è re natã, quasi ex  
 tempore, quid factu sit rectissimum determinet; nolunt  
 tamen penes eundem hominem esse, ut Regulas ante præ-  
 videat, quibus quid in quoque casu faciendum sit, rectè  
 possit

possit dignoscere. Quasi liber & cogitato, & actu præfinito, id non potuerit quisquam definire, quòd ex improviso, in rebus gerendis & actu (ut ita dicam) exercito definire fuerit facillimum. Et quasi quis jam non potuerit prævidendo justèque animadvertendo singulas rerum Circumstantias prudentis viri agere partes, in definiendo quid justum factu, quidque injustum sit, cum rebus agendis nondum implicatus sit; postea autem negotiis plurimum facessentibus & fluctu rerum agendarum ingruente, res omnes & actiones instantes, quales, cujusque meriti sint, poterit facilius æquâ justitiæ rutinâ ponderare.

Peripateticos fatemur in plurimis Nobilissimæ disciplinæ quæstionibus palmam cæteris, Stoicis præsertim atque Epicureis, præripuisse; ipsi tamen Peripatetici, ingentia licèt de Materia Ethica volumina conscripserint, in definitionibus tamen Justi atque Injusti, atque regulâ morum constituendâ (ad arbitrium boni viri extemporaneè profereendum omnia referentes) parum profecerunt. In iisdem definitionibus plures ex eadem Scholâ mini videntur circulum committere. Imprimis enim definiunt Prudentiam, *habitu agendi secundum rectam rationem*, rectam vice versâ rationem definiunt *viam, quæ est secundum prudentiam*.

Si autem recta ratio Regula & Amussis sit; Actio etiam moralis illud sit quod regulari inde & mensurari debeat; cavendum magnopere est ne in ipsa Regula sive Mensura sit error, & ne rationem non rectam, rectam dicamus. Illam autem sine scrupulo rectam rationem in moralibus poterimus dicere, quæ principiis à Deo Creatore Opt. Max. nobis inditis est conformis. Quod enim divinæ ideæ conforme est, rectum sit necesse est. Hæc igitur Principia, hasque practicas Notitias, quæ non aliunde quàm à summo Deo primùm provenisse sunt censendæ, quibusque communes humanæ vitæ actiones mensurari debent, si quo modo dignosci poterunt, operæ pretium erit totis viribus indagare.

Hunc summum igitur mihi proposui Operis finem; ut humanam Naturam diligenter excutiendo inveniam (cum bono Deo) quos ipse Naturans Pater altè in hominum animis defodit juris fontes; Notitiasque ipsas, ordinemque tam Rerum quam Notitiarum sic intuear, ut quid in quoque Circumstantiarum situ justum sit, possim, quantum natura

4  
patitur (in rebus præsertim quæ homini cum hominibus intercedunt) dignoscere & explicare.

## Num. 2. *Methodus & Partitio Ethica.*

Quoniam vero Ordo hujus Disciplinæ resolutivus apud eos habetur, quibus integrum aliquid de eâ scripisse contigit, isque omnium huic argumento maxime viderur naturalis, juste nobis imputari possit si aliâ methodo uteremur: nec Finem Virtutis, Felicitatem scil: illam quæ ex moralibus actionibus rite præstitis acquiri solet, imprimis contempleremur, & deinde ad media quibus hic finis adquiritur, Virtutes scil: morales, exploranda progredieremur. Sic antiquus mos, sic vulgaris ad hunc usque diem se habet Usus. Ciceronem si placet audiamus (is enim est, quem in hac de moribus doctrina præ vulgo Philosophorum plurimum suspicimus) *Omnis, inquit, de Officio duplex est questio: alterum genus, quod pertinet ad finem bonorum: alterum, quod positum est in præceptis, quibus in omnes partes usus vita confirmari potest. Off. 1.* Duplex proinde in Ethica tractatus est, *De finibus prior, posterior de Officiis.* Eandem etiam Ethicæ partitionem adfirmat. *Tusc. 5. De Honesto, inquit, & summo bono separatim libri sunt: Et cum ex eo efficiatur satis magnam in virtute ad beate vivendum esse vim, nihilominus hoc agunt separatim. Propriis enim & suis argumentis, & admonitionibus tractanda quæque res est, tanta præsertim.*

## Num. 3. *De fine moralium actionum.*

Adeo variæ de finibus mihi videntur hominum opinioniones, adeoque (ut nobis exhibentur) discrepantes, ut satius duxerim, ne in longum excurrat oratio, sine anxia, quid, & qua ratione aliud alii ponant, disquisitione, nudam propriæ mentis sententiam hac in re proponere.

1. Ordinar tamen cum *Aristotele*: *πάντα πρᾶξι τῆς ἀρετῆς ἀγαθὸν πρὸς ἑαυτῶν, in omni actione electioneq; bonū aliquid expeti; utque cæterarum actionum, sic & moralium esse aliquem Finem.* Secus si fieret, qui sapientiæ operam dant omni humano genere excordes magis & vesani viderentur.

Res

Res enim plerunque difficilis est Virtus; ardua & periculosa ad eam ducit via: neque crebris ad hanc rem indigemus Doctorum testimoniis, res ipsa loquitur. Absurde igitur facit, si quis existimet, viros bonos & sapientes ea esse animi vanitate, ut pericula & labores frustra velint, & nullius finis intuitu, subire,

2. *Honestæ cujusq; actionis, omniumq; qua secundum Virtutem fiunt, Finis, sollicitudinis anxietas, perturbationis videtur solutio: & contra, tranquillitatis serena & gaudii fructio, Quæ omnia sub nomine Voluptatis (quod jamdiu invidiam apud plerosq; contraxit vocabulum) intellexerunt veteres.*

Quemadmodum enim infantes, & bruta etiam pecora ad Pastum & Venere[m] prompti sunt, quia dulce illis apparet & Vesci, & Venere uti, ita mihi videntur homines virtutem amplecti & colere eâ ipsa ratione. Et sane ex quo attentius hanc rem perpendi, colendum existimavi summum illud Numen, naturæ autorem, qui felicem illam instituit virtutis & voluptatis *αὐτοῦ*, quique vitæ probæ actionumque moralium individua[m] voluit comitem jucunditatem. Quod ad naturalia attinet, nihil mihi magis sapere videtur quàm quod habet *Gassendus in 10. Diog. Laertii de morali Philosophia Epicuri*: 'Admirari, inquit, nos decet, eam fuisse solertiam sapientissimi naturæ opificis, qui, quia omnis operatio futura ex se laboriosa erat, etiâ quæ naturalis foret (testante *Aristotele*, etiam videre & audire rem esse ex se molestant, tametsi propter assuetudinem non sentiatur) idcirco omnem operationem blandimento voluptatis condidit; ac tanto esse vehementiorem voluit voluptatem, quanto ipsa operatio erat magis necessaria futura, sive ad totius generis, sive ad animalis cujusq; singularis conservacionem. Scilicet animalia aut non curarent, aut obliviscerentur, neque adverterent, quibus par foret temporibus seu conjugio operam dare propagando generi; seu comedere bibereque producendæ vitæ individui, nisi inditi essent stimuli, quibus molestiam creantibus, instigantibusq; admonerentur ejus actionis, cujus voluptas talem molestiam sedatura sit comes; unde & ad illam eliciendam feruntur. Hæc *Gassendus*. Et certe in moralibus non minus admirari nos oportet eam (ut *Gassendi* repetam *Phrasin*) sapientissimi naturæ opificis solertiam, qui, quia operatio



ratio secundum virtutem ex se laboriosa erat futura, idcirco eam blandimento voluptatis dividit. Neque enim curarent homines aut obliviscerentur, neque adverterent gratias referre, promissa servare, miseris succurrere, atque honestis hujusmodi operationibus incumbere, adeoque totius humani generis bonum procurare; nisi inditi essent stimuli, quibus admonerentur ejus actionis, cujus voluptas comes. Et satis egregium est illud *Max. Tyrii* infra citandum: *numm*, inquit, *quaro, an virtutem sine amore ejus ullo prosequatur animus? hunc si das amorem, voluptatem dedisti. Licet enim nomen permutet, nec voluptatem voces, diversa nomina admitto, rem tamen ipsam video, voluptatem agnosco.*

3. Operatio ipsa virtutis nullâ ratione finis mihi videtur. Nec potest esse, quæ ad aliud ordinatur, amotionem scilicet doloris, aut actuale illud & gestiens conscientiæ gaudium, propter quorum alterum omnis honesta instituitur operatio: ita ut medium rectissimè, finis nequaquam appellari debeat. Si quia placuit, fecisti rectè, certè voluptas finis. Deinde vult Schola, ut omnis operatio sit propter finem; ipsa igitur virtutis operatio cur extra communem sortem sit, non video: quæ, si propter finem, certè finis ultimus nullâ ratione est dicenda. Nec ita est manifestum, quomodo frustrâ fieri non censerentur, quæ nequaquam propter finem fiunt.

Cumque *Aristoteles* (in cujus gratiam hæc vulgo recepta est opinio, quod felicitati genus sit operatio) vocabulo *εὐσυχίας* utatur, prætereundum non censui, quod quidam in Schola interpretes negent per actionem aut operationem illud optimè reddi Nomen; suppleant autem per voculam *Actus*, quod cum incerti nimis sensus sit vocabulum, idcirco fortasse in Scholis æquius receptum est, quod ad arbitrium & dogmatis sui interesse exponi à quoq; facile possit. Neque dubitamus, quin si tanti res esset, etiam cum nostra hacce sententiâ possit, ad speciem saltem, conciliari:

Per *εὐσυχίας* (ita commentatus est *Reyherus*) *Aristoteles* non nudam operationem secundum virtutem intelligit, sed habitualem & expeditam muneris sui functionem, quæ habeat in se inclusam voluptatem. Voluptas ergo est potissimus Character *εὐσυχίας*. Dicit enim *non est is vir bonus qui honestis actionibus non delectatur*. Neque enim quisquam aut justum dixerit eum qui non ex juste factis capiat voluptatem;

tatem; aut liberalem, qui liberalibus actionibus non delectatur. Idemque de cæteris virtutibus sentiendum. Est ergo beatitudo quiddam optimum, pulcherrimum & jucundissimum. *Aristot. lib. 1. ad Nicom. c. 9.* sane non ineptè philosophari videntur qui felicitatem definiunt, *Aggregatum Actionum secundum virtutem cum tranquillitate & gratissimo eandem sensu conjunctum.* Ἡ δὲ δὴν ἐπιλογομῶν εἰς εὐαδὴν διδασκὼν τελευτῶντων ἤρταται τὸ μακρῆιον. Ita *Plutarchus in Consolatione: i. e. Ex rectis consiliis in affectionem Animi bene constitutam desinentibus pendet Felicitas.* Ea autem animi constitutio optime stabilita est, quæ aut tranquilla est & quieta plane, vel gaudii sinceri plena. Sed de summæ *Aristotelis* hac in re sententiâ ad calcem hujus capituli expressius, Deo volente, differemus.

**Num. 4. Certas esse veri Gaudii in viro bono & sapiente causas, & perpetuam esse rationem, cur Jucunditas ex bonis & Sollicitudo ex malis actionibus proveniat, breviter ostenditur.**

Non una semper & simplex ratio est, cujus intuitu quis possit in vitæ honestate & virtutum moralium exercitio sibi complacere. Est enim cum extraneæ potius quàm domesticæ honestè faciendum esse suadeant rationes. Puta, quòd quis ex Virtute suâ, vitæque probè actâ faciliorem habiturus sit ad opes, honores, dignitates, accessum; quòd gratior civibus suis & quibuscunque hominum rectè viventium societatibus evadat; quòd placidâ quiete & pace utens sic facilius rem suam & familiæ suæ possit promovere. Si quis autem sic virtutem expetat *ἐπί τῆς τιμῆς ἕνεκα*, (phrasi summæ *Aristotelis*) propter extraneam mercedem, non propter se expetere virtutem, cum antiquis omnibus philosophis plane consentio,

Una tamen mihi insuperabilis videtur ratio, quæq; apud sanos nunquam cessat, nunquam cedit, quamdiu mentis usus ex Dei gratiâ conceditur. Ea autem est Tranquillitatis animi, Indolentiæ & Jucunditatis ejus contemplatio, quæ Virtuti semper annexa est, nec ab ea separari potest, quæque

ex

ex reſtè aſtorum conſcientiâ proficiſci ſolet, ut proximo ar-  
 ticulo uberius declarabitur. Compertum enim eſt eatenus  
 hōmīnes ſpeciali illâ inquietudine animiq; anxietate ex  
 improbè faſtorum memoriâ pronatâ, liberari ſolere, quate-  
 nus Virtutem coluerunt; & aſtuali eorūdem perfundi con-  
 ſcientiæ gaudio, quatenus reſtè faſtorum aſtu recordantur.  
 Quique hac ratione virtutem amplectuntur, ob individuam  
 ſcil. Jucunditatem, eos virtutem propter ſe expetere  
 amplectiq; fere intelligimus. Atque ſic vulgò exponitur  
*pretium Virtutis in ſeipſa eſſe*, non in honore aut divitiis,  
 aut ſejunctis à ſe voluptatibus. Unde præceptum illud vul-  
 gatiffimum, *Ne te quaſi veris extra*, & illud *Macrobii in Som-  
 Seip. lib. 2. c. 16. Virtutis fructum ſapiens in conſcientiâ ponit,  
 minus perfectus in gloria*. Et illud *Boethii in Conſol. Phil.  
 Minuit quodammodo ſe probantis Conſcientia ſecretum, quoties  
 offentando quis factum recipit fama pretium*. Quo ſpectat &  
*Claudiam* illud,

*Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaq; latè  
 Fortuna ſecura nitet, nec faſcibus ullis  
 Erigitur, plauſive velis clareſcere vulgi.*

Ita ut non excludatur interna viri ſapientis delectatio,  
 ſed quæ proveniunt ab externis cauſæ ad virtutem motrices.  
 Scio Stoicos quorūdam aliud loquutos; quid opinati ſint, ne-  
 ſcio: mihi enim iis conſentire, quæ gens illa philoſopho-  
 rum dicitur, non ita eſt in promptu. Videtur enim paulo  
 περὶ τοῦ βίου virtutis exercitium voluptate abundare cumu-  
 latiſſimâ, nec tamen propter eam expeti. Virtutem nul-  
 lam aliam requirere voluptatem, ſed ad benè beatæque vi-  
 vendum ſeipſâ ſibiq; intrinſecâ & genuinâ voluptate eſſe  
 contentam, ratione jam expoſita dicimus, non tantum non  
 negantibus, verum etiam (utcunq; detrectatum ſit) appro-  
 bantibus Epicureis. Et ſane hoc in argumento Peripateti-  
 cam doctrinam ipſe philoſophus optimè explicariſſe viſus eſt.  
*Ethic. Nicom. c. 9. εἰδὲν*, inquit, *περὶ δὲ τῆς τῆς ἡδονῆς ὁ φι-  
 λοſόφων βίος, ὅσπερ περὶ τῆς τινός, ἀλλ' ἔχει τὴν ἡδονὴν ἐν ἑ-  
 αυτῷ*, Id eſt, *Viri Boni & ſapientis vita non extraneâ ſeu  
 forinſecâ aliqua voluptate indiget, qua aliunde exquiri &  
 ſibi Peripateticorum more appendi debeat, ſed ſuam habet vo-  
 luptatem*

*Ιουρατεως γεννηται & intrinsecam. ἔστι γὰρ εἶναι ἀγαθὸς ὁ μὴ  
χαίρειν τοῖς καλοῖς πράξεσιν· ἔτι γὰρ δικαίον ἔδειξεν ἂν ἦτοι ἢ  
μὴ χαίροντα τῷ δικαιοπραγεῖν· ἔτι ἐλευθέρειον ἢ μὴ χαίροντα  
τοῖς ἐλευθέρειοις πράξεσιν.*

‘ Neque enim is vir bonus est qui  
‘ honestis actionibus non delectatur ; neque quisquam aut  
‘ justum dixerit cum qui non ex iuste factis capiat voluptatē,  
‘ aut liberalem qui liberalibus actionibus non delectatur.

Perpicuum dicit *Boethius* ‘ Nunquam bonis præmia,  
‘ nunquam sua sceleribus deesse supplicia, rerum quæ ge-  
‘ runtur, illud propter quod unaquæque res geritur ejust-  
‘ dem rei præmium esse, uti currenti in stadio propter quam  
‘ curritur jacet præmium corona. Pœnitentiam autem  
‘ esse ipsum bonum propter quod omnia geruntur. Est, *in-*  
‘ *quit*, humanis actibus ipsum bonum veluti præmium com-  
‘ mune propositum, atqui hoc à Bonis non potest separari ;  
‘ neque enim bonus ullus jure vocabitur qui careat Bono.  
‘ Quare probos mores sua præmia non relinquunt. Quan-  
‘ tumlibet enim sæviant mali, sapienti tamen corona non  
‘ decideret, non arefceret. Neque enim probis animis pro-  
‘ prium decus aliena decerpit improbitas. Quod si extrin-  
‘ secus accepto lætaretur, poterat hoc vel alius quispiam,  
‘ vel ipse etiam qui contulisset auferre, sed quoniam id sua  
‘ cuique probitas confert ; tum suo præmiō carebit cum  
‘ probus esse defierit. *Deinde concludit*, Bonos omnes eo  
‘ quod Boni sint, beatos fieri, beati autem qui sunt, Deos  
‘ esse. Est igitur, *inquit*, præmium Bonorum quod nullus  
‘ deterat dies, nullius minuatur potestas, nullius fuscet im-  
‘ probitas, Deos fieri. Quæ cum ita sint de malorum  
‘ quoque inseparabili pœna dubitare sapiens nequeat, &c.

*lib. 4. Consol. Philosophi.*

Num. 5. *Testimonia Ethnicorum de Animi aegritudine, & tristitia, angoribus, & suspitionibus de futuro post vitam statu, quibus se molestari fatentur, qui extra leges naturæ vixerunt: quæ omnia ei felicitatis parti, quæ in animi tranquillitate atque Indolentia consistit, maxime sunt contraria.*

Viros improbos nequiter & inhoneste viventes suspitionibus, molestiis, conscientiaque frequentibus angoribus vexari, omnis nobiscum contestatur historia; adeo ut certissimum sit eos qui vitam suam prave instituerunt, & contra Naturæ leges ut plurimum peccaverunt, maximâ eâ felicitatis parte, quæ in Animi tranquillitate atque indolentiâ consistit, potiri non posse. Salubriter igitur aureo carmine præcepit Pythagoras.

Ἄλλα τὰ δ' ὀκτείνονται σὺ μὴ μετέπιπ' ἀνίσθη.

*Verumt ca fac, quæ te postea non molestant.*

Ubi supponit antiquissimus Philosophus dolorem semper κακοπραγίας comitem; alibi asseruit plus mali pati affectum conscientia, quam qui corpore castigatur aut flagris caditur. Ita Stobzus: cap. 22.

Hierocles, iustissimus modo laudati Pythagora interpretis, in carmen aureum non cuiquam prodesse asserit perjuris, cadibus aut aliis maleficiis divitias parare: quod inde necessario sequatur virum ejusmodi improbum ἢ ἀναιδίως ἔχον, vel sensu suo destitui, quod maximum sane malum est: ἢ οἷς αἰδησὴν ἐργασμένων ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλκόμενον σφραβῆσαι τὴν ψυχὴν, ἢ δειμαίνον τὰ ἐν Ἄδου κολασθῆναι, vel ex admissorum conscientia in eorum sensum pertractum animo distorteri & pœnas inferorum metuere. Eodem argumento sic præcipit Chilo,

Ζημίαν αἰρεῖσθαι μᾶλλον ἢ κέρδιον αἰχρῶν,  
Ἢ μὴν γὰρ παρὰ τὴν ἐλπίσιν, τὸ δὲ διὰ πάντας.

DAMNUM

*Dammum elige potius quam turpe lucrum :*

*Illud enim semel anxietatem parit ; hoc semper.*

*Ita Chylo in Laertio.* ‘Cicero pro Milone magnam asserit in utramque partem esse vim conscientia; ; ut neque timeant qui nihil commiserint, & poenā semper ante oculos versari putent qui peccaverint. ‘Securitatis inquit Seneca magna portio est, nihil iniqui facere, confusam vitam & perturbatam impotentes agunt: tantum metuunt, quantum nocent, nec ullo tempore vacant. Trepidant enim cum fecerunt, hærent, Conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respicere ad se cogit. Dat pœnas quisquis expectat ; quisquis autem meruit expectat : *Ita Seneca ; Epistola 105.* Ita de *Catilina Salustius*, postquam necato filio, vacuam domum scelestis *Orestilla* nuptiis fecerat, ‘Animus inquit impurus, Diis hominibusque infestus neque vigiliis neque quietibus sedari poterat ; Ita conscientia mentem exagitata vastabat. Color igitur exanguis, fœdi oculi, citus modò, modò tardus incessus, prorsus in facie vultuque vecordia inerat. *Salust : in Catilina.* Menelaus apud *Euripidem* cum videret Oresten casarie squallidâ & facie deturpatâ afflictè se gerentem propter interfectam à se Matrem, sic interrogat,

τί χῆμα πάραίς, τίς σ' ἀπόλλυσι νόστος ;

*Quam rem pateris? quis te perdit Morbus? Resp. Orestes*

ἢ Σύννοσις, ὅτι σνώσιδα δειν' ἐτρασμένος.

*Conscientiam : quod conscium sum me dira patrasse.*

*Ita Euripides in Oreste.* Juvenalis similiter

*Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi*

*Displicet auctori ; prima est hac Ultio, quod se*

*Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis*

*Gratia fallacis Pretoris viceris Urnam.*

*Et ad finem fere Satyra ----- Cur tamen hos tu*

*Evasisse pates, quos diri conscia facti*

*Mens habet attonitos, & surda verberare cedit,*

*Occultum, quatiense animo tortore, flagellum?*

*Pœna autem vehemens. ac multo savior illis*

*Quas aut Ceditius gravis invenit, aut Rhadamanibus,*

*Nocte, dieque suum gestare in pectore Testem.*

*Perpetua anxietas nec Mensa tempore cessat,*

*Faucibus, ut morbo, siccis, interque molares  
Difficili crescente cibo. Sed vina misellus  
Exruit, &c. ibid. Satyra. 13.*

‘ Sapiētis esse dicere ait *Plutarchus*, non, Vivus hoc  
‘ non patiar, sed, Vivus hoc non faciam. Non mentiar. Non  
‘ veteratoriā in circumscribendis hominibus versutiā utar.  
‘ Non invertam. Non insidiosè captabo. Hoc enim cum in  
‘ nobis sit positum, maximum jam constitutum est admini-  
‘ culum erigentibus sese ad animi securitatem. Facinoro-  
‘ sa vice versā Conscientia, instar Ulceris in corpore, pœ-  
‘ nitentiam relinquit in animā lancinantem jugiter ac per-  
‘ vellentem. Nam cum alias omnes tristitias ratio tollere  
‘ solita sit, sola hæc eadem pœnitentiam facit sponte suā  
‘ incitabilem præ pudore, quasque mordicus impetentem  
‘ sese atque excarnificantem. Ita *Stobæus*, c. 22. *Ex Plu-  
tarchi de Anima libro* jam desiderato. *Idem* libro de virtute  
& vitio *Pravitate* dixit *acerbans concubinam, quod curis  
& solitudinibus somnum avertat ac vitiet.* Et Disserta-  
tione singulari ubi *Morum pravitate* ad infelicitatem suf-  
ficere contendit, ‘ Multi, *inquit*, dū secantur tacent, tolerant  
‘ flagrorum ictus, cuneis adactis torti vocem emittunt nul-  
‘ lam: quandoquidem animus connivens vehementiam affe-  
‘ ctus, tanquā manu injecta comprimit atque cohibet. Nun-  
‘ quam autem excandescenti quietem imposueris, aut obpœ-  
‘ nitentiam ægro persuaseris ne vociferetur, ne in crines in-  
‘ volet suos, aut femur pulset. A deo vitium & igne & ferro  
‘ est violentius, &c. *ib.* De gaudio ex præstitis liberalitatis Of-  
ficiis, & dolore vice versā naturaliter promanante ex perpe-  
tratæ injuriæ sensu, satis ex prisca simplicitate pulchrum est  
quod habet *Hesiodus*, *Operum & dierum, lib. 1. ad finem.*

Δὲς ἀγαθὴ, εἰ παρὰ δὲ κακῆ, θανάτοιο δοπιῶς,

Ὅς μὲν γὰρ κινᾷ τὴν ἐθέλων, ὄχι γὰρ μὲγα δὴν,

ἤξει τῷ δῶρῳ, καὶ τὴν πῆλαι ἐν κατὰ θυμῶν.

*Donatio bona, rapina vero mala, atq; letifera;*

*Quicumque enim vir sponte dederit, etiamsi multum dederit,*

*Gaudet ex dono suo & delectatur suo in animo.*

Ὅς δὲ κινᾷ αὐτὸς ἔκλυται, ἀναδίδειναι πῆσαις,

Καὶ τὴν μικρὸν εἶναι, τότε ἐπιχρῶσιν φίλοι κῆρ.

Qui

Qui vero quicquam rapuerit, impudentia fretus.

Sit quamvis perexiguum, vexat tamen charam Mentem.

Quibus Hexametris pulcherrimum ponit *Hesiodus* utriusque voluptatis, tam quæ in Motu existit, quam quæ in Statu, Exemplum : Voluptas in Motu cernitur ἐν τῷ τέρπειδ' εὐδὲν θυμῶν, καὶ χαίρει τῷ δῶρῳ, eo quod vir bonus & misericors exulter, & suâ liberalitate delectetur. Indolentia etiam innuitur : cui enim abest ea mentis inquietudo & vexatio, qualis semper viros improbos & alienarum rerum raptores sequitur, is quietâ saltem & indolenti mente utitur.

Menander, Ὁ συνιστῶν ἑαυτῷ π, καὶ ἢ θεοειταίῳ,

Ἡ εὐνοία αὐτῶν δολότατον εἶναι ποιεῖ.

Qui sibi met alicujus rei est conscius, sit licet audacissimus  
Conscientia illum maxime meticulozum reddit.

Ipsa Conscientiæ Terriculamenta *Theodoricum* Gothorum regem propter immerito occisos *Symmachum* & *Boethium* extinxerunt : ut apud *Procopium*, lib. 1. *Histor. Goth.*

*Tacitus* de *Tiberio* Imp. lib. 6. *Annal.* ‘Facinora, inquit, & flagitia sua ipse quoque in supplicium verterat. Neque frustra præstantissimus sapiens affirmare solitus est, si recludantur Tyrannorum mentes, posse adspici laniatus & iætus; quando ut Corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe *Tiberium* non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas pateretur. Præstantissimi sapientis titulo hic *Platonem* indigitat, qui & laniatus malæ conscientiæ, & factæ injuriæ miseriam in *Gorgia* & *Alcibiade*, declarat. In primo autem de *Rep. libro.* ‘Quandò, inquit, aliquis vicinus morti videtur, invadit illum subito metus quidam & cura eorum de quibus antea non cogitavit, & sermones qui feruntur de inferis, nempe quod eos, qui hic alios læserint, illic pœnas luere oporteat, hætenus quidem ridiculi & fabulosi sunt visi, at tunc torquent animum ægrotantis : Atqui ipse, sive ex senectutis infirmitate, sive aliunde inferis viciniore magis, quæ illic



‘ illic aguntur considerat, suspicione itaque & metu plenus  
 ‘ animo versat ac pensitat, si quem læserit; at si deprehen-  
 ‘ derit se multa injustè fecisse in vitâ, ex somnis, tanquam  
 ‘ pueri, crebrò excitatus metuit, ac malâ cum spe vivit,

*Ovid. in Fast.*

*Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra  
 Pectora, pro facto, spemque metumque, suo.*

‘ Ipsæq; quæ finguntur, *Erinnyes*, nihil aliud sunt quàm  
 ‘ animi perturbationes ex mala conscientia, quæ perpetuo  
 ‘ comitantur turpia facta; atque ea de causâ *Erinnyes* di-  
 ‘ cuntur *μῦθους*, quòd pœnæ insequuntur commonefaci-  
 ‘ ant. Dicitur enim *Erinnyes ἀπὸ τῆς θεῶν ἐξουσίας*. Sic  
 ‘ *Heming, lib. de Lege Natura*. Nec est animadversione  
 indignum ipsos Epicureos, etiam reluctante suâ Philoso-  
 phia, idem sæpe fassos. Sic *Torquatus* apud *Ciceronem*  
 ‘ *de Finibus, Lib. I.* ‘ Si qui, inquit, satis Opibus homi-  
 ‘ num sibi contra conscientiam septi esse & muniti viden-  
 ‘ tur, Deorum tamen Numen horrent, easque ipsas solici-  
 ‘ tudines, quibus eorum Animi noctes atque dies exeduntur;  
 ‘ a Diis Immortalibus supplicii causâ importari putant.  
 ‘ Quæ autem tanta ex improbe factis ad minuendas vitæ  
 ‘ molestias accessio fieri potest, quanta ad augendas tum ex  
 ‘ conscientia factorum, tum pœnâ legum, odioque Civium?  
 Ubi potissimam Virtutis sectandæ causam non repudiat  
 strenuus Philosophiæ *Epicureæ* assertor, Evitationem scilicet  
 malæ suspicionis ex Vindictæ divinæ expectatione & so-  
 licitudinum quibus eorum Animi dies atque noctes exedun-  
 tur ex Deorum numinis horrore, quibus nullis Opibus mu-  
 niri satis posse improbos rectissime consentit sanius sane  
 Philosophatus quam Malmesburiensis noster ejusque secta-  
 tores; qui vel ipsam Vindictæ divinæ suspicionem abstulisse  
 conati sunt, qui vanum profus conscientia Nomen, &  
 distata ejusdem, Opiniones solummodo esse obstinatas do-  
 cuerunt, quæ vulgo sub tam venerabili coluntur nomine;  
 (v. *Leviath. p. 1. c. 7.*) Naturamque neminem ad Inno-  
 centiam aut Fidem obligasse, sed in statu Injuriarum ho-  
 mines sibi invicem non benevolos, non humanos, sed re-  
 vera ferinis saltem Moribus Lupos, Pardos, & Leones re-  
 liquisse.

liquisse. Sublata autem, (quod fecit *Hobbius*) naturæ lege, ob violatam istam Naturæ legem vindictæ divinæ nulla potuit esse nisi insanis expectatio.

**Num. 6. De Gaudio sapientis : Ubi Testimonia Ethnicorum recensentur de felicitate quam ipsi ex vitâ honestè & sapienter actâ consequabantur : Quæ partim in animi Tranquillitate & vacatione à male conscientiæ stimulis, perturbationeque mentis consequenti, partim in gaudio actuali & hilari, letâque bene actorum recordatione solebat consistere.**

Viros bonos & sapientes ex prudenti virtutum moralium usu non solum Animi tranquillitate frui, adeoque molestis & turbulentis suspicionibus, conscientiæque angoribus esse liberos ; verum etiam actuali aliquâ lætitiâ, gaudio, & voluptate perfundi (quæ voluptas in motu a veteribus quibusdam dici solebat) ex propriis eorum suffragiis & Testimoniis nunc est ostendendum. Atque in hoc testium Catalogo, quamvis præ superbia suâ Stoicâ ut plurimum insolentius infletur, producamus tamen imprimis *Senecam. Epistolâ, 59.* ‘ Si, inquit, appetis voluptates undique, & omnes, scito tibi tantum ex Sapientiâ, quantum ex gaudio deesse. Ad hoc cupis pervenire. Sed erras qui inter Divitias illuc venturum esse te speras. Inter honores gaudium, id est, inter sollicitudines, quæris ? Ista, quæ sic petis, tanquam datura lætitiâ ac voluptatem, causæ dolorum sunt. Omnes, inquam, illi, tendunt ad gaudium ; Sed unde stabile magnumque consequantur, ignorant. Ille ex conviviis & luxuriâ ; ille ex ambitione & circumfusa clientum turbâ ; ille ex amicâ ; alius ex studiorum liberalium vana ostentatione & nihil sanantibus literis. Omnes istos oblectamenta fallacia & brevia decipiunt : Sicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem insaniam  
‘ longi

longi temporis tardio pensat: sicut plausus & acclamatio-  
 nis secundæ favor, qui magnâ sollicitudine & partus est,  
 & expiandus. Hoc ergo cogita, hunc esse sapientiæ ef-  
 festum, gaudii æqualitatem. Talis est sapientis animus,  
 qualis mundus supra Lunam: semper illic serenum est.  
 Habes ergo, quare velis sapiens esse: quia nunquam sine  
 gaudio est. Gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum  
 conscientia. Non potest gaudere, nisi fortis, nisi ju-  
 stus, nisi temperans. Quid ergo, inquis, stulti ac mali  
 non gaudent? non magis, quam prædam nacti leones,  
 &c. *ibid.*

*Maximus Tyrius Dissert. 33.* ἰδὲν, inquit, τῶν πλεῶν  
 ἀρετῶν ἀπονομῆναι ἡδονῆς, καὶ γὰρ ὁ κατ' ἀρετὴν πυνῶν ἐκὼν φιλιὰ  
 ἡδονῆς ποιεῖ, παρῆσις ἢ παροδοκῆναι. Nullum, si voluptas  
 absit, appetendum honestum videtur: & qui laborem sponte ex  
 virtutis subit præscripto, amore voluptatis aut presentis hoc  
 facis aut futura. Et paulo post, καὶ γὰρ ἄλλοι ἐπ' ἄλλῃ ἐπι-  
 θῆς ὄνομα τῆς τέτων ἀπίαι, Ἀχιλλῷ μὲν ἀποθνήσκοντι ἐκόντι καὶ  
 πτωρῶντι ἀποθανόντι τῷ Παύλῳ, φιλιῶν, κα. Quamvis  
 enim aliis alias causas ascribas, ut *Achilli*, cum vindicandi  
 causâ *Patrocli* lubens moritur, amicitiam: *Agamemnoni*  
 vigilanti ante reliquos ac deliberanti, curam regni; *He-*  
*ctori* exercitum ducenti, primaque in acie pugnanti, stre-  
 nueque rem gerenti, patriæ salutem: nihil aliud dicis  
 quam voluptatis nomina. Et statim, Ego quidem virtu-  
 tem esse concedo; unam verò ex te quæram. An virtu-  
 tem sine amore ejus ullo persequatur animus? Hunc si das  
 amorem, voluptatem dedisti: Licet enim nomen per-  
 mutes, nec voluptatem voces, sed gaudium; diversa no-  
 mina admitto, rem tamen ipsam video, voluptatem ag-  
 nosco. Quæ quidem effecit ut *Hercules* ille, qui multis  
 & mirandis laboribus sese assuefecit, & frequentem ath-  
 letam se præstitit, qui cum belluis certavit, Tyrannos in-  
 vastit, feras aggressus est, qui cum violentis totius terræ  
 congressus est Imperatoribus, terramque securam, va-  
 cuamque monstris reddidit, & quasi purgavit, qui Oetam  
 petiit, ignem accessit, non alio manu ductore quàm mag-  
 nis divinisque quibusdam usus voluptatibus, quarum aliæ  
 comitabantur labores, sequebantur aliæ, sponte suâ su-  
 bierit hæc omnia. Atqui solos quos subit labores intue-  
 ris,

ris, voluptates verò, quibus pascitur, non vides, &c. *ibid.*

*Phadra* item apud *Euripidem* in *Hippolito* nullis se duci illecebris vult, ut lectum conjugalem dehonestet,

Μόνον ἢ τῆς φασ' ἀμύλας Βίη

Γυάμν' ἰσχυρὰς καὶ ἀγαθὴν ἴσθ' ἡμῶν.

*Solum hoc ajunt certare cum vita.*

*Si cui adest justa & honesta mens.* Eurip. in *Hippelito*.

Et *Sophocles*. 'Magna profectò res est si quis de innocentia suâ sibi conscius est. Ex *Stobæo serm. 22.*

*Antiphon*. 'Consciunt esse sibi in vita suâ nullius criminis, multum voluptatis parit. *Stobæus ibid.*

*Socrates* rogatus quinam tranquille viverent, 'illi, inquit;

'qui nullius absurditatis sibi conscii sunt. *Stob. ibid.* Cumq;

rogaretur a quopiam quid esset felicitas, 'voluptas, inquit, quam

'pœnitudo nulla sequitur. *Stob. Serm. 101. Cicero.*

'Conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum in-

'commodarum. *A. Torquato, Famil. Ep. lib. 6. Idem*

'orat. pro *Cluentio* sic. 'Si optimorum consiliorum atq;

'factorum testis in omni vita nobis conscientia adfuerit,

'sine ullo metu summa cum honestate vivemus. Consci-

'entia benè actæ vitæ multorumque benefactorum recorda-

'tio jucundissima est. *Cato major.*

*Hinc illud Bruti*, 'Certè non succumbam succumbenti-

'bus, nec vincar ab iis qui se vinci volunt: experiarque &

'tentabo omnia, nec desistam abstrahere a servitute Civi-

'tatem nostram: si sequuta fuerit, quæ debuit, fortuna,

'gaudebimus omnes; sin minus, ego tamen gaudebo.

'*Epaminondas*, cum vicisset *Lacedæmonios* apud *Man-*

'*tinæam*, simulque ipse gravi vulnere exanimari viderit se,

'ut primum despexit, quæsit, salvusne esset Clypeus; cum

'salvum esse flentes sui respondissent, rogavit essentne fusi

'hostes; cumque id quoque ut cupiebat, audisset, evelli

'jussit eam, quâ erat transfixus, hastam; ita multo san-

'guine profuso (*en ob pulchre facta in ipsâ morte gaudium*)

'in lætitiâ & victoriâ est mortuus. *Cic. lib. 2. De finibus.*

*Famblicius*, Διαπειραμένος δὲ τοῦτον ἔχων ἢ δόξαν, οἷς δ' ἡμῶν

ἀγαθὸς ἀπὸ σωφρον ἂν καὶ δικαιοῦ ἐυδαίμων ἐστὶ καὶ μακάριος ἰδόντο

πίστεως καὶ ἰσχυροῦς, ἰδόντο μικροῦς καὶ ἀδικοῦς, καὶ ἰδὼν πλουτῆ καὶ μὴ ἰδόντο

ἀρετῆ καὶ κινδύετο καὶ μίση μᾶλλον, ἢ ἢ ἀδικῶν, ἀθλοῦς τε ἐστὶ καὶ

ἀρετῆς ζῆ. *Hanc, inquit Famblicius, sententiâ firmiter reti-*

'nere oportet, bonū quidem virū, si temperans ac iustus sit,  
 'felicem beatamque esse, sive is sit magnus atque robustus,  
 'sive parvus atque imbecillus, sive dives, sive etiam pau-  
 'per sit: sin autem Cynarā aut Midā divitiis magis abun-  
 'det, sit verò iniustus, ille & miser est & anxie vitam  
 'transigit. *Protreptic. cap. 19.* & in sequentibus cum Pul-  
 'chritudinem, Divitias, Corporis valetudinem, sensuum  
 'acumen, Tyrannidem cum facultate omnia ad libitum fa-  
 'ciendi, inter reputata bona numerasset, deinde hæc omnia  
 'habenti accedere immortalitatem etiā supponi voluit, con-  
 'cludit tamen, καὶ τὸ ὄραν, καὶ τὸ ἀκούειν, καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι, καὶ τὸ  
 'παρέρπει ζῆν, μέγιστον ἰσὺ κακῶν ἢ ἑύμπαυλα χρόνον ἀδύνατον  
 'ὄντα, κλ. 'Et cernere, & audire, sensuque aliquid per-  
 'cipere, & in universum vivere, maximum quidem malum  
 'est toto tempore immortalis existenti & possidenti omnia,  
 'quæ dicuntur bona, exceptā iustitiā omnique virtute.  
 'Minus verò malum, si ista possidens quàm minimo tem-  
 'po e supervivat. *Ratio est, ὅτι δ' ἀδίκως ζῶν καὶ ὑβριστικῶς,*  
 'ἢ ἀνάγκης αἰσχρῶς ζῆν, εἰ δ' αἰσχρῶς, καὶ κακῶς, ὅτε καὶ ἀνόως  
 'ζῆν, καὶ ἐξομφορέοντος αὐτοῦ. 'Quia qui injustè vivit & con-  
 'tumeliosè, necessario etiam turpiter vivit; quòd si tur-  
 'piter, ergo etiam malè: Itaque in jucundè vivit & parum  
 'sibi utiliter: *id. ib.*

**Num. 7. Quod secundum naturam sit omni-  
 ratione & operà niti, ut dolor ille animi  
 ex malefactorum conscientia evitetur,  
 Voluptasque ex benefactorum recordatio-  
 ne promanans conquiratur.**

'Omne animal (sic apud Ciceronem ex Epicuri sententiâ  
 'asserit Torquatus) sumit atque natum sit, voluptatem ap-  
 'petit, eaque gaudet ut summo bono; dolorem asper-  
 'natur ut summum malum, & quantum possit à se repellit  
 'neque opus est ratione aut disputatione, quamobrem vo-  
 'luptas expetenda, fugiendus dolor sit, sentiri autem hoc,  
 'ut, calere ignem, nivem esse albam, dulce mel: quorum  
 'nihil oportet exquisitis rationibus confirmare, tantum sa-  
 'tis

⁶ tis est admonere. *Cicero de Finibus, lib. 1. num. 9.*

⁶ *Zeno* contendere, & magnâ voce dicere solebat, Eum  
 ⁶ esse beatum, qui præsentibus voluptatibus frueretur, con-  
 ⁶ fideretque se esse fruiturum aut in omni, aut in magna  
 ⁶ parte vitæ, dolore non interveniente: aut si interveni-  
 ⁶ ret, si summus foret, futurum brevem, si productior, plus  
 ⁶ habiturum jucundi, quàm mali: Hæc cogitantem fore  
 ⁶ beatum; præsertim si ante perceptis bonis contentus es-  
 ⁶ set, nec Deos extimesceret. *Cicero Tusc. q. lib. 3. n. 38.*  
 Pulcherrima quidem, ut mihi videtur, sententia, nisi in  
 extremo venenum traheret. Alibi etiam luculentissimæ  
 hac de re extant Gnomæ: & revera, ut probat satis *de Finib.*  
*Torquatus*, 'Communis videtur anticipatio, voluptatem, do-  
 ⁶ lore vacare, & jucunditate perfundi, per se esse appetibi-  
 ⁶ lia; quique rejiciunt voluptates, non alia ratione id facere,  
 ⁶ quam ut potiores, majoresque consequantur; qui dolores  
 ⁶ lubentes subeunt, ut graviores evitent, levioribus se sub-  
 ⁶ mittere. Hinc etiam ipsis Christianæ fidei cultoribus na-  
 tum est Vitæ cœlestis post mortem desiderium, quod vo-  
 luptate abundet, qualem nec sperare *Zeno* ille poterat.  
 Apud Deum enim gaudii esse plenitudinem narrat *Psalter*,  
 (a) quod intensiorem affectûs spectat; & voluptates in  
 æternum duraturas, ne quis de earum extensione dubitaret.

Quod cum expeditum sit omnem dolorem esse fugien-  
 dum, Jucunditatem & Gaudium per se esse amplectenda,  
 certe Gaudium ex factis secundum rationem institutis est  
 appetibile, quod multum ad humanam felicitatem conferat,  
 eidemque nihil detrahat. Nec minus (si non etiam magis)  
 quam cæteri dolores, Dolor ille, & conscientiz propter  
 impiè facta Inquietudo Malum, & sapienti magnopere fu-  
 giendum, videbitur. Tritum in Scholis est illud, *Quod conve-*  
*niunt Enti quâ Ens, convenit omni Enti.* Quod conve-  
 niunt Dolori quâ Dolor est, huic etiam, de quo loquimur,  
 dolori; quod Voluptati quâ Voluptas, non minus Volup-  
 tati ex bene factis, quàm cæteris voluptatibus, necessariò  
 competet. Quod si plures proponantur Voluptates, al-  
 tera ex sensu Animali, altera ex Rationali proveniens, eam

(a) Vide Concionem nostram Theologicam in *Psal. 16. v. ult.*

esse sequendam potioremq; esse, quam princeps Honoris pars, Mens scil. & ratio suaserit sequendam, antiquior saniorque sensit Philosophia: Quod & nos infra plenius uberiusque confirmabimus,

**Num. 8. De Comparatione Finium. An Bonum Conservationis Bono Perfectionis sit præstantius & eligibilius? An ex Appetitu sensitivo an ex Rationali major sit Felicitas & Voluptas?**

Moderni Novatores de vitâ hac temporali conservanda unice solliciti, nullum alium Finem sibi proponi volunt quàm ejusdem Conservationem. De nobiliori præstantiorique sui parte, Animâ scil. rationali, adeoque de felicitate quæ puram immortalemque mentem spectat, nihil solliciti. Verulamius contra noster, priusquam monstruosus ille *Hobbii* nasceretur *Leviathan* vel *Civis*, rectissimè observavit ex triplici bonorum genere, quæ Appetitum omnia humanum feriunt, *Conservationis* scil. *Extensionis* & *Perfectionis sui*, Bonum maximum esse sui *Perfectionem*; Minimum verò & cæteris posthabendum sui *Conservationem*. Non opus est ut longâ rationum ambage jam probare coner, Felicitates & Virtutes Animæ omnibus aliis vitæ hujus deliciis & Oblectamentis esse potiores, præsertim cum hoc (a) aliàs fecerim. Ne tamen præ *Audaciâ* sua nimis adhuc insultent Novatores, qui contrarium suadere cupiunt, discantque non nunc primum Civilem moralem Doctrinam esse cum *Hobbio* natam, Veteresque Philosophos Hypothesin, quam proposui *Hobbiana* adversariam; communiter defendisse, operæ pretium duxi his Commentariis ostendere.

Philosophi sane antiquiores Hominem ex Immortali Animâ, mortali corpore constitui consenserunt, Unumquemque se ipsum noscere, in se descendere, Animamque

(a) Vide *Tract. nostrum de Frib. Virtutis Christianæ. conc. Of the Chiefest good.*

potiorem

potioſiorem ſui partem procurare felicem, fortiter præceperunt. Artem felicitatis conſequendæ, quam Sapientiam dixerunt, in Operatione Virtutum voluerunt conſtitutam. Tranquillitatem Animi, Gaudia & Voluptates eidem conſequentes, & generaliter mentales corporalibus Voluptatibus prætulērunt. Omnes Academicos, ſcil. Peripateticos, Stoicos, alioſque (nec iſtis exceptis Epicureis) aſſerimus, cum *Hobbio*, eſſe ſaſſos 'Naturam eſſe ſui Conſervatricem, ut ſalva ſit, & genere conſervetur ſuo. Ad hanc rem aiebant artes eſſe exquisitas, quæ Naturam adjuvarent; in quibus ea numerabatur imprimis quæ Vivendi ars eſt, ut tueatur quod a Naturâ datum eſt, & quod deſit acquirat. Idem tamen diſiſerunt Naturam Hominiſ in Animam & Corpus; Cumque eorum unumquodque per ſe eſſe expetendum dixiſſent, Virtutes quoque utriuſque per ſe expetendas dicebant: Cum animam quâdam infinita laude anteponerent corpori, virtutes quoque animi, bonis Corporis anteponerent, &c. apud *Ciceronem de Finib. 4.* Quibus conſentanea habet etiam. *De Finib lib. 5.* 'Perſpicuum ex eo eſt, quoniam ipſi a nobis diligamur, omniaque & in animo & in corpore perfectæ velimus eſſe, ea nobis ipſa cara eſſe propter ſe, & in iis eſſe ad bene vivendum momenta maxima. Nam cui propoſita ſit ſui conſervatio, neceſſe eſt huic partes quoque ſui caras eſſe, carioresque quo perfectiores ſint, & magis in ſuo genere laudabiles. Ea enim vita expetitur quæ ſit animi corporiſque expleta virtutibus: in eoque ſummum bonum poni neceſſe eſt. Quandoquidem id tale eſſe debeat ut rerum expetendarum ſit extremum. Quibus expoſitis facilis eſt conjeſtura ea maximè eſſe expetenda ex noſtris quæ plurimum habent dignitatis: Ut optimæ cujuſque partis, quæ per ſe expetatur, Virtus ſit expetenda maximè. Ita fiet ut animi Virtus corporis Virtuti anteponatur; Animique virtutes non voluntarias vincant virtutes voluntariæ, quæ quidem proprie virtutes appellantur, multumque excellunt, propterea quod ex ratione gignuntur, quâ nihil eſt in homine divinius. Sanè qui eas virtutes non penſi faciunt de *conſervatione* ſolummodo ſua, *non perfectione*, ſoliciti, rectiſſime, ut ibidem inquit *Ciceronianus Piſo*, *Suibus comparantur*, qui *Animam habent*



*habent pro sale, tantum ne putrescerent, sed quoquo modo conserventur. Aristo (ut ibidem narrat Piso) præter vitia & virtutes negavit ullam rem esse aut expetendam aut fugiendam. Stoici similiter cætera præter virtutes præposita saltem esse, bona non esse pronuntiabant. Piso autem de Peripateticis, cæterisque communiter Philosophis, ' Illa, ' inquit, quæ sunt à nobis Bona corporis numerata, complent ea quidem beatissimam vitam, sed ita ut sine iis possit vita beata consistere: Ita enim parvæ sunt, & exiguæ istæ accessiones Bonorum, ut quemadmodum stellæ in radio solis, sic istæ in virtutum splendore ne cernantur quidem.*

*' Atque ut vere dicitur parva esse ad beate vivendum momenta ista corporis commodorum; sic nimis violentum est nulla esse dicere. Et postmodum asserit ' Philosophi esse, non tam gloriosa quàm vera quærentis, videre tantam Vim Virtutis, tantam auctoritatem honestatis, ut reliqua illa non quidem nulla, sed ita parva sint ut nulla videantur, Quæ fuit inter Peripateticos & Stoicos hoc in argumenro Opinionum differentia in Tertio de Finib. sic exposuit M. Cato. ' Peripateticis dicendum est, quæ & honesta actio sit & sine dolore, eam magis esse expetendam, quam si esset eadem actio cum dolore. ' Nobis (scil. Stoicis) aliter videtur (recte, secusne, potestne, sed potestne major esse dissentio?) Ut enim obscuratur & Offunditur luce solis lumen lucernæ; & ut interit magnitudine Maris Egæi stilla Mariæ; & ut in Divitiis Cræsi teruncij Accessio, & gradus unus in eâ Viâ quæ hinc est in Indiam: sic cum sit is Bonorum Finis quem Stoici dicunt, Omnis ista rerum in corpore sitarum æstimationo, splendore Virtutis & magnitudine obscuretur & obruatur, atque intereat necesse est. Rectius sane Peripatetici qui Bonorum corporis æstimationem, si ad Animi bona comparentur, obscurari fatentur, interire negant. Uterque tamen tam Peripateticus quam Stoicus, bona animi, bonis quæ dicuntur corporis & fortunæ, longe prætulit.*

*' Chrysippus exponens differentias animantium, ait, alias earum corpore excellere, alias etiam animo, nonnullas valere utraq; re: deinde disputat quod cujusq; generis Animantis*

† mantis statui deceat extremum. Cum autem hominem in  
 † eo genere posuisset, ut ei tribueret Animi excellentiam,  
 † summum Bonum id constituit, non excellere Animo, sed  
 † **UT NIHIL ESSE PRÆTER ANIMUM**  
 † **VIDERETUR.** Uno autem modo in virtute solâ  
 † summum Bonum rectè poneretur, si quod esset Animal  
 † quod totum ex mente constaret. Sic deinde fatetur *Cicero*.  
 † In quibus propter eorum exiguitatem Obscuratio conse-  
 † quitur, sæpe accidere, ut nihil intersit nostra, sint illa, nec ne  
 † sint. Ut in sole lucernâ adhibere nihil interest, aut terun-  
 † cû addere *Craffi* pecuniæ. Quibus autè in rebus obscuratio  
 † tanta non sit, fieri tamen potest, ut id ipsum quod interest  
 † non sit magnum, ut ei qui jucunde vixerit annos deceat,  
 † si æque jucunda vita mentis addatur, quia momentum  
 † aliquod habeat ad jucundum accessio, Bonum sit. Sin au-  
 † tem id non concedatur, non continuo vita beata tollitur.  
 † Bona enim corporis huic sunt quod posterius posui simi-  
 † liora. Habent enim Accessionem dignam in qua labo-  
 † retur. Ut mihi in hoc Stoici joculari videantur interdum,  
 † cum ita dicant, si ad illam vitam quæ cum virtute dega-  
 † tur, ampulla aut strigilis accedat, sumpturum Sapientem  
 † eam vitam potius, quo hæc adjecta sint, nec beatiorum  
 † tamen ob eam causam fore. Hoc simile tandem est non  
 † risu potius quam oratione ejiciendum? Ampulla enim sit  
 † nec ne, quis non jure optimo irrideatur si laboret.? At  
 † vero gravitate membrorum, & cruciatu dolorum, si quis  
 † quem levet, magnam inerat gratiam: Nec si ille sapiens ad  
 † Tortoris euleum à tyranno ire cogatur, similem habeat  
 † vultum ac si ampullam perdidisset, &c. videantur apud  
 † *Ciceronem de fin. 4.* Sicut enim Epicurei Animi im-  
 † mortalitatis curam à se amovere fatebantur, sic Stoici Cor-  
 † poris hujus penitus curam seponere se gloriabantur; quam-  
 † obrem non immerito à *Cicerone* ibidem partes Academicorum  
 † & Peripateticorum sustinente sunt castigati. † Om-  
 † nis, inquit, Natura est diligens sui. Quæ est enim quæ  
 † se unquam deserat, aut partem aliquam sui, aut ejus par-  
 † tis habitum, aut vim, aut ullius earum rerum quæ secun-  
 † dum naturam sunt aut motum aut statum? Quomodo  
 † igitur evenit, ut hominis Natura sola esset, quæ homi-  
 † nem relinqueret, quæ oblivisceretur corporis, quæ sum-  
 † mum

'mum bonum non in toto homine, sed in parte hominis  
 'poneret? *Et paulo post.* 'Si nihil in homine perficien-  
 'dum est præter motum Ingenii quendam, *id est,* ratio-  
 'nem; necesse est homini ultimum esse ex virtute vitam  
 'fingere. Rationis enim perfectio est Virtus. Si nihil nisi  
 'corpus, summa erunt illa Valetudo, Vacuitas doloris, pul-  
 'chritudo, &c. Nunc de Hominis (totius scil. ex Animo  
 '& corpore compositi) summo bono quaeritur: Quid ergo  
 'dubitamus in tota ejus natura quaerere quid sit effectum?  
 Deinde philosophos, qui aut corporis perfectiones aut animi  
 prorsus a curâ rejiciunt, idem facere ait; ut si lævam partem  
 negligenter, dexteram tuerentur; adeoque eorum curam  
 esse sententiam; aliorum è contra perfectam & plenam  
 esse, qui cum de hominis Bono quaerent, nullam in eo  
 neque Animi neque corporis partem vacuum tutela reli-  
 querunt. De *Aristotele, Xenocrate, &* tota illa familia,  
 asserit eos non ita sola virtute finem bonorum contineri pu-  
 tasse, ut rebus tamen omnibus virtutem anteponerent.  
*Epicurum, Hieronymum,* illosque qui *Carneadem* fi-  
 nem tueri voluerunt, Virtutem omnino à bonorum fine se-  
 gregasse; *Polemone* etiam, & Magistrum ejus, & totam  
 illam gentem Virtutem omnibus rebus multo anteponere,  
 adungere tamen ei aliquid Summo in Bono finiendo.  
 Quod de *Aristotele* observavit, *de Fin. 2.* eum scil. virtutis  
 usus cum vitæ perfectæ prosperitate conjunxisse, & (stylo  
 proprio, licet aliter fere Moderni interpretentur) τῆς ἀρε-  
 τῆς ἐνεργείαν τῷ βίῳ πλεῖσθαι copulasse.

Quaestio item non incelebris inter Epicureos ceterosque  
 philosophos agitabatur aliquando. An reprehendendi sint  
 luxuriosi, qui sapienter se in luxuria gesserint? &, An in  
 voluptate corporali vel sapientissime ordinata, felicitas  
 aut summum bonum possit constitui? affirmabant fere Epi-  
 curei: ceteri omnes uno consensu negabant. Hac in re  
 egregium est *Ciceronis* argumentum, *lib. de Finib. 2.* 'Si  
 'ita dicit, non reprehendendos luxuriosos, si sapientes sint,  
 'dicit absurde: similiter ac si dicat, non reprehendendos  
 'parricidas, si nec cupidi sint, nec deos metuant, nec  
 'mortem nec Dolorem. Et tamen quid attinet Luxuriosis  
 'ullam exceptionem dare, aut fingere aliquos qui cum  
 'luxuriose viverent, a summo Philosopho non reprehen-  
 'derentur

derentur eo nomine duntaxat, dummodo cætera ca-  
 verent. Sed tamen nonne reprehenderes *Epicure*  
 luxuriosos, ob eam ipsam causam quod ita viverent,  
 ut persequerentur cujusque modi voluptates? &c.  
 Nota bene, Luxuriosum hic formaliter definitum, qui  
 Bonis Animi postpositis puræ Mentis gaudiis voluptates  
 quascunque corporales vel sapientissime ordinatas præ-  
 tulerit. Et paulo post: 'Hic homo severus luxuriam  
 per seipsam reprehendendam non putat; & hercule  
*Torquate* si verum loquamur, si voluptas (*scil corporalis*)  
 summum bonum est, rectissime non putat. Nolim enim  
 mihi fingere asotos, uti soletis, qui in mensam vomant; &  
 qui de conviviis auferuntur, crudique postridiè se rursus  
 ingurgitant: Qui solem, ut ajunt, nec occidentem un-  
 quam viderunt, nec orientem; Qui consumptis patrimo-  
 niis egeant; nemo nostram istius generis asotos jucunde  
 putat vivere. Mundos, elegantes, optimis cocis, pisto-  
 ribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exqui-  
 sitis, vitantes cruditatem, quibus vinum diffusum è ple-  
 no sit ænophoro, (*ut ait Lucilius*) cui nihil demperit  
 Nix, nec (a) sacculus abstulerit adhibentes ludos & quæ se-  
 quuntur, illa quibus detractis clamat *Epicurus* se nescire  
 quid sit Bonum: adsint etiam formosi pueri qui mini-  
 strent, resplendeat his vestis, Argentum, æs Corinthia-  
 cum aut Deltacum. Locus ipse, ædificium. Hos quidem  
 ego asotos bene vivere ac beats, nunquam dixerim (N.  
 B. asotos dicit magnifice viventes, qui de Bonis corporis  
 solummodo sunt solliciti.) 'Ex quibus efficitur non ut vo-  
 luptas (*corporalis*) ne sit voluptas, sed ut Voluptas (*scil*  
*corporalis*) non sit summum bonum. Nec ille, qui *Dio-*  
*genem* Stoicum adolescens, post etiam *Panacium* saudie-  
 rat *Lalius*, eo dictus est sapiens, quod non intelligeret  
 quid suavissimum esset: (Nec enim sequitur ut cui cor  
 sapiat, ei non sapiat palatus.) sed quia parvi id duceret. Is  
 in voluptate nihil ponens, negat eum bene cænare, qui  
 omnia ponat in voluptate (*scil corporali*.) Cænabat sem-  
 per *Lalius* bene. Quid bene? dicit *Lucilius*, cocto, con-  
 dito, sed cedo caput cænz, sermone bono --- Recte is

(a) Vide Varias ibidem Lectiozes.

' negat bene unquam cœnasse *Gallonium*, recte miserum;  
 ' cum præsertim in eo omne studium consumeret. Cur  
 ' igitur non bene? quia quod bene, id est recte, frugaliter,  
 ' honeste; Ille vero male, nequiter, turpiter cœnabat. Non  
 ' igitur nec *Lapathi* suavitatem, accipenseris *Gallonis La-*  
 ' *lius* anteponebat, sed suavitatem ipsam negligebat, quod  
 ' non faceret, si in voluptate (*scil corporali*) summum  
 ' Bonum poneret. Semovenda igitur (*hæc*) non so-  
 ' lum ut recta sequamini, sed etiam ut loqui deceat  
 ' frugaliter. Possumusne igitur in vita summum bo-  
 ' num dicere Voluptatem, cum id ne in cœna quidem  
 ' posse videamur? *Et ad finem fere ejusdem libri 2 de Fin.*  
 ' Ad altiora quædam & magnificentiora, mihi cre-  
 ' de, *Torquate*, nati sumus, quam corporis voluptates.  
 ' Nec id ex Animi solum partibus, in quibus inest me-  
 ' moria rerum innumerabilium, & ea quidem infinita;  
 ' inest conjectura consequentium non multum a Divina-  
 ' tione differens; inest moderator Cupiditatis Pudor; inest  
 ' ad humanam societatem justitiæ fida custodia; inest per-  
 ' petiendis laboribus firma, & stabilis mortis contemptio:  
 ' Ergo hæc in Animis. Tu etiam membra ipsa, sensusque  
 ' considera: quæ tibi ut reliquæ corporis partes, non co-  
 ' mites solum virtutum, sed ministri etiam videbuntur.  
 ' Sed quæro, Num existimes, non dico *Homerum*, *Pinda-*  
 ' *rum*, *Archilochum*, sed *Phydiam*, *Policletum*, *Zenxin*  
 ' ad voluptates (*scil corporales*) artes suas direxisse? Ergo  
 ' opifex plus sibi proponet ad formarum, quam Civis ex-  
 ' cellens ad factorum pulchritudinem? Quæ autem est  
 ' alia causa erroris tanti, tam longe lateque diffusi, nisi  
 ' quod is qui voluptatem [*corporalem*] summum Bonum  
 ' esse decernit, non cum ea parte Animi, in qua inest Ra-  
 ' tio & Consilium, sed cum Cupiditate, id est, cum Animi  
 ' levissima parte, deliberat? Quæro enim de te. Si sint Dii,  
 ' ut vos etiam [*Epicurei*] putatis, qui possunt esse beati,  
 ' cum Voluptates corpore percipere non possint? Si sine  
 ' eo genere Voluptatis beati sint, cur similem Animi usum  
 ' in Sapiente esse nolitis? &c. *ib.*

Ad Comparationem etiam Bonorum animi & corporis  
 spectant illa *Andronici Rhodii* optimi Ethicorum *Arist.* ad  
*Nicomachum* interpretis, lib. x, c. 7: ad finem. Τὸ βέλτερον,  
 inquit,

inquirit, καὶ τὸ βελτίον ἔμενος μάλλον τῆ ἑυδαιμονίᾳ θεωρεῖται, ἔτι ἢ μὴ ἀπολαύσει τῶν σωματικῶν ἡδονῶν κοινῇ ἔστι καὶ τοῖς τυχεύουσιν καὶ τοῖς φάυλοις, καὶ ἀνδραπόδοις, καὶ τοῖς μοχθηροτάτοις ἔτι ἐστὶν ἔχθρον ἢ τοῖς ἀείροις· ἢ ἡ ἑυδαιμονία τῶν ἀείρων λέγεται μόνον, καὶ ἑδὴς ἂν εἴποι καὶ τοῖς φάυλοις θεωρεῖται. *Quod melius est, et ad meliorem partem spectat, illud felicitati maxime convenit. Præterea corporearum voluptatum usus plebeis, improbis et servilibus ingenis hominibus communis est, neque improbiis minus adsunt quam optimis. At solum optimorum dicitur esse felicitas; neque quisquam eam improbis adesse dixerit. Quibus etiam plane consentanea est Hieroclis in aureum illud Pythagoræ egregia commentatio,*

Ἄλλα διδάσκω

Ὅσα χρεῶν καὶ τρυφῶντων βίον ἔστι διδῆναι.

Ὁ ἀρετῆ διακρίτων, inquit, καὶ ἡδονῆς ἀμεταμελήτως χρεῶν ἔστι μιμνήσκου τὸ τῆ ἀρετῆς μόνιμον. κα. Ille qui virtute præditus est voluptates percipit quarum nunquam poenitere potest, quæ scilicet virtutis ipsius stabilitatem imitantur. Ita enim natura comparatum est, ut Voluptas omnis actionis cujuslibet comes sit sive accessio. Non enim illa per se subsistit, sed nos alia atque alia gerentes comitatur. Unde fit ut deteriores actiones illæ etiam subsequantur voluptates (si voluptates sint vocandæ) quæ malæ sunt, præstantiores quæ bonæ. Adeo ut non solum in Operatione virtutis bonus malo præferat, sed ipsa etiam voluptate, qua sola ad vitia duci videtur Improbus. Quanto enim Dispositio Dispositione melior, tanto Voluptas etiam voluptate melior & eligibilior. Quoniam igitur quæ secundum virtutem vita est, divinam similitudinem exhibens, revera divina est, vitiosorum autem belluina & a Deo aliena; pariter & manifestum est viri boni voluptatem, divinam lætitiâ imitari (quæ eadem Animo humano & Deo adheret) Improbi autem quam dicunt voluptatem (detur enim & ei commune nomen) ad insanos & belluinos motus esse referendam. Notabile est quòd cum tantopere viri boni & sapientis voluptatem celebraverit; Improbi, quasi eodem vocabulo indignam, non simpliciter voluptatem, sed *Voluptatem λερωμένην*, & ad hanc non nisi sub veniæ Clausula, *διδῶν κοινῶν τὸ ὄνομα*, idem voluptatis Nomen feris

improborum sensationibus adhibuerit. Pecudis enim est non hominis voluptatem ex appetitu animali ei, quæ ex rationali derivatur, anteferre. Recte observavit *Aristoteles Eth. Nic. lib. 1. c. 9.* ὅτι πῖς μὴ πολλοῖς τὰ ἡδέα μάχεται διὰ τὸ μὴ εὔσει τοιαῦτα εἶναι, τίς ἢ φιλοκάλους ἐδ' ἡδία τὰ εὔσει ἡδέα. *Quod quia vulgo compreunt ea inter se pugnent voluptates, propterea quod non sint natura ipsa iucunda. Homi- nibus vero iusti & honesti studiosis adsunt voluptates quæ natura ipsa sunt iucundissima.* Quis hostis, inquit *Seneca*, in quenguâ tam contumeliosus fuit quâ in quosquâ Voluptates suæ? Sufficit enim alicui si hoste suum excæcat, Voluptates autem (*hominum scil. pravorum & impotentium*) non solû excæcant voluptuosos, sed etiâ impotentes reddunt, & contractos & leprosos, & diversis aliis infirmitatibus con- fringunt. Infinita extant huiusmodi, quibus (tanquam floribus) veterum scripta sunt conspersa. Restat solum ut caput hoc nervosa illa & tantum non divina *Marci Antonini* Oratione concludamus, quæ extat, *lib. 3. cap. 6.* Εἰ μὴ κρείττον εὐείσκεις ἐν τῷ ἀνθρωπίνῳ βίῳ διακισούνης, Ἀληθείας, σωφροσύνης, ἀνδρείας, καὶ ἁδύπαξ τῷ ἀρεκίδαι ἐαυτῇ τῷ διατρο- ἀν σου, ἐν οἷς καὶ ἡ λόγον ἢ ὀρεδὸν φεράωντά σε παρέχεται, καὶ ἐν τῇ εἰμαρμένῃ, ἐν τοῖς ἀποραιρέτως ἀπονομομαίνοις. Εἰ τέλει φημι, κρείσσον π ἐρεῖς, ἐπ' ὁκῆνο τραπίμων, τῷ αἰείκε εὐειδοκμί- γε ἀπέλαυε. Εἰ ἢ μηδὲν κρείττον φαίνομαι αὐτῷ τῷ ἐνδρυμένῃ ἐν σοὶ δαίμον, τίς τε ἰδίας ὀρμας ὑποπαραχό, ἐαυτῷ, καὶ τὰς εαν- σασιαι ἐξέταλλον, καὶ τῶν αἰθλικῶν πείσεων, αἷς δ Σωκράτης ἔλεγεν, ἐαυτὸν ἀφελκυκτό, καὶ τοῖς θεοῖς ὑποπαραχό, ἐαυτὸν, καὶ τῶν Ἀνθρώπων περιουδμένῃ εἰ τέλει πᾶντα τὰ ἄλλα μακρότερα καὶ ἐπιτέτερα αἰείσκεις, μηδὲν γώρον ἰδίας ἐτέρῳ σῶς ὁ βέλας ἀπαξ καὶ ἀποκλίνας, καὶ ἐπ ἀπεισιάτως τὸ ἀσθεδὸν ἐκείνο τὸ ἰδίον, καὶ τὸ σὸν φερίμαῖν δυνήση ἀνικαθῆναι γδ τῷ λογικῷ καὶ πολιτικῷ ὀσθεδῷ ὑδίας ἐδ' ὀπῆν ἐτεροσῆνές, διοσ ἢ παρ πολλῶν ἔπεινον, ἢ ἀρχας, ἢ πλοσπον, ἢ ἀπολαύσεις ἡδονῶν πᾶντα ταῦτα κῆν φρεῖς ἐλίγον ἐναρμύζον διξῆ, καὶ ἐκράτσον ἀφῶν καὶ παρήνεσαν. σὺ ἢ, φημὶ, ἀπλῶς καὶ ἐλευθερίως ἐλεῖ τὸ κρείττον καὶ τέλει ἀντίχῃ κρείτ- τον ἢ τὸ συμφέρον, εἰ μὴ τὸ ἀε λογικῷ, τῆτο τῆρη. εἰ ἢ τὸ ἀε ζῶν ἀπόρηται. καὶ ἀπῶς φύλασσε τῷ κρείσσον μόνον, ὅπως ἀσφαλῶς τῷ ἐξέτασον ποίση. Si quid, inquit, in vita humana de- prehenderis prætabilius *Justitia, Veritate, Temperantia, Fortitudine, & ut uno verbo absolvam omnia, animo ita affecto,*

affecto, ut in eis, quæ secundum rationis dictamen per-  
 agenda sunt, sibimet ipsi; in eis quæ citra consilii proprii  
 opem obveniunt, fato acquiescat: Si quid, inquam, præ-  
 stantius hoc adverteris, eo te vertas, eodemque tan-  
 quam bono præstantissimo, quo fruaris, toto animo fac  
 incumbas. Sin præstabilius nihil offenderis Genjo in te  
 collocato [*id est recta tua Ratione*] cum ita fuerit com-  
 paratus, ut motus suos omnes sibi subjecerit, visa quæ-  
 que diligenter exploret (& phantasmata) & a sensuum  
 affectionibus & illecebris, quod *Socrates* dicebat, se ab-  
 straxerit; Deis autem se regendum permiserit, dum  
 etiam hominibus humanam impenderit curam: Si ani-  
 mo sic affecto inferiora vilioraque cætera omnia depre-  
 hendis, nulli alii rei locum concedas, ad quam animo  
 divergente si declinaveris quicquam, obstabit quo minus  
 bonum illud proprium peculiariter tuum libere colas,  
 præferasque. Eono siquidem rationali & publicum spe-  
 ctanti nihil extraneum ex-adversum consistere fas est;  
 vulgi, puta, existimationem, principatus, divitias, aut vi-  
 tam voluptuariam. Horum enim quicquã si vel minimum  
 adungere visum fuerit, prævalebit confessim & abripiet  
 te. At tu simpliciter id quod est præstantius eligito,  
 eisque strenue adhærescito. Præstat autem id quod con-  
 ducit. Itaque si conducere tibi videbitur, quatenus ra-  
 tione præditus es, retineas: sin quatenus animatus es  
 tantum, repudies. Judiciûmque, quo minus externa re-  
 rum facie, specièque corrumpatur, integrum servare  
 curæ sit, quo rerum examen exquisitius instituas.

Quam explicabit altera illa ejusdem *Antonini* præclara  
 Admonitio. *lib. x. §. 2.* 'Observe quid natura tua exigat, qua-  
 tenus a natura mera regitur, atque id facias & admittas,  
 nisi natura tua, qua es animal, inde deterior sit futura. Tum  
 observa quid natura qua es animal exposcat. Et hoc quic-  
 quid est concede tibi, nisi natura tua, qua es animal rationa-  
 le, deterius inde habitura sit. Quod est autem rationale pro-  
 tinus est & civile. His regulis usus nihil ulterius sategeris.  
 Consulatur & *Aristoteles Ethic. ad Eudem, lib. 7. c. 15.*  
*Δὲ πρὸς τὸ ἀρχὸν ζῆν, ἢ πρὸς τὴν ἕξιν ἢ τὴν ἐπιτηδεύσαν τὴν τῷ*  
*ἀρχοντι.* 21. *ib.* Oportet ad illud quod est principale vitam  
 componere, & ad habitum & ad operationem partis illius qua  
 in homine est principalis, &c. *ib.* Huic



Huic argumento prolixius insistendum duxi, quod hac in quaestione vetustissima facta est philosophorum Dissentio, ipsis quantum potui verbis sententiarumque veterum usus. Ex quibus liquidissime apparet quam iusta ratione Scholarum inter Christianos publicarum magistri, in tanta philosophorum differentia relictis tam Stoicis quam Epicureis in philosophia Peripatetica Discipulos erudiri curaverint.

**Num. 9. Summa Gentilium ratiocinatio**  
*(sive maxima quæ sic) Felicitatem Finem, Virtutis operationem Medium ad felicitatem constituit. Primum Ethicæ Naturalis fundamentum in Religione esse positum. Quod Deus Opt. Max. credatur passim communium de iusto & iniusto notitiarum causa & fons. Rationes cur credere debeant ratione utentes Deum summum velle ut principiis naturæ insitis ipsi conformiter, id est, honeste & iuste viverent. Quantum intersit Rationalium Deo, communium de moribus formandis notitiarum autori, placere. Contumaciter in Deum peccantes cum laxioribus. Unde nascitur necessaria apud homines mente rectè utentes voluptatis & bonæ spei cum Virtute, suspicionis malæ & doloris cum improbe factorum conscientia, connexio. Ea Ratiocinatio fines constituit naturalis Ethicæ. De imperfecta Paganorum Religione & Virtute.*  
 De

**De Fide, Spe, Charitate naturali sive  
Ethnica. Ex fide & spe constitui felici-  
tatem, ex Charitate Virtutem.**

Hæc nostra modo est Hypothesis, innatas quasdam esse homini, de Dei Creatoris Reverentia & creaturarum communi ratione utentium Dilectione, Notiones; quibus (ex modica saltem Animadversione) quisque sibi sancitum cogitat specialiter ad Officium suum spectare, ne quenquam innocentem lædat, ne fidem violet, ne ingratum se aut *ἀγροπῶν*, aut in inopes & calamitosos inhumanum, præstet. Dicimus insuper homines omnes (Atheis quibusdam perditissimis, & Epicureis exceptis, qui mundi mirabile systema, Hominemque mundi inferioris moderatorem opera sine divum (ut verbo *Lucretii* utar) formari volunt) communium huiusmodi notionum agnoscere posse & debere eundem autorem Deum, quem creaturæ rationalis autorem agnoscunt. Si enim, ut videtur nobis, connatae sunt huiusmodi practicae anticipationes, nisi eandem cum Natura nostra communi habeant Originem, easdemque causas, quomodo producantur, nemo, puto, tantillum Sapienti unquam dabit explicatum.

Neque sane novum est aut prius inauditum jus illud Deo ascribi, quod ex principiis hominum generi communibus insitisque profluit. Idque hac ratione, quod solus, ut talia principia hominibus connascerentur, ipse Deus potuit efficere. Apud *Xenophontem*, libro 4<sup>o</sup> *Memorabilium*, inter *Socratem* & *Hippiam* convenit esse aliquas *ἄρχαίς νόμων*, *ἢν τὰς αἰσῶν νόμους καὶ πάντα νομιζομένους*, *Leges non scriptas abivis locorum similiter sancitas*; convenit etiam dici non posse leges hæc ab hominibus esse latas, quod omnes universim homines neque simul convenire possunt, nec eodem sermone utantur; adeoque consequi a Deo esse conditas. Earum primam esse *ut Deus colatur*, alteram *ut parentes honorentur*, illud etiam *κατὰ φύσιν νόμων ἴδιον* convenit, *τὰς ἐπιταγὰς ἀνεπιταγῶν*. De eo autem non convenit an Lex naturæ sit; *ut neque liberi cum parentibus, neque Parentes cum liberis consuescant*. *Grotium* (hoc in Argumento) *Chrysippi* illud citat. 'Non potest inveniri principium aliud  
' aut

aut origo Justitiæ, quam a Jove, & communi Natura.  
 Inde enim omne quod ejusmodi est par est habere prin-  
 cipium; ubi de bonis malisque actionibus differendum est.  
*Chryfipp. lib. 3. de Diis.* Plato etiam naturam retulit in  
 Deum, cujus quatuor dicit esse leges. Divinam, quæ  
 est in ipsius mente: cœlestem, sive Fatum; tertiam Na-  
 turalem, rebus omnibus ratione carentibus inditam;  
 quartam humanam, nostris insculptam mentibus, ad veri-  
 restique notitiam & effectum. 1. *de legib.* & in *Timæo*,  
*Phædro*, *Gorgia*, *Phædono*. Huic etiam sententiæ Pa-  
 tronus citari solet *Aristoteles*, 3. *Polit.* & 11. Et *Pytha-*  
*goras* a Diis universam deduci voluit *Justitiam*. *Jamblic.*  
*de vita Pythag.* c. 30. Atque *Hierocles* τῷ ὀρθῷ λόγῳ πεί-  
 διδος ἢ τῷ διῷ ταυτὸν εἶναι, recte rationi & Deo obedire  
 unam esse eandemque rem. Idem erroris omnis & nequi-  
 tiz causam definivit hanc esse, quod naturales hæc Noti-  
 tias in morum directionem mentibus nostris a Deo inditas  
 negligimus, aut non curamus saltem & animadvertimus.  
 Ὅσως, inquit, ἀπολύτως ἢ κακῶν εἶναι ἢ διὰ τῶν ἰερέων φιλοσο-  
 φίας εὐαισθητοῦς ἀνεύθυντα ὑπὸ τῷ Θεῷ, ἀλλ' οἱ πολλοὶ ἐκ ἄλλων,  
 διὰ τὸ μὴ ὀρθῶς χεῖναι τὴν κοινὰς ἐγγύσιας, ἀλλ' ἀεὶ ἀποστρέφουσι τὸν ἀν-  
 τικείμενον πρὸς τὸν Θεόν. *Via liberationis*  
*malorum est conversio ad ea qua a Deo ostensa sunt per sacram*  
*philosophiam. Qua quidem magna pars hominum non videt;*  
*ea ratione, quod non recte mutantur communibus notitiis, quas*  
*innasci fecit Deus rationalium generi ad sui cognitionem.* Ita  
*Hierocles* in illud *Pythagora* vere aureum,

Θεῶν γίνεσθαι βροσῶσι

Ὅτι ἰερέων ἀνεύθυντα φύσις δόκνειται ἔχειν.

*Cicero* Naturæ rationem *Legem Divinam* asserit. Sic  
*Ivo Parisinus*, in *prefat. ad jus Naturale*. Jus naturæ di-  
 vina lex est partibus mundi fortiter & suaviter inserta,  
 sic perpetua, quod imperantis vim omnem prævenit, ul-  
 tro se subjicientium cum Utilitate juncta voluptas.

Jus Naturale (inquit *Magningerus*, ad *Inst. in princip. Tit.*  
*de Jure Nat.* & ad *h. sed Naturalia*) est, quod natura, adeoque  
 Deus ipse, omnes homines in creatione, velut prima quædã  
 præcepta & formulas honestatis, docuit. Naturalia jura dicit  
*Justi-*

*Justinianus* apud omnes peræque gentes observata, & Divina Providentia constituta. *Inst. de jure Naturæ. §. sed Naturalia.* ‘Deus ipse, qui naturam condidit est juris Naturalis autor & institutor. Ita *Alphonsus a Castro, de Lege Pænali, lib. 2. c. 14.* Hoc est illud jus quod Natura naturans *αὐτὰ καθ’ ἑαυτὴν ἔστι ἀναγκαστικὸν ἐπὶ πάντων ἀνθρώπων,* ‘Simul cum genere humano in Lucem eduxit. *Theophilus, Inst. Tit. de rerum divisione.* Nemo autem sensum nostrum melius expressit quam doctissimus nuper *Cumberlandius.* ‘De natura, *inquit,* Creatoris quin ea necessariarum veritatum causa sit dicenda non dubitabimus, si serio perpendamus quod omnis veritas est a prima causa rerum illarum in quibus fundatur, nec ullam habet tincturam a labe hominum præternaturali ; sed est incontaminatum effectum & Opus Dei. Ideoque si qua vera propositio indicet quid sit faciendum ; a Deo indicat hoc esse faciendum. Nec certius est res naturales illas a Deo esse factas ad suos effectus producendos naturales, veluti solem ad illuminandum aerem, aut pluviam ad humectandam terram, quam hujusmodi propositiones, quæ naturaliter regunt actiones nostras a Deo datas esse in regularum Officium. Hoc enim unum facere possunt, nempe dirigere : idque faciunt necessario ex intrinseca sua natura. *Cumberlandius, de Lege Naturæ ejusque Oblig. Cap. V. p. 187.*

Hoc enim cum semel concessum sit, Deum Opt. Max. hos in nobis morum Indices efformasse, atque has mentibus insculpsisse regulas actionum directrices ; aut frustra has condidit Deus ; aut voluit positæ à se normæ ut vitam ratione utentes accommodarent, nec secus facerent, quam jure Naturæ cælitus dato est permissum.

Si quis dixerit has nobis Notiones practicas Deum insculpsisse, non tamen voluisse ut eis uteremur ; eadem is absurditate effari possit, Sapientissimum Numen Linguam loquelæ aptam in hominibus fabricasse, non tamen ut loqueremur, Oculos non ut videremus, aures non ut audiremus, nares non ut odoremur. Cum autem nihil frustra fecerit Deus, voluit nos communis vitæ actiones his quas in nobis inserit notitiis præstare conformes ; Prævaricationem

tionem omnem & legis naturalis transgressionem noluisse & vetasse visus est. La enim manifesta est in Deum naturæ autorē contumacia, & (ut *Tertulliani* utar verbo) plane Sacrilegium. *Omne, inquit, quod contra naturam est, monstrum meretur nomen penes omnes. Penes nos etiam elogium Sacrilegii in Deum natura Dominum & autorem.* *Tertullianus de Corona Militis. cap. 5*

Prima igitur ratio cur cogitare debeamus Deum a nobis Innocentiam, Fidem, Gratitude[m] & cæteras virtutes requirere, hæc est, quod cum Creator sit, in ipsa Animi nostri fabrica tales indiderit, infixitque ei notitias, quæ sensum hujusmodi obligationum continerent. Quæ notitiæ si falsum nobis administrarent sensum, non haberemus cur aliis quibuscunque notitiis naturalibus crederemus. Moralia quippe hæc principia æque evidentia sunt, & firmiter mentibus infixa, quam sunt principia Physica aut Mathematica. Neque enim in Mathematicis evidentius est, *bis duo quatuor efficere*, aut in Physicis, *quod moveretur motum accipere ab alio*, quam est in Moralibus evidens, injustum esse hominem innocentem occidere, non oportere prolem natam destituere, aut feris prædam exponere, Fidem esse servandam, bene merenti retribuendum, &c. Imo ad nequitæ & injuriarum conscientiam magis fere erubescimus, quam ad errores quoscunque in Physicis aut Mathematicis. Non enim ut Geometræ aut ut Physiologi simus, sed ut honeste vivamus, naturaliter cognoscimus nos esse obligatos.

Et sane admiranda divini Numinis bonitas est & providentia, quod has mentibus nostris insculpserit Notiones, quibus in tales instruimur actiones, quibus communi omnium rationalium Bono maxime conducimus; & anticipationibus de Officiis eo nos duxerit, quo proprio & communi Bono alias optima duxerint consilia; nec sine instinctus hujusmodi adjumento nos propriis permiserit consiliis, sed conscientiam implantaverit, unde perpetuæ vexationes & mentis tormina hominibus malis, impiis & injustis crearentur: boni contra pii justique facti conscii solamen perpetuo & bonam Spem perciperent.

Cum igitur compertum sit Animis nostris principia hæc practica, quibus ad honestatem vitæ instruimur, naturaliter

Sicut inesse; cum vitii, vitæque male actæ appensa sint dira illa omnia malæ conscientiæ terculamenta; Virtuti contra Mentis tranquillitas & Gaudium comites sint individui; cumque hæc principia, quæ credere debemus Deum inesse, non alii fini inservire possint, quam ut nos ad bene vivendum dirigant; Conscientiæ in viris bonis & sapientibus tranquillitas & gaudium non alii fini possint inservire, quam ut calcæ addant, quo velocius ad sapientiam & virtutem feramur; non aliud de Creatore opt. max. cogitare jure possumus, quam illum conscientiam ipsam & practica principia, eò homini infudisse, ut eum sic ad Virtutis & sapientiæ praxin, quasi mentis suæ instinctu, componeret & dirigeret.

Hoc autem postquam exploratum est, Notitias hujusmodi & Dispositiones naturales, quibus boni ad bene de se sperandum, mali ad male de se suspicandum inclinantur, a Deo nobis insitas esse, ut avellant nos a nequitia & ad virtutem dirigant; sequetur deinde Dei revera esse voluntatem, ut a nequitia ducti ad virtutem dirigamur.

Si autem Divinæ hujusmodi voluntati non obsequimur, rebelles plane sumus, ut supra diximus, dum creatorem Fine suo, & consilio frustrari, quantum in nobis est, agredimur. Cumque nos Ratio doceat divinam esse Creatoris voluntatem ut ex his Notitiis ad virtutem ducamur, eadem sane docebit ratio Deum a nobis plane requirere, ut virtutes sectemur non vitia. Quæ enim Deus rationis adminiculo monstrat se velle, eadem se à nobis exigere monstrat. Idem enim est Deum exigere ab hominibus vitæ honestatem, & monstrare se velle in hominibus honestatem practicam. Quicumque igitur Conscientiam ipsam, & principia practica, ideo homini insita esse à Deo fatetur, quo ad virtutem dirigatur; ex consequenti fatetur, Deum velle ut homo ad Virtutem dirigatur, atque voluntatem hanc suam abunde ex principiorum hujusmodi insitione significasse. Velle autem in Deo, & significare voluntatem, est aperte requirere & mandare.

Neque his sane dissentanea sunt quæ habet *Georgius Ritschelius, Parte I. Contemplationum Metaphysicarum, Cap. 1. de Ideis, §. 24, 25.* 'Rectæ sunt res, quando sunt ut esse debent. Sunt autem tales quando Creatoris desti-

nationi congruunt. Hic subsistendum. Nam cum sapi-  
 entissimus sit, non potest præpostere quædam in unam  
 ideam conflare, aut ineptam addere formam; sicut ar-  
 tifices imperiti operi minime convenientem formam  
 concipiunt. Sed in ipsius voluntatis libertatem refunden-  
 dum, quod tali potius modo condiderit quam alio. Qua-  
 re unumquodvis suo Officio fungens recte facit. Est autem  
 id cuiusque Officium, ad quod peragendum ipsa naturæ  
 inclinatione trahitur, atque agendi vires & scientiam ac-  
 cepit. Unde quamvis aliqua videatur actionum pugna,  
 quando plura inter se comparantur, recta tamen sunt,  
 quia, ut esset pugna, sic facta sunt. Recte facit Leo, cum  
 ut Leo facit: qui in imbellem columbam degenerans non  
 amplius recte facit. Homo verò contra Rationis officium  
 peccat, quando illum sævitæ imperum adhibet. Nimi-  
 rum rationis expertia quodam impetu ad sua Officia de-  
 necessitate naturæ aguntur. Ratio, quia divinam emi-  
 nentiam aliqua imagine refert, suos ipsa actus modera-  
 tur, quod recte facit, & ordine, si agendo Prototypum  
 exprimat, sapienter se atque iuste gerendo. Deus autem  
 essentialis reſtitudo est, nullam legem ab alio accipiens,  
 sed a sua reſtitudine habens; quam cum violare neque  
 sciat, neque velit, neque possit, sibi obligatur ipsi, atque  
 tenetur recte agere, quia Deus est. Unde sicut ipse hu-  
 manæ libertatis jus ad leges Rationis astrinxit; ita abso-  
 luta ejus libertas in Sapientie dictamine fundatur: ut  
 necessario sapienter agat, & tamen in illa necessitate, quo-  
 ad diversos agendi modos, liber sit.

Altera ratio cur credere debeamus Deum opt. max.  
 velle nos Innocentiam, Fidem, Gratitude, cæterasque  
 quas diximus virtutes observare, ex communi omnium  
 Utilitate deduci potest. Quamvis enim Naturam summi  
 Creatoris, in hac Mortalitatibus umbra, nos perfecte non  
 comprehendamus, maxime tamen videtur vetisimile Cre-  
 atorem opt. max. creaturæ suæ bene velle.

Cum enim miro artificio universum hunc formaverit  
 Mundum, deinde genus humanum nobili rerumque altis-  
 simarum capacissima mente creaverit, primamque fere in  
 toto opere Provinciã ei administrandam gratioſe concesserit,  
 Quidni credamus Creatorem Creaturæ suæ bene  
 velle?

Neque

Neque enim nos, quæ ipsi effecimus, fere odimus: Neque Deus, nisi nos falsit conjectura, quæ ipse effecit odit: multo minus hominem naturaliter odit; quæ sane pulcherrima videtur nobilissimi sui opificii pars. Si autem hominem in genere, nobilissimam Creaturam suam, amaverit Deus, non oderit; ergo quæ optima sunt creaturæ suæ voluerit, non quæ sunt perniciofa & communis felicitatis *opposita*; adeoque honestatis & virtutis, non nequitiz & vitiorum, praxin voluerit. Sublata enim justitia & virtute Homo Creatori suo rebellis, Homini confratri suo Lupo aut Tigride forte magis esset formidabilis. Omnia in statu belli *Hobbiano*, (quo nihil intolerabilius aut miserius cogitari possit) essent constituta. Incredibile autem est Deum hunc velle rerum a se creatarum statum. Sic enim sibi ipsi in Operibus suis plane contradiceret; sic quæ exadificaverat, destrueret; quæ ornaverant prius, jam deturpari faceret; & quod dextra creaverat, sinistra tolleret.

Deum insuper Virtutis & Honestatis praxin in Nobis velle, eademque a nobis requirere, inde etiam argui possit; Quod menti humanæ infixit assensum hujusmodi præmissis, ex quibus omnis (nisi qui plane desipit) ad virtutem & honestatem prosequendas, ex consiliis suis determinari debeat. Deum imprimis hominem rationalem effectisse omnes agnoscunt. Rationis humanæ proprietatem certam esse, sibi bene consulere, omnes pariter agnoscunt. Sine virtute, honestate, justitia sibi bene consuli, aut feliciter vivi non posse, eadem docet ratio, divina & humana. Divinam dico quod divinitus indita; humanam quod Homini insita sit. Has cum in nobis præmissas posuerit Deus, facili animadversione eliciendas, velle ut virtutem & justitiam sequeremur censendus est. Deus enim cum hominem rationalem effecerit, Virtutisque & Justitiz praxin homini tam necessariam reddiderit, quam rationis a se inditæ exercitium; adeo ut qui secus vixerit, propriæ divinitus datæ rationi contradixerit, (quæ etiam Ratio naturæ humanæ maxime propria æstimatur, adeoque est characteristica) ea sane fecit, quæ voluntatem suam de honestate, & justitia per hominem excolendis abunde prædicent. Quicumque oculatus est, facile viderit res humanas ex divina providentia



tia ita administrari, ut Felicitas & Virtus perpetuo conjugio sint nexa ; adeoque Divina rerum Constitutione tam necesse nobis esse virtutem velle sequi, quam felicitatem propriam velle sequi.

Voluit autem (ut fatentur omnes) nos felicitatem nostram prosequi, adeoque voluit ut prosequamur virtutem, sine qua felicitatem prosequendo, eandem consequi non possumus. Ostendendo nobis inter bona esse virtutes, ostendit Deus se a nobis easdem requirere & exigere ; quia bonum ut nobismet vellemus effecit. Neque enim Deus nobis inclinationem ad bonum proprium inserit, ut bonum illud quærere negligeremus. Admonitio Epicteti est, quam insipidi sane sunt qui non advertunt. Πάν το βέλτιον παρ' εμαυτων ἔστω σοι νόμος ἀναγκάτων. *Quod bonum videtur & ex bonis optimum ex se nos obligat ad sui prosecutionem.* Cum Deus itaque sic mundum effecerit, ut felicitas semper virtuti, Infelicitas vitio connectatur, nosque ad proprias felicitates prosequendas composuerit, legem maxime ad virtutem obligatoriam visus est effecisse : veluti si quis cognatum pauperulum hæredem scripserit hac conditione, *Si Justiniani Instituta perlegerit*, efficacius quam alio quocunque præcepto ad Lectionem obligasse videbitur ; sic Deus etiam censetur Virtutem & Justitiam efficacissime commendasse, & voluntatem suam de excolenda per homines virtute abunde significasse ex individua hac Justitiæ & Virtutis cum beatitudine connexionē. Atque hæc de obligatione ad justitiam, ex Dei voluntate, modo differuisse sufficiat.

Jam tandem ultra etiam considerare nos oportet, penes Deum esse rerum omnium nostrarum, & felicitatis tam futuræ quam præsentis vitæ administrationem ; penes eum esse ut bene, melius, optime, male, pejus, pessime nobiscum sit, tam in hac vita, quam postquam ex hoc Corpusculo in aliam vitam migraverimus. Hoc cum expeditum sit, an credibile est quenquam sic posse in animum inducere, (Divina Providentia omnia ex voluntate sua administrante) non iniquiorem & graviorem aliquando futurum impii statum quam innocii ; Deumque ita pro arbitrio sua hominibus dispensare & mala, ut non nisi in futurum vel in futuro sæculo futurum sit Deumque in futurum in consummatione

tumacis Ingenii & profligatae nequitiae homuncionibus, & Scriptam in cordibus divinam voluntatem despiciatui & contemptui habentibus? Id optime inter Philosophos a Pythagoreis est animadversum; quorum eximia & pi-  
 entissima ratio est, quae apud *Jamblicum* aliquoties memo-  
 ratur; talisque revera est, ut frequenti memoria & celebra-  
 tione sit dignissima. Ἀπανία, inquit, ὅσα σὺ τῷ θεῷ ἴσθαι ἢ  
 μὴ θεῷ εἶναι διορίζουσιν, ἐσώχασαι πρὸς τὸ θεῖον, καὶ ἀρχὴ αὐτῆς  
 ἔστι καὶ ἡ βίη ἅπασαν συνέτακται πρὸς τὸ ἀκολουθεῖν τῆς Θεοῦ, καὶ  
 ἡ λόγος αὐτῆς. Hoc autem Universae sectae asserit commune  
 dogma: rationem deinde dogmatis subtexit, πολλοὶ γὰρ ποι-  
 οῦσιν ἀθροστοὶ ἀλλόθεν πρὸς τὸν θεὸν ζήλοισι τὸ ἔχειν ἢ ἄλλο ἢ Θεῶν  
 καὶ ἡμοῖον, ὡσπερ ἂν ἔτι τις ἐν βασιλευμένῃ χώρα ἢ πολιτῶν ἴ-  
 να ὑπαρχόν τιραπύση, ἀμελήσας αὐτῆς τῶ πάντων ἀρχοῦ, καὶ  
 πύλοισι γὰρ διορίσασαι ποιεῖν καὶ τὴν ἀνδράπευσι. Ἐπει γὰρ ὅτι τε Θεός,  
 καὶ ἔτι πάντων κύριος, εἶναι ὁμολογεῖται τὸ Ἀσαδὸν ἔχειν τῶ κυ-  
 εῖν αἰτῶν. Πάντες γὰρ ἔτι μὲν ἀν φιλοῦσι, καὶ οἷς ἀν χεῖρασι, τοῖς  
 τοῖς διδάσκει τὸ Ἀσαδὸν, πρὸς δὲ ἔτι ἐν ἀναλίθως ἔχουσι τὰ ἐναντία.

Omnia quae de faciendo, vel non faciendo, definiunt, ad  
 Numen ordinantur. Ipsum enim principium est, om-  
 nisque vita & ipsa ratio ejus, composita & instituta est  
 ad Deum sequendum. Ridicule enim faciunt homines  
 qui bonum sibi aliunde quaerunt, quam ab ipsis Diis, &  
 perinde ac si quis in regione, cui Rex praest, praefectum  
 aliquem aut Satrapam coleret, neglecto interim Monar-  
 cha summo omnium Domino. Sic enim & homines (qui  
 deorum seponunt curam) facere existimant. Siquidem  
 enim est Deus, & ipse omnium dominus, in confesso est  
 oportere a Domino, quod bonum est, petere. Omnes  
 vero quos amant, & quibus delectantur, illis etiam &  
 bona elargiuntur. *Jamblic. de vita Pyth. c. 18.* Ὁ προ-  
 ἴνδε, δῖλον, inquit, ὅτι ταῦτα θεοῦ, οἷς πρὸς τὸν θεὸν  
 χεῖρασι, cap. 28. ubi eandem aenuo dissertationem repetit.

Proximum *Pythagora Platonem* ponam ob doctrinae subli-  
 mitatem forsitan ipsi *Pythagorae* anteponendum. Is, libro 4.  
 de legib. cum de amicis & invisis Deo disputat, *Sapientem*  
*virum dies & noctes cogitare illud debere censet, quemadmo-*  
*dum Deum sequatur. praestetque se quam maxime poterit,*  
*illius similem, cum neque aliter amicus unquam esse Dei po-*  
*terit.* Porro quid sit esse Dei similem in *Theaeteto* expres-  
 sius

sus prudentem, justum ac sanctum esse dicit. In extremo vero de *repub.* Ecce, inquit, tibi premia & Merces qua viro justo, præter ea bona quæ justitia secum affert, a Diis & hominibus tribuuntur, præclara sunt & stabilia. Atque ea omnia nihil neque numero sunt, neque magnitudine censenda, si cum iis conferantur quæ mortuum manent. Libro autem de Regno, Deum constituit Mundi Architectum, hominum vero Regem, pastorem & gubernatorem summum. Secundo autem Libro de Voto, qui inscribitur, Alcibiades, Deum asserit non tam ad donaria respicere quam ad animum justum sanctumque; cum nihil prohibet eum qui multa in Deum hominesque peccaverit, multi sumptus pompas & sacra perficere. Apud Deum & homines sanæ mentis Justitiam & Prudentiam præcipue honorari; Prudentes autem justosque esse, qui sciunt quæ erga Deum & homines agere & dicere deceat. Et in ea dissertatione quam Socrates cum Critone habuisse dicitur, unum esse ait rerum omnium inspectorem. In consultatione vero de justis rebus atque injustis, de honestis & turpibus, malis item & bonis, non tam multorum hominum sententiam esse conserendam aut timendam, quam unius (Dei scil.) qui audit cuncta, quemque unum præ cunctis aliis timere ac revereri oportet. Et rursus paulo post, *Haud proorsus o vir optime curandum quid multi de nobis autument aut loquantur; sed quid ille qui justos audit & injustos, qui est unus & ipsa veritas.*

Xenophon gravissimus Philosophus, lib. 8. de Cyri Institutione, Cambysen filio suo Cyro ad Astyagen Avum proficiscenti sic loquentem facit. ‘Hoc unum præcipue commendo, idque tanquam pretiosum Theaurum a Patre Donatum in tua memoria perpetua recondi cupio: Dei esto amicus, in eundem pius. Nihilque aggrediaris nisi Dei numine implorato. Imbecilla enim & hebes mortalium natura. Nihil Dei sapientiam later, omniaque ex sententia iis cedunt, quibus illa præsto est. Isocrates ad Nicoclem regem scribens, eique de regno conservando præcepta tradens, ‘Religionem, ait, quam a majoribus accepisti, conserva, Solenneque & Pulcherrimum Sacrificium & cultum maximum existima, si ipse sis optimus & justissimus. Major enim spes est tales boni aliquid a Deo

Deo impetraturos, quam qui aras delubraque ædificant. Cui non dissimile illud *Seneca. de Providentia, c. 1.* ‘ Si Deum habere cupis amicum & propitium, dede te virtuti. Qui enim Deum imitatur, ille Deum scit & honorare & vereri. *Dion* primas in principis institutione partes religioni assignat; quam vult a principe cæteris omnibus rebus anteponi; asseritque vitum bonum nulli magis posse obedire quam Deo, qui optimus est ac justissimus; eaque in re Malum esse eum & impium, si quis Deum malum existimaverit, & res humanas aut non intelligentem aut non curantem. Videatur *Dion Orat. 1. & 3.* Et *Cicero de Legib. 2.* ‘ Sit hoc, inquit, a principio persuasum Civibus dominos esse rerum & moderatores Deos; eaque quæ geruntur eorum geri ditione & numine, eosque optime de genere hominum Mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones intueri, piorumque & impiorum habere rationem. *¶ c. ib.*

Quamvis etiam *Aristoteles* Atheorum Hypothesi in argumento de Mundi & Motus æternitate favisse videatur, apud celeberrimum tamen hunc Philosophum non dissimiles prius recensitis Pythagoræorum & Platoniorum argumentationibus videre est. Qualis imprimis illa quæ extat, *Ethic. lib. 10. cap. 9.* ὁ, inquit, χεῖρ ἔν ἐνεργεῖν, καὶ τὴν οὐρανὸν διακρίνων, καὶ διακρίνων αἰετὰ καὶ θεοφιλέτατα τοιαῦτα οἷα οἱ ἰππέλαια καὶ ἀνθρωπίνων ὑπὸ θεῶν γίγεται, ὡς περὶ δοκεῖ, καὶ ὅτι ἂν ἔυλοσον χάριτον ἢ αὐτὸς τὰ αἰετὰ καὶ τὰ συγγενεσάτω, τὸ δὲ ἂν οἷα ὁ Νῦς, καὶ τὰς ἀγαπῆται μάλιστα τῦτο, καὶ πῶν ἰαίαν ἀγλυτοιῖν, ὡς καὶ φίλων αὐτοῖς ἐπιμελωμένους, καὶ ὅρῳς τὴ καὶ πρῶς ἀρετῆς. Ὅτι ἡ ταῦτα πάντα τῷ σόφῳ μάλιστα ὑπάρχει ἐκ ἀδελον. Θεοφιλέτατον δὲ αὐτὸν δὲ ἕκως καὶ ἐυδαίμων. Ὅτι οἱ τῶν ἰαίαν ὁ Σόφῳ μάλιστα ἐυδαίμων. ‘ Qui operationibus fungitur menti suæ consentaneis, & qui ipsam mentem suam reveretur & observat, is videtur & optime dispositus & Deo carissimus esse. Nam si Dii immortales curam habent aliquam rerum humanarum, quemadmodum veri simile est; illud quoque probabile fuerit eos re omnium optima, sibi que maxime cognata delectari. Illud autem est Mens humana. Probabile item fuerit eos qui Mentem suam maxime diligunt, eamque reverenter

tractant, Deos Immortales remunerare velle; sicut eos remunerare debet, qui curam habent eorum quæ ipsis gratæ sunt, & eorum qui recta & honesta operantur. Hæc autem omnia viro bono & honesto inesse non est obscurum. Talis igitur vir Deo carissimus. Deo autem carissimum oportet esse Beatissimum: adeo ut concludendum sit quod sapiens omnium maxime sit Beatus. Sic quasi Magistri *Platonis* vestigiis inhaesisset divine disseruit insignis inter Philosophos *Aristoteles*.

Summam etiam Utilitatem tam Religionis erga Deum (quæ virtutum omnium fons est) quam Justitiæ erga homines optime exposuit is, quem sæpius cogimur laudare, *Cicerò. De Off. 2.* Ubi ratione utentium duo genera ponit quæ ad vitam hominum tuendam pertinent, unum Deorum, alterum Hominum. Virtutis & sapientiæ proprium esse ait, eos conciliare sibi, eorumque animos ad usus suos adjungere. Deos, inquit, placatos efficiet Pietas & Sanctitas. Deinde pergit ostendere homines hominibus utiles esse posse & debere, adeoque justitia & humanitate sibi invicem esse devinciendos.

Quæ cum ita sint, non aliud possumus, quin cum *Hierocle* fateamur, ἢ Ἐυσέβεια μὴ ἔστι ἀρετὴν, ἢ μὴ οὐκ ἔστιν ἠρεσκῶν ἢ Ἐυσέβεια ἀρετῶν. Quod Pietas erga Deum virtutum omnium mater, Impietas sive Religionis contemptus malitiæ omnis dux existat: quod nulla sit perfecta virtus quæ non in Religionis erga Deum opt. max. conscientia certissimum habeat fundamentum. Qui enim nec Deum colunt Justitiæ remuneratorem; nec eundem timent injuriarum Vindicem maximis sane carent ad Virtutem incitamentis. Dubitandum non est, sic *Plato* in *Epinomide*, quin Vir bonus sapiens dicendus sit. Sed nunc quid hanc sapientiam per disciplinam aliquam assequamur, quam si ignoraverimus, expertes ignarique justitiæ futuri simus? Resp. Quod sursum deorsum investigando cognovi, oratione vobis aperire conabor. Maxima virtus neglecta Ignorantiæ causa fuit. Majorem vero Virtutem Religione Pietateque in Deum nullam in humano genere inveniri quisquam sibi persuadeat. Hinc omnes gentes tam ad tuendam justitiam inter homines, quam ad conciliandum numen leges Religione firmaverunt;

runt; ipsaque Romanorum Jurisprudencia rerum tam divinaram quam humanarum scientia dicebatur, quod ad tuendam tam Religionem erga Numen, quam Justitiam erga homines leges contineret.

*Alterius sic,*

*Altera poscit opem res, & conspirat amico.*

Sicut enim leges tuentur fere Religionem, sic ipsa Religio non infimū est legum ipsarū atque Justitiæ Munimentū. unde apud Romanos factū est ut actionū omnium & formularum potestas apud Collegium Pontificum resideret. Hinc etiam est quod Jurisprudencia dicatur *Sacrosancta Scientia*, *Ulpianusque* se ceterosque nobilissimos juris interpretes *Sacerdotes juris* appellaverit. *Dig. de just. & iur. l. 1.*

Si de qualitate Religionis Paganæ sive naturalis inquiratur, & in quibus Virtutibus potissimum consistat? Dicendum forte erit Ethnicos non tam præclaras aut efficaces habuisse, ejusdem tamen denominationis virtutes habuisse, cum Christianis.

Imprimis, *Fidem naturalem sive Paganam*: qua Deum esse, mundumque regere credebant. Quod si Fides ex auditu. Respondit *S. Paulus*. 'Nunquid non omnes audierunt? Ecce in omnem terram exivit sonus eorum. *Rom. 18.* ubi *Davidis* illud citat, 'Cœli enarrant Gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eruat verbum, & nox nocti indicat scientiam: In omnem terram exivit sonus eorum. Cœlum tam noctu quam interdiu gloriam Dei prædicat sine intermissione, & toti terrarum Orbi, verbis scilicet omnium idiomatum. Interdiu Solis, noctu Stellarum conspicitur pulchritudo. Et quia dies & noctes sibi invicem succedunt: fingit Prophetam unum diem peracto cursu & prædicatione sua tradere diei sequenti Officium prædicationis; & noctem peracto cursu suo, & quasi hymno in Dei honorem cantato, tradere nocti sequenti idem canendi munus. Atque ex hujusmodi prædicationibus, non tamen sine aliquali Dei gratia, Pagana sive naturalis fides in hominum cordibus est prognata.

Erat etiam & quædam *Pagana Spes*. Sperabant enim Sagaciores Ethnicorum piis in sæculo futuro Deum melius quam impiis provisurum. Quique credebant Deum Pietatis & Justitiæ remuneratorem, sperabant etiam se aliquando,

do, quatenus se pios & justos præstiterunt, fore divini muneris participes.

*Charitate* autem etiam inter Ethnicos quidam tam præcellenti claruerunt, ut etiam Christianæ videatur æmula. Ea autem duplex erat; vel Heroica, qualis in *Hercule* celebrabatur, quæ vulgarem bene vivendi etiam transcendit Regulam: vel Vulgaris, qualem in hac Hypothesi plenius describere mihi animus est, quæque in Innocentia ad innocentes extendenda, in Fide servanda, in Gratitudine, moderata *Philantia*, *stéssus*, atque universali Humanitate exercendis videtur consistere, & ex placitis conscientie naturalis communiter dirigi.

Notandum autem est nobilissimos gentium Philosophos, sicut cultum naturalem in Amore, Reverentia, & imitatione summi numinis consistere voluerunt; ita hunc Amorem, reverentiam, & imitationem potissimum ostendi ex ipsa honestatis praxi, & in dictarum notionum observantia quas communi rationalium bono cordibus nostris inscripsit Naturæ Conditor; ut *infra*, ubi de cultu Paganorum uberius differemus, ex Historiis *Gentium* plene Demonstrabimus.

Sed ad propositam ratiocinationem, si placet, modo revertamur.

Deum sane præcipue eorum omnium manifeste interest demereri, eumque sibi conciliare, qui eundem conditorem opt. max. rectoremque universi agnoscunt. Id autem vel paucissimis exceptis omnes fecerunt. Observat *Brissonius* formulam illam inter Philosophos gentium receptissimam, quæque ex naturæ penetralibus prodierat; 'esse Deum, eumque rebus humanis providere proclamabant: Est cœleste numen, es magne *Jupiter*. *Mantius apud Livium, lib. 8. & 1.3.* 'Pro se quisque Deos esse & non geligere humana fremunt. Ad hanc communem sententiam appellat, eamque laudat *Socrates*, apud *Platonem in Phædone*. Τὸ δὲ μοι δοκεῖ εἶναι λέγειν τὸ θεὸν εἶναι ἡμῶν ἐπιμελουμένους, καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ὡς καὶ κτημάτων τοῖς θεοῖς εἶναι. 'Illud autem mihi videtur pulchre vulgo dici, & Deos esse qui nostri curam gerunt, & nos Homines unum esse ex Deorum Bonis seu possessionibus. Cogitare autem æquum est Creatorem velle creaturas suas notionibus practicis quas illis

illis in sevit conformiter vivere, refragantesque pro ingratiss, rebellibus & contumacibus habere. Maxime autem rationi est consentaneum, ut qui tales sunt pœnas a justo rerum administratore suspicentur infligendas. Egregie *Augustinus, lib. 26. contra Faustum.* ‘Ad naturalem justitiz ordinem pertinet, ut aut peccata non sint, aut impunita esse non valeant. Et *lib. 3. de lib. arb. c. 9.* ‘Si peccata fiant & desit Miseria, Ordinem (*Universitatis*) debonestat Iniquitas. Cum non peccantibus adest Beatitudo, peccantibus adest miseria, perfecta est Universitas. Ideoque adhibetur Iniquitatis turpitudini pœna, ut ordinet eam : & decori universi congruere ait, ut peccati dedecus emendet pœna peccati. Indignum est autem sapientissimo rerum gubernatore, ut turpis sit Universitatis administratio. Et *lib. 1. de lib. arb. c. 6.* Lex, inquit, æterna est, qua justum est, ut omnia fiant ordinatissima. Porro ordinatissimum est, ut quemadmodum justis Beatitudo, ita peccantibus pœna, hoc est miseria, debeatur. Lex enim æterna & summa ratio, cui semper obtemperandum est, est illa per quam mali miseriam, boni beatam vitam merentur. Neque enim inordinatum unquam aut injustum esse potest, ut mali miseri, boni beati sint. Eiusdem & illud. ‘Puniendum est peccatum ; si puniendum non est, nec peccatum est. Et illud, ‘Nihil tam iniquum esse, quam ut bene sit desertoribus Boni. Quis autem sine blasphemia dixerit Deum iniquitatis esse autorem ?

Magna autem *Ανομιαι* omnis & peccati in Dei leges aggravatio, quod quicquid peccaverint homines in Deum opt. max. summum benefactorem suum turpissima ingratitude peccaverint. Neque enim (ut ad *Lycœnios* prædicaverunt Apostoli, *Act. 14.*) ‘Se sine providentiæ suæ testimonio reliquit Deus creator, qui fecit cœlum & terrâ, quod humano generi benefecerit pluvias de cœlo dispergendo & tempestates frugiferas largiendo, & replendo hominum corda alimentis & lætitia. A Deo enim esse norunt gentes, quod pluviis irrigantur arva, quod terrâ calor Solis vegetat, quod immensa frugum copia ex telluris ubertate, & cœlestibus influentiis quotannis nascitur. Neque enim proprio motu agitur cœlum aut terra, multo minus fortuito. Sol & Stellæ jussu Dei lucent, eodemque



demque jussu ministeria sua toti præbent mundo, pluvia de cælo cadit, ut homini simul & cæteris animantibus alimenta suppetant. Hominem vero in hoc Theatro mundi posuisse censendus est Deus, (ubi abundantia & opibus totius Mundi fruitur) ut Autorem suum summumque benefactorem agnoscat colatque; & leges ab illo cordi inscriptas (qui justissimus certissimusque est Dei cultus) humiliter juxteque observet. Leges Naturæ ex sui contemplatione poterant cognoscere Gentes, Obligationem vero & Transgressionis periculum ex Contemplatione Mundi. Quod & *S. Paulus, ad Rom. 1.* observat, Ubi quod cognosci potuit (scil. naturaliter) de Deo, manifestum fuisse Gentibus asserit, Deus enim illis manifestavit. Omne verum est ex Deo. Medium vero ex quo cognitionem cujusmodi divinam habuerunt, est Contemplatio Creaturæ. Invisibilia, inquit, Dei a jactis mundi fundamentis per illa quæ facta sunt conspiciuntur intellecta; æterna scilicet Numinis potentia & Divinitas, ita ut sint inexcusabiles, hac saltem ex parte inexcusabiles, quod legum naturæ (aut Obligationis qua tenentur summo Deo) ignorantiam nullo modo possint prætexere, aut quamcunque excusationis aut *ὑπολογίας* materiam inde desumere. Justissime ergo arguuntur ab Apostolo tam Philosophi ipsi, qui summi erant doctores, quam plebs gentiliū, quod cum Deum cognoverint, eundem tamen ut Deum non gloriificaverunt, nec gratos aut beneficiorum divinitus collatorum memores se præstabant, sed vani fatiique cogitationibus suis effecti sunt, & desipiens eorum cor tenebris rursus demersum est. Cumque non cordi eis visum est Deum juxta agnoscere, tradidit eos Deus (idque non injuria) in sensum reprobum. Hæc sane deploranda videtur Gentiliū miseria, quod maxima ex parte, non tam ex Naturalibus notitiis dirigebantur ad veram felicitatem propter carnis infirmitatem, quam ob deprehensam inobedientiam reddebantur *ἀυτηγ. τῆκεστος*, & a propriis damnati conscientiis. Sciebant, ut inquit Apostolus *gravia*, qualia ibi memorantur, perpetrantes facinora morte esse dignissimos, cum tamen eadem & ipsi perpetrarent, & talia perpetrantibus consentirent. Sciebant quæ illis bona competebant, se omnia a Deo recepisse; Turpissimam esse Ingratitudinem

nem

nem non ignorabant tot & tanta se Deo debuiffe, neque interim Autorem beneficiorum agnoviffe; nec mandatis ejus, quæ imis inculpserat præcordiis, auscultasse. Non tamen (si historiam consulamus) omnes eodem æqualiter hærebant luto; pauci in se descenderunt, ut seipsos & inscriptas mentibus notitias cognoscerent; de vita recte agenda, & ad Naturæ leges componenda pauciores matura iniverunt consilia, post peracta autem flagitia Conscientiæ inveterascere solebat cito Morbus, malorumque peccantibus ingruere Ilias; sollicitudo imprimis vexabat anxietateque de Vindicta suspiciones. Quotquot enim suspicio tenet summum Deum propter peccata, ingratitude, rebellionem, offensum esse; justamque instare a justissimo ultore, judice, gubernatore Mundi, vindictam; quomodo non sint trepidi, solliciti, miseri, Oedipus velim mihi interpretetur. Imo nec Atheismi sectatores quoquo modo possunt se a Vindictæ suspicione liberare: contendant enim licet argumenta non esse demonstrativa, quibus summi Numinis essentia confirmatur, hoc tamen maxime verisimile esse, *Mundum non sine numine consistere*, neque ipsi dubitare poterunt; neque ipsi contrarium, *Deum scil. non esse*, quacunque rationis specie poterunt obtendere. Et sane donec non poterunt demonstrative ostendere *Deum non esse*, suspicio apud improbe viventes semper commorabitur Ulionis divinitus insecuturæ. Ex suspicione ista necessario sequetur sollicitudo, metus, anxietas, & quæcunque animi serenitatem & gaudia plurimum inturbant: unde qui suspicantur semper & expectant mala, felices esse nequeunt. Hinc vulgaria illa. 'Dat pœnas quicumque expectat. Et 'male est extra legem viventibus, qui quicquid meruerunt semper expectant.

Neque hæc probabilis argumentatio ab autoritate pendet aut fide asserentium se, ut *Hobbiana* utar phrasi (*Leviath. c. 15.*) 'eos cognovisse, qui illos cognoverunt, qui alios cognoverunt, qui felicem male viventium conditionem animadvertabant & fatebantur. Verum in ipsa hominis fundatur Natura, ut plane naturale sit si quis rem bene perpenderit, eos de felicitate sua futura, qui contra naturam peccant, metu & solitudine suspensos dubitare, & ad suspectam, quæ sibi imminet, Numinis vindictam trepidare;

pidare, eos contra, qui leges Naturæ cum conditoris reverentia observarunt, bonâ spe vivere debere & mori. Hanc autem animi ægritudinem, angores hofce & suspiciones de futuro post hanc vitam statu, quibus contristari se farentur, qui extra leges naturæ suæ vixerunt, vitare atque effugere, Gaudium contrâ illud excellens quod ex læta benefactorum conscientia proficiscitur, acquirere, Naturalis inter Paganos Religionis, & virtutum quaruncunque moralium finis videtur maxime genuinus.

**Num. 10. De Differentiis Philosophorum & diversis eorundem Principiis. Dogmatum Fidei Christianæ cum Hypothese nostra de moribus concordia. Eiusdem cum doctissimi Jansenii doctrina comparatio. Ubi etiam obiter disquiritur, An Virtutes & Bona quæ dicuntur Opera Gentilium mera sint Peccata? Singularis Justinii Martyris de æterna Socratis salute ventilatur Opinio. De antiquorum quorundam studio, qui Theologiam Judæorum & Christianorum cum Gentilium Philosophia componere voluerunt.**

Si quærat, quâ tandem Analogia se osculari videbuntur Ethica Gentilium & Christiana? Respondebimus (ut opinor) recte, si dicamus, quod, quemadmodum in Religione, quam docuit Servator, requiritur *Fides Christiana per dilectionem operans*, ut Christianus aliquis bene operari possit; ita ut Paganus aliquis suo modo bene (id est, sensu *S. Augustini*, minus male) operetur, requiritur *Fides in Deum creatorem per Dilectionem saltem Paganam operans*. Fides enim Pagana ad Opera meliora Paganorum erat necessaria: quia illa fides, qualis qualis est, tamen auxilium dat ad Deum amandum, & creaturam propter Deum & ejusdem

eiusdem Dei jussu, diligendum. Qui enim quoquo modo credit Deum esse Creatorem Rectoremque universi, nec non Pietatis & Justitiæ Remuneratorem, is eo movetur magis & impellitur ad pietatem & honestas actiones excollendas, quam qui hæc non crediderit. Quicquid autem egerit Rationalis conformiter rectæ suæ philosophiæ, propter Deum fecerit; & nisi sic, nec propter se fecerit. Sane nisi respectu Dei fecerit, prorsus sine ratione fecerit. Ita enim absque sensu Obligationis, absque spe Mercedis, absque grati animi propter accepta Dei beneficia retributione. Et si sic fecerit, Stoice, id est, stultissime fecerit; Virtutem sine ratione sectatus est. Opera igitur sapientum è Paganis, affectusque meliores (meliores dicas, seu minus malos, non moror) dicimus ex sincero Dei amore profluere, sed adhuc Pagano amore Dei; non ex improbâ sæculi concupiscentiâ. Dari enim medium putamus inter Charitatem Christianam per Amorem Christianum operantem, & culpabilem Cupiditatem per *Jansenium* descriptam. Illud autem medium videtur *Charitas Dei Pagana* seu Philosophica, qualem in *Socrate* & *Heraclito*, dixit *Justinus Martyr*.

Dicimus insuper omnem amorem Creaturæ, in quo nullus est ad Deum Creatorem, Rectoremque Universi, & bonorum Remuneratorem respectus, malum esse, & culpabilem; non ita eum affectum, in quo simul respicitur Dei Gloria & Felicitas propria. Quomodo autem poterunt tam Christiani quam Ethnici suam felicitatem simul & Dei Gloriam ut distinctos, sed bene inter se convenientes, fines intueri, suo loco differemus. Illos interim omnes condemnamus, qui ipsum Opus, vel vanum splendorem Operis spectant, ut Stoici; vel Curiositatem, vel Voluptatem, vel Divitias, affectu interim à Deo remoto aut abstracto. Quinimo affirmamus stultissimum plane esse, vitio & typho plenum, Virtutem propter se expetere, vel virtutis Officio fungi propter solam honestatem atque pulchritudinem, aut propter ipsam Voluptatem; nisi nobilis illa Voluptas sit, quæ ex divini amoris sensu profluit; qualem se captare Nobiliores Ethnici ex Notitiis à Deo insitis, rite perpensis observatisque prædicabant.

Non dicimus Paganos inde excusari, si qui erant, quæ Virtutem sectabantur, quæ suâ naturâ ad Deum referri possit; cum ipsi interim eo non spectaverint, qui ex virtute agere videbantur. Nec ad Socraticos, Platonicos, Pythagoros, eorumque sequaces, sed ad Stoicos apertissime spectabit, quod proprium dixit *Jansenius* Philosophicæ Virtutis, 'Eos, scilicet: Virtutis quadam celsitudine ruinosa delectatos Virtutem ideo experivisse, ut in oculis suis excellere, & sese oblectarent, & sibi placerent; cum Deo levasse oculos, eique placere debuissent. Concludimus igitur cum *S. Augustino* & doctissimo *Jansenio* solâ voluntate placendi per Virtutem Deo evitari posse ne Virtus humana superbiat; & sibi solummodo non Creatori placendo, fiat vitiosa. Dicimus tandem cum iisdem doctoribus, nullum Opus vere bonum esse posse, nisi fluat ex Dei amore. Lex enim Naturæ ab Homine exigit, ut Creatori suo semper sit gratus. Et cum à Bonitate & Largitate divini Numinis omne suum habuerit, ab eodem quicquid est, & quicquid potest acceperit, Lege Gratitude tenetur Deum, totis Viribus à Deo sibi gratiose concessis, supra omnia diligere. Adeoque *Bellarmino* non inviti accedimus, [*lib. 5. de Gratia, & lib. Arb. cap. 9.*] asserenti, 'Ethnicos posse etiam sine fide Christiana cognoscere Deum esse, & curam nostri gerere: posse etiam operari Bona Motalia, ut Deo auctori Naturæ obediant. Quomodo *Tullius* in *somno Scipionis*, monet administrandam esse rempub. diligenter, quia summo Deo nihil est grarius, quam ut Concilia cœtusque hominum recte gubernentur.

Frustraneam autem & non necessariam dicimus distinctionem, quâ distinguunt nonnulli, quendam Amorem Dei *Virtualem & implicitum* ab Amore Dei *formali & explicito*. Quasi aliquis Deum ignorans censeret tamen possit illum implicite amare; cum diligit actiones quasdam à Deo præceptas, quæ hoc ipso Deo placere censendæ sunt. Nam qui Deum ignorat, is non operatur ex Dei Amore. Amare enim profus ignotum nemo potest. Qui autem non operatur ex Dei Amore actuali vel habituali, ex suâ Amore (ut est verisimile) operatur, & seipsum supra omnia diligit.

Ad Stoicos etiam proprie, non ad Academicos, vel Peripateticos veteres spectabit, quod dixit *Jansenius* [*lib. 4. Natura lapsa, cap. 12.*] ‘Extremum terminans Philosophorum appetitum esse ipsam rationem, quatenus Dominica & Imperatrix, & extrema vitæ Norma. Diximus enim jam, & dicemus infra, Rationis dictata à Deo esse primâ rerum omnium causâ; adeoque quod Recta Ratio dictat faciendum, à Deo dictari faciendum; idque satis intellexisse Philosophorum præstantiores. Quod scilicet Communes Notitias è *ἡμυρῶς ἀποθεοῦσι τῆς λογικῆς ἡγῶς*. Ita *Hierocles*. Unde principium & origo Justitiæ dicitur esse à Deo; quod Deus ipse rationem practicam & conscientiam hominibus inseverit. Cui obsequendo æternæ veritatis luci se obsequi nobiliores credebant Philosophi; neque Rationi obtemperando, se colebant, aut aliquid à se creatum; sed Deum Optimum Maximum, qui Rationem quasi *ἑνοικον θεῶν*, *Numen domesticum* sui que Vicarium in mentibus hominum (præstantissimum quod in homine est divinæ largitatis munus) collocavit. Exclamare igitur cum *S. Augustino* juste poterimus. ‘Absit ut virtutes veræ cuiquam serviant nisi illi, vel propter illum, cui dicimus, Deus, Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscunque commodis & emolumentis temporalibus serviunt (cujusmodi *Epicureorum Virtutes*) Veræ prorsus esse non possunt. Quæ autem nulli rei servire volunt (cujusmodi sunt *Virtutes Stoicorum*) nec ipsæ bonæ sunt. Veræ quippe Virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus. *lib. 4. cont. Julian, c. 3.* Neque hoc Philosophos tangit divini Numinis cultores, quorum Virtutes ad Dei Voluntatem perficiendam tendebant communibus Notitiis præfectam. Demus Epicureos Ventrem suum Deum fecisse, demus Stoicos inani Gloriæ sacrificasse: idem de cæteris universim Philosophis absque manifesta calumnia dici non potest.

Ad doctrinam autem *S. Augustini*, prout à *Jansenio* explicatur, hætenus accedimus. Dicimus ad Opus bonum Morale, sic dictum sensu *Augustini*, (id est, ad opus perfectissime bonum, cuique nulla adhæret *ἄνομια*) necessariam esse Gratiam; non quamlibet, sed quæ sit Ordinis

supernaturalis, & per quam primo creatur in hominibus Fides : neque hæc qualiscunque, sed Christiana & infusa. Ab hujusmodi fide incipere dicimus omnem volitionem perfecte bonam ; & sine eâ impossibile factu esse aliquod Opus quod perfectissime bonum dici debeat. Nec tamen dicimus Opera Gentilium meliora Christianâ fide carentium protinus mera peccata esse , aut ex Babylonica dilectione processisse. Merum enim peccatum videtur quod nihil probitatis habet admixtum : neque quæcunque Dei Opt. Max. Dilectio, dilectio Babylonica dici debuit. Sed ad speciem (ut loquuntur J. Cti) & cogitatorum, discorum, factorumque singularium considerationem, si placuerit, perveniamus. *Platonici* rationalem hominis Animam, eamque immortalem, nisi participato lumine illius Dei à quo & ipsa & mundus factus est, beatam esse non posse ajebant. Si quærat, an peccabant necne in hac Opinione assertioneque *Platonici* ? Respondebimus, non peccasse. Idem Philosophi vitam beatam, quam omnes appetunt, quenquam assecuturum negant, nisi qui Deo incommutabili puritate casti amoris adhererit. Si quærat, an in hac Opinione assertioneque peccabant necne ? Respondebimus item, non peccasse. Si quærat, ulterius, An qui propter Dei amorem, Beatitudinis etiam sibi acquirendæ intuitu, Naturæ suæ placitis, insitisque à Deo Notitiis practicis obsequi studebant, in pio sinceroque hujusmodi obsequii conatu peccabant, necne ? Respondebimus eos hoc conatu & studio non peccasse ; sed imperfectione conatûs operisque hujusmodi revera semper peccasse. Quemadmodum enim in Naturali Religione Imperfectiones & defectus sunt ; ita in omnibus vitæ Officiis defectus sunt in statu naturæ proportionali. Sicut enim in Physiologia dici solet, imbecillitates & peccata primæ concoctionis haud facile in secunda & tertia posse emendari : Ita cum prima Virtus sit Religio, quâ proportionem naturalis deficit Religio, eadem omnes ab ista Religione promanantes Virtutes deficere est necesse. Quod nisi ita esset, frustra esset Christiana Religio, frustra natus, frustra mortuus Christus ; si scilicet æterna salus per naturalem Religionem, & naturales Virtutes possit acquiri. ? *Diis Immortalibus (ut est apud Senecam, Epist. 93.*

\* *pist.* 93.) sola Virtus & beata Vita contingit; nobis umbra quædam illorum bonorum & similitudo. Accedimus ad illa, non pervenimus. Ratio vera Diis Hominibusque communis: hæc in illis consummata est; in nobis divina Ope consummabilis: sed ad desperationem nos vitia nostra perducunt. In Quæstione tandem, An Philosophi (tales enim erant plerique) qui recte de Deo summo credentes, errori tamen populorum cedebant, & multos Deos colendos affirmabant, vel Dæmonibus cultum pro communi gentium more deferendum differebant, vel saltem obicem nullum communi Nationum Idololatriæ ausi sunt ponere, peccabant, necne? His sane circumstantiis cum *D. Paulo* & *S. Augustino* respondebimus, *Evansisse eos in cogitationibus suis, & gravissimi fuisse peccati reos, quòd Deum cognoscentes eum solum non ut Deum glorificaverunt.*

Laudat *Platonicos Augustinus*, quod verum Deum & rerum Autorem, & Veritatis illustratorem, & beatitudinis largitorem esse dixerint. *De Civit. Dei. lib. 8. c. 5.* Quod dixerint incorporeum esse Ens & Immutabile, eumque solum vere esse, & ab eodem omnia fieri. *c. 6.* Quod Lumen Mentium asseruerint eundem Deum. *c. 7.* Quod beatum pronuntiaverint hominem fruentem Deo. *c. 8.* Deinde *cap. 9.* *Platonem* etiam celebrat, quòd finem Boni determinaverit esse, secundum virtutem vivere: illudque ei soli evenire posse dixerit, qui Notitiam Dei habeat & imitationem; nec aliam esse ob causam beatum. Quodque non dubitaverit affirmare Philosophari esse amare Deum, *&c. ib.* Sic deinde de Philosophis generaliter sententiam suam enarravit. 'Quinque, *inquit*, Philosophi de summo & vero Deo ista senserunt, quod & rerum creatarum sit effector, & lumen cognoscendarum, & bonum agendarum. Quod ab illo nobis sit & principium Naturæ, & Veritas doctrinæ, & felicitas Vitæ: sive *Platonici* accommodatius nuncupentur; sive quodlibet aliud sectæ suæ nomen imponant; sive tantummodo Ionici generis qui in iis præcipui fuerunt, ita senserint; sicut idem *Plato*, & qui eum bene intellexerunt: sive etiam Italici propter *Pythagoram* & *Pythagoros*, & si qui forte alii ejusdem sententiæ indices fuerunt: sive aliarum quoque gen-  
 'tium



'cium qui sapientes & Philosophi habiti sunt, *Atlantior,*  
 ' *Libyci, Egyptii, Indi, Persa, Chaldaei, Scythae, Galli,*  
 ' *Hispam,* aliique reperiuntur qui hoc viderunt & docue-  
 ' runt; eos omnes ceteris anteponimus. *Cap. autem g.*  
*proximo sequenti.* 'Cum alii, *inquit,* Philosophi ingenia  
 ' sua studiaque contriverint, in requirendis rerum causis,  
 ' & quinam esset modus discendi atque vivendi; isti, Deo  
 ' cognito, reppererunt ubi esset causa constitutæ universita-  
 ' tis, & lux percipiendæ veritatis, & fons bibendæ felici-  
 ' tatis. Sive isti *Platonici,* sive quicumque alii quarumlibet  
 ' gentium Philosophi de Deo ista sentiunt, nobiscum sen-  
 ' tiunt. Ex quibus apparet *S. Augustinum* pro magna sua  
 perspicacitate Philosophorum justam constituisse Differen-  
 tiam. Stoicos, Epicureos aliosque veritatis impugna-  
 tores vituperasse sedulo; non ita Pythagoræos, Platonicos,  
 aliosque nobiliores divinioreque Philosophos. Quamvis  
 enim in illis lapsus aliquos alicubi detexerit, quatenus ta-  
 men in speculationibus aut praxi rectum verumque affe-  
 cuti sunt, & Christianis accedebant, eatenus probat lau-  
 datque *Augustinus.*

Dicimus etiam cum veteribus eum Dei Amorem, quo  
 Gentilium & Paganorum præstantiores Deum Creatorem  
 diligendum cernebant, non potuisse in iisdem nasci absque  
 magno beneficio & gratia ejusdem Dei. Talem Dei Amo-  
 rem etiam in Philosophis præstantioribus agnoscit *Augusti-*  
*nus.* Ita *lib. 10. de Civitate Dei. cap. 1.* 'Vitam beatam,  
 ' *inquit,* *Platonici* quæquam assecuturum negant, qui non  
 ' illi Uni, Optimo, qui est incommutabilis Deus, puri-  
 ' tate casti amoris adhæserit. *Cap. 11.* 'Deo simpliciter  
 ' adhærere (*nempe puritate casti Amoris*) fatentibus *Pla-*  
 ' *tonicis,* solum beatificum bonum est. *Lib. 8. eod. cap. 5.*  
 ' *Plato* Dei Imitatorem, Cognitorem, Amatorem dixit  
 ' sapientem, & ejusdem Dei participatione beatum. Eun-  
 ' dem Deum agnoscunt tam Veritatis illustratorem, quam  
 rerum Autorem. *lib. 8. de Civ. c. 5. & Lib. 4. cont. Julia-*  
*nium, cap. 3.* Philosophos ex Schola *Pythagora & Platonis*  
 notat dixisse 'Veras virtutes non esse nisi quæ menti quo-  
 ' dammodo imprimuntur à forma illius æternæ, immutæ-  
 ' bilisque substantiæ, quæ est Deus. Alibi ex sententia  
*Platonis* Deus dicitur, 'Naturarum omnium Autor, In-  
 ' telligentia

Intelligentiæ dator, & amoris, quo bene beateque vivatur, inspirator. *Lib. 11. de Civit. cap. 25.* ' Quia Natura nostra ut esset, Deum habet autorem; proculdubio ut vera sapiamus, ipsum debemus habere doctorem; ipsum etiam, ut beati simus, suavitatis intimæ largitorem. Ita ex sua & Platoniorum sententiâ *S. Augustinus*. Observavit etiam doctiss. *Seldenus. lib. 1. de jure Nat. c. 9.* vetustiores statuisse non Animæ partem seu facultatem fuisse Intellectum illum Agentem (de quo in Scholis olim multum disserebatur) sed ipsum numen sanctissimum mentem ipsam immediate illuminans. Ubi & egregium *Rogeri Baconis* testimonium attexit, quo ostendit à Deo totam esse Philosophorum illustrationem; quodque Intellectus Agens sit Deus principaliter; Deumque respectu Animæ esse sicut sol respectu Oculi corporalis. Ubi & illustre citat ex Arabico Mss. testimonium, quod sic interpretatur. ' Locum non habet Ratiocinatio in homine; neque intra ejusdem structuram formatur: sed à Deo Opt. Max. qui dirigit nos, venit disciplina illa, quæ nos vocat in viam veritatis per illuminationem probationis & demonstrationis.

Ex his initiis duæ olim inter Christianorum doctiores nascebantur Quæstiones :

Prima, *An Deus consque illuminaverit adjuveritque aliquos gentilium, ut ex ejusdem illuminatione & auxilio bona Opera perfecerint?*

Secunda, *An consque illuminaverit, adjuveritque, ut Opera perfecerint, quibus ad aeternam ex Christi gratiâ & Merito salutem possent perducî?*

Secundam ex antiquioribus paucissimi affirmarunt; priorem Pelagiani, alique nonnulli.

Contra utriusque affirmationem illud *D. Pauli ad Eph. cap. 5. vers. 12.* imprimis allegatur; ubi de Gentilibus dicitur, quod quo tempore sine Christo vixerunt, alieni erant à repub. Israëlitis, & extranei à patris promissionis, spem non habentes, Atque in Abundo, Universaliter sanc

sane verum est Gentes à rep. *Israelis* fuisse semper alienissimas; promissionesque de *Christo* parcius esse inter Gentes prædicatas & obscurius. Quis inter Gentes intellexit *Sybillas* de *Christo* prophetasse? Legerat *Cumæa* Carmina *Virgilius*, sed aliò avertit: sicut ex versibus illis *Eclogæ* 4. intelligimus.

*Ultima Cumæi venit jam Carminis ætas.*

*Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.*

*Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna.*

*Jam nova progenies cælo dimittitur alto. &c.*

Quod vero sequitur de *Ephesiis*, aliisque forte Gentilibus dictum, *ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, ἃ Ἄθεοι ἐκ κόσμου*, restrictius paulo, nec largo ultra historiarum veritatem sensu videtur intelligendum. Christianam sane spem non habebant Ethnici, divinis de futura Resurrectione vitæ æternæ promissis stabilitam; sed Paganam saltem probabilibus conjecturis, nec evidenti certaque ratiocinatione nixam: Animam scilicet esse immortalem; meliusque fore post hanc vitæ legem Naturæ, id est Dei, non spernentibus. Gentiles vero omnes non fuisse Atheos, ita manifeste verum est, ut non desint Theologi, qui nullos omnino reverè Atheos esse dixerint. Certissimum etiam est Gentilium plurimos divinæ Unitatis fortissimos extitisse assertores. Pro hac asserendâ *Socrates*, quasi Paganus Martyr, mortem obiisse dicitur. Nemo igitur Opinionem historiarum superiorum temporum veritati contrariam Apostolo imputet. Credibilius videtur Apostolum corruptionem sæculi Evangelicam prædicationem immediate præcedentis acrius corripuisse; sicut idem Apostolus *ad Rom.* 1. 25. &c. fecerat. Dum enim Gentilium plurimi Theologiam veram seu Veritatem Dei in mendacium & fabulas & Theologiam Poeticam converterunt, in Atheismum facile sunt prolapsi, affectuum & habituum pravorum impetu eos etiam in impiissimam Atheorum pravitatem detrudente.

Ulterius etiam argumentantur ex Autoritate *S. Augustini*. Et fatendum sane est doctissimum hunc purioris & primitivæ Ecclesiæ Patrem nullum bonum opus agnoscere, nisi quod datur per Mediatorem Christum. *v. lib. 4. cont. Julian.*

*Julian. c. 3.* Neque enim ille duplex opus bonum esse statuit, duplicemve voluntatem bonam, unam vitæ æternæ meritoriam, alteram non. Sed cum fateretur *Julianus* opera, quæ dicebat bona, infidelium non posse eos ad salutem sempiternam perducere; *S. Augustinus* nullum agnovit Opus bonum, nisi quod ex fide procederet, per dilectionem operante, operantemque fideliter ad vitam æternam perduceret. Quicquid reliquum dixit *Julianus* Opus Bonum, *S. Augustino* non solum non videbatur bonum, sed prorsus malum, peccatum, injustitia, reatus ignibus puniendus. Nullum enim Opus, sicut oportet, nullum opus Fidei, aut vera pietatis agnoscit, nisi plene perfectum. Tale autem Viribus Naturæ fieri posse omnes constantè pernegamus. Fatebantur enim ipsi Pelagiani opera Paganorum esse pietatis æternæque vitæ sterilia. *Augustinus*, sicut dicebat esse sterilia non meritoria, ita non esse virtutes veras, sed peccata & mala. 'Pia, inquit, virtus est 'Utilis Virtus. *August. serm. natalit. Casti & Emilii, in App. unde & lib. 4. cont. Julianum, c. 3.* 'Nullo modo, 'inquit, homines sunt steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali.

Nec pauci sunt *S. Augustinum* hac ex parte secuti doctissimi Theologi, qui studiose contendunt bonos nullos dici debere, nisi Christianos. Bonos in sensu Theologico omnes solosque dici, qui sunt in Christo Regeniti, & novam proinde Naturam induerunt: quâ definitione facile excluduntur Ethnici quicumque. Nemo enim eo desipuit, ut Gentiles vulgo Regenitos esse, & novam naturam induisse diceret. Neque sane, si ita restricto sensu sumatur apud Theologos Bonitas, ut Christianus Bonusque convertantur, multum interest. Nova solummodo Optimorum Gentilium conditioni aptanda sunt, si non etiam cudenda, Vocabula. Non dicatur *bonus* aut *sapiens* Paganus præstantior; alio saltem vocabulo, quæcunque est, Pagana virtus declaretur. Quæ alias erit inter Paganos ipsos probitatis atque improbitatis distinctio? Etiam ipsi Pelagiani, cum bonos dicebant, intelligebant respectu Christianorum imperfecte bonos. Honestiores igitur Ethnici, si magis placuerit, dicantur minus mali: mali tamen, propter eam bonitatis imperfectionem propter quam dixit *Augustinus* vitiosos;

viciosos; qui illud quod minus est semper ponit in vitio.

Cum autem hic *S. Augustinum* solummodo sequamur, cavendum est ne ipsis *S. Augustini* vestigiis nimis presse inhaereamus. Quod si fecerimus, vel de perfectissimo Christiano dici potest Bonum esse imperfectè; id est, sensu *S. Augustini* vitiosum: juxta quod scribit, *Epist. 29. ad Hieronymum*. ‘Charitas in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est: plenissima vero, quæ jam non potest augeri, quamdiu hic homo vivit, in nemine est: quamdiu autem augeri potest [adde, & debet] profecto illud quod minus est, quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est justus in terra qui facit bonum, & non peccat. Ita si quis vocabula innovare voluerit, *Jobum* non dicendus esse homo integer seu perfectus (quod tamen facit Sp: Sanctus) sed minus malus. Sane

*Dum vitii nemo sine nascitur, optimus ille est,*

*Qui minimis urgetur.*—— ‘Diis Immortalibus, dixit *Seneca* (ego dico Sanctis in cœlesti gloria perfectis) sola virtus & beata vita contingit, nobis umbra quædam virtutis & similitudo. Ubi vero convenit de re, sollicita nimis mihi videtur hæc de terminis Controversia. Qualis enim olim erat inter *Peripateticos & Stoicos* de bonis fortunæ & corporis litigatio, talis mihi videtur hæc de bonis Operibus Gentilium. Quæ enim parva Bona dicebant *Peripatetici*, non Bona sed Præposita saltem, vel Præponenda, Sumenda vel Eligenda dicebant *Stoici*. Quæ *Peripatetici* Mala sed ex malis Minima, ea *Stoici* non mala sed tamen *Aspera, Incommoda, Rejicienda*, dicebant. Fallor! annon talis in hac controversia est, non de re, sed de verbis contentio, meraque λογμαχία? dum quorum actiones alii dicunt imperfecte bonas, *S. Augustinus*, & post eum *Jansenius*, dicebant minus Malas, adeoque Præponendas, Sumendasq; (præ contrariis) sive Eligendas confitebantur. Audiendi igitur sunt, ut de *Stoicis* olim dixit *Cicero*, sed cum interprete. Neque enim, dum Virtutes Ethnicorum mera Peccata esse, & ex *Babylonica* dilectione processisse declamant, absque interprete, qui asperius dictis ponat temperamentum, videntur audiendi,

Neque

Neque notatu est indignum, quod inter Characteres fidei ad *Ebraos xi.* nonnullum videtur habere locum Fides in Deum Opt. Max. qualis erat Pagana, qua creditur Deumq; esse, atque esse Remuneratorem; qua intelligimus, ut ibidem advertit *Apostolus*, *Mundos verbo Dei esse fabricatos*; qualisque forte erat *Rahab* Hospitæ (quam meretricem dicunt) qualisque forte erat *Socratis & Heracliti*, quorum meminit *Justinus Martyr*, aliique ad quos sonus Evangelii non pervenit. Nihil enim impedit, quo minus fides huiusmodi Pagana, spesque futuræ alicujus post hanc vitam Remunerationis, opera possint producere (quocunque vocabulo nuncupentur) quæ intelligimus moraliter Bona; quæque elogium illud *S. Pauli* mereantur, quod sint *honestæ & hominibus Utilia: Tit. 3. 9.* Licet (ut ipsi fatentur *Pelagiani*) salutis æternæ procurandæ sit infructuosa; nihil impedit quo minus moralem justitiam, charitatemque producant, quæ in Innocentia, Fide, Gratitude, cæterisque morum virtutibus exercetur, & in qua omnis Ethnica consistebat Virtus, Honestas, & in tota hominum communitate Sociabilis conversatio. Quam Virtutem sive Honestatem Moralem, quâ nihil, exceptâ Dei gratiâ, universitas rationalium melius novit, non solum Ecclesiæ praxi commendavit, sed sacrificiis omnibus veteris, Sacramentis novi fœderis, cunctis utriusque instituti cultûs partibus, in veteri novoque Testamento pluribus instantiis Deus Opt. Max. aperte prætulit. Hac ipsa tamen fatemur (licet plurimi se diligenter excoluerint) nemo tamen eo evedus est, ut possit ex justitiæ suæ contemplatione sibi suisque meritis plene confidere. Propter hunc autem Justitiæ defectum doctrina de Necessitate placandi Numinis in omnium Gentium mores (*ut cap. ult. disserimus*) videtur introducta,

## Ad Secundam Quæstionem.

*An Deus Opt. Maximus quosdam ex præstantioribus Gentilium ita illuminaverit adjuveritque, ut ex Christi gratiâ & merito possint æternam salutem consequi?*

Imprimis pauci, qui hanc affirmant, cum justitiâ & misericordiâ Dei consistere aiunt, ut præstantiores Gentilium ab æterna damnatione & miseria eximat. Sicut enim jure potest Deus infantes à fidelibus natos servare, & peccatum originale illis condonare, propter summa *Christi* Merita; licet satisfactionem nesciant per Mortem *Christi* pro se factam, & Fide in *Christum* profus sint destituti: ita etiam præstantes virtute Ethnicos, qui ad Naturæ, id est, naturalem Dei legem studiose se componere conati sunt, eâdem misericordiâ & justitia è Gehennæ pœnis poterit vindicare. Ad Justitiam Facti asserendam plures forte Juris Regulæ citari poterunt: qualis illa *Inst. quibus modis tollitur Obligatio. in princ.* ‘Non interest quis solvat, ‘utrum ipse qui debet, an alius pro eo. Liberatur etiam ‘Debitor & alio solvente; sive sciente sive ignorante Debitore solutio fiat. Et *Gaii illud, l. 5. Dig. de solut. & liberationib.* Solvere pro ignorante & invito cuique licet; ‘cum Jure sit constitutum licere etiam ignorantis invitique conditionem meliorem facere. Satisfactionis igitur sive solutionis veritati nihil detrahit ex communi inter homines Jure, si principalis Debitor nesciat talem solutionem pro se fieri.

Singularis autem *Justini Martyris* sententia, Gentilium nonnullos speciali Dei Gratia illuminatos *Christum* participasse, jam videtur (quoniam modo ejus mentio incidit) verbo uno aut altero discutienda.

*Justinus Martyr Secundâ pro Christianis Apologiâ, pag. 65.* singulari & insolenti sententiâ præstantissimos Philosophorum sic videtur absolvisse. Ἐὐν χριστῶν, inquit, φωτιστικῶν τῶ θεῷ εἶν ἐδιδάχθημεν, καὶ παραμυρίσασμεν λόγον ὄντα, ἔτι πάντων ἀνθρώπων μέγιστα καὶ οἱ μὴ λόγοι βιώσαντες χριστιανῶν ἡμῶν

λέγει Ἄδριο ἐνομιδίου· διὸν ἐν Ἑλλήσι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς. ἐν Βαρβάροις δὲ Ἀβραάμ καὶ Ἀναβίας καὶ Ἀζαείας καὶ Μισαὴλ καὶ Ἡλίας, καὶ ἄλλοι πολλοί. Docemur *Christum* primogenitum esse Dei. Et antea ostendimus ipsum Rationem esse substantialem, cujus genus hominum universum participavit. Quicunque igitur cum ratione vixerunt, Christiani sunt, quantumvis pro Atheis sint habiti, quales in Græcis erant *Socrates* & *Heraclitus*, atque iis similes. Inter Barbaros autem *Ananias*, & *Azarias* & *Misael* & *Elias* & alii complures. Christiani Martyris & Philosophi sententia videtur hæc: *Jesum Christum* Primogenitum Dei esse substantialem & revera semper existentem Rationem: *Christum* hunc verum esse illud lumen, cujus aliquatenus universum hominum genus participavit, *lumen illud* quod ex phrasi *Spiritus Sancti*, *Joan. 1. 9. illuminat omnem hominem qui in mundum venerit*. Rationem hanc substantialem Deum esse cum Deo semper permanentem. Rationis quippe lumen aliud esse transeuns multisque permixtum tenebris, quale est humana ratio: in quâ nihil est omnino veri luminis, nisi quod a Substantiali sive Ente Lumine participaverit. Homines autem omnes quotquot in mundum venerunt, quatenus luminis hujusce Substantialis participarunt, eatenus esse Christianos; adeoque hac ratione *Socratem*, *Heraclitum*, *Ananiam*, *Azariam*, aliosque sic illuminatos tam Græcos quam Barbaros, Christianos dici meruisse. De Substantiali hac Ratione sive λόγος sic in *Dialogo cum Tryphone* *Judeo*, nimis audaci (ut videtur) sententia aut saltem locutionis formulâ, edisserit, Ἀρχὴν πρὸ πάντων τῶν κτισμάτων Θεὸς μέγιστη δύναμις πρῶτα ἐξ ἑαυτῆς λογικὴν, ἥτις καὶ δόξα κυρίου τῷ πνεύματι τῷ ἀγίῳ καλεῖται, ποιεῖ τὴν χάριν, ποιεῖ τὴν σοφίαν, ποιεῖ τὴν ἀγγελίαν, ποιεῖ τὸ θεῖον, ποιεῖ τὸ κτίειν καὶ λόγον. In principio, ante creaturas omnes virtutem quandam rationalem ex seipso genuit, quæ quidem & Gloria Domini a Spiritu Sancto vocatur, nonnunquam autem Filius, aliquando sapientia, quandoque Angelus, interdum Deus, aliquando Dominus & λόγος, i. e. Ratio sive verbum. Quod autem *Christum* λόγον ὄντα dixerit, pure est Platicum. Vehementer (sic *D. Augustinus*, de *Civ. Dei*. c. xi.) hoc *Plato* tenuit, & diligentissime commendavit, quod scilicet solus

Deus



' Deus revera Ens sit. Et nescio an hoc usquam reperiatur  
 ' in libris eorum, qui ante *Platonem* fuerant, nisi ubi dictum  
 ' est, *Ego sum qui sum*. Et dices eis, *Qui Est misit me ad*  
*Vos*. Id est *Exod. 3*. Sic *Augustinus, De Civ. Dei. lib. 8. c. xi*.  
 In quem locum sic *L. Vives. Ego sum qui sum. ἔγώ εἰμι ὁ εἶν.*  
 ' Quibus significat Deus se Esse illum qui sit: quoniam  
 ' ceteræ res vere & proprie non sunt. Manent. (ut inquit  
 ' *Seneca*) non quia æternæ sunt, sed quia defenduntur cura  
 ' regentis, futuræ prorsus nihil, si ille manum tolleret.  
*Plato, in Timæo & Sophista*, res corporales nunquam vere  
 Esse affirmat. In eodem *Sophista & Parmenide, Deum Unum*  
 & *Ens* appellat, à quo sint reliqua universa. In *Phædone*  
 de vero Philosopho locutus, ἐπέστρα, inquit, τῷ εἶν, *amat*  
 & *concupiscit id quod est*, seu Deum verum; & *τὸ εἶν*  
 ἡμεῖς ποτίζομεν τῷ θεῷ, *qui potitur Deo*. In *Timæo*, τὸ εἶν  
 αἰεὶ, γὰρ οὐδὲν ἔστιν ἕτερον. ' Ens verum semper esse, atque esse  
 ' Ingenitum. In eodem *Timæo*. Solummodo ' Est Deo  
 ' congruere, ait, Fuisse autem & Fore convenit dicere,  
 ' quæ in tempore genita cum tempore procedunt. Quæ  
*Gregorius Theologus* transtulit in *Orationem suam de Na-*  
*tali Christi*. ' Deus, inquit, fuit semper & est, & erit;  
 ' seu potius est semper: nam fuit, & erit partes sunt no-  
 ' stri temporis & fluxæ Naturæ; ille vero Ens semper.  
 Quæ & laudat *B. Theodoretus, de principiis, Lib. 2. de*  
*Grac. affect. cur. τὰ ἄνω καὶ τὰ κάτω μετὰ χρόνου, τὸ δ' ἦν ἔσται,*  
*&c.* ' Hæc omnia quæ loquentes usurpamus, videlicet  
 ' *erat & erit*, minutæ temporis & particulæ quædam sunt,  
 ' quæ imprudentes non recte divinæ ac æternæ Substantiæ  
 ' accommodamus. Dicimus enim & *fuisse*, & *esse*, &  
 ' *fore*. Æternæ autem substantiæ ipsum *est* duntaxat veris-  
 ' simâ congruit ratione. *Erat* autem atque *erit*, dici con-  
 ' venit de eâ generatione *quæ est in tempore*. Rectissime  
 sane *Mutius Panfa, De Osculo Ethnicæ & Christianæ Philo-*  
*sophiæ, cap. 31*. Nihil melius, nihil convenientius de  
 Deo dici posse asserit, quam quod *Sit*. ' Is enim solus *Est*,  
 ' verumque *Esse* ei soli convenit: cætera verò *Esse* non ha-  
 ' bent, cum sint in fluxu perenni atque perpetuo. Quod  
 ' dogma à *Mose* primitus editum, & in *Trismegistam* inox  
 ' ab eo derivatum, *Parmenides* & *Melissus* venerati & am-  
 ' plexi sunt: quos deinde secutus *Plato*, pæne innumeræ  
 ' de

de eo quod *Est*, unâ cum Platonice suis tradidit; & illa quidem admiranda: nempe quod sit unum, totum, indivisibile, & infinitum. Sed Satan humani generis hostis acerrimus, Simia Deitatis, simulans se verum esse Deum hoc titulo se salutandum instituit, sub *Apollinio* Nomine. Vide *Plutarchum de ð Delphico. Vivem. Pansam*, ubi supra. Sed hæc obiter.

Proximum *Socrati* divinæ Unitatis assertori tenacissimo & Pagano Martyri, *Heraclitum* adjungit *Justinus Martyr* Christianus. Atque hic sanè *Heraclitum* inter veteres Græcorum Philosophos λέγει Numinis (secundæ scil. ex Christianorum fide in Sacrosancta Trinitate Personæ) assertor habebatur. *Amelius* Ethnicus, qui *Porphyrus* Scholis præfuit, *Heraclitum* hunc pro doctrinæ similitudine *Joanni* Evangelistæ comparat. Verba *Amelii* sunt. καὶ ἔτ' ἄρα ἦν ὁ λέγων καθ' ὃν αἰεὶ ὄντα τὰ γινόμενα ἐγένετο, ὡς ἂν καὶ ὁ Ἡράκλειτος ἀξιώσκει. Καὶ γὰρ Δι' ὃν ὁ βάρβαρος (Joannem Evangelistam innuit) ἐν τῇ ἀρχῆς τάξος καὶ ἀξία καθεστηκότα, πρὸς τὸ θεῖον ἦν, δι' ἃ πᾶσι γινώσκων, ἐν ᾧ τὸ γινόμενον ζῶν, καὶ ζῶν, καὶ ὃν προκίμαι, καὶ οἷς τὰ σῶματα πίπθων, καὶ σάρκα ἐνδυσάμενον, φαντάζεσθαι ἄνθρωπον, μολὼν καὶ τῷ πνεύματι διοικεῖν τὸ εὐρύσις τὸ μεσολοῖον. Ἀμέλει καὶ ἀναλυθέντα πάλιν ἀποδιδύσθαι, καὶ θεῖον ἦν, δι' ἃ ἦν πρὸ τῷ οἷς τὸ σῶμα, καὶ τὴν σάρκα καὶ τὸ ἄνθρωπον καταχθῆναι. Quæ sic interpretatur apud *Theodoretum Acciasolis*. 'Atque hoc erat verbum, secundum quod semper fuerunt quæ facta sunt, sicut *Heraclitus* ipse se censeret. Et ita per *Jovem* Barbarus homo (*Joannem Evangelistam intelligit*) censeret in Principii loco & dignitate Verbum apud Deum constitutum, Deumque esse, per quem absolute omnia facta sunt. Quod itaque factum est in eo dicit & vivens & vitam & ens fuisse; in corpus autem illapsum carnemque indutum apparuisse hominem. In quo tamen & Naturæ suæ magnificentiam tunc ostenderit, cumque morte obitâ solveretur, rursus ad divinitatem rediisse affirmat, Deumque esse; qualis videlicet prius fuerat quam in carneum corpus hominemque descenderet. *Augustinus* item de *Civitate Dei* lib. x. c. 9. 'Initium, inquit, Sancti Evangelii, cui nomen est secundum *Joannem*, quidam Plonicus aureis literis conscribendum dicebat. In quæ verba sic commen-

tatus

tatus est *Ludovicus Vives*. ‘*Augustinus*, inquit, octavo  
 ‘ Confessionum ait se in libris Platoniorum legisse, etiam non  
 ‘ iisdem verbis, sententiam Evangelii *Joannis*. In prin-  
 ‘ cipio erat Verbum. *Amelius* autem Platonius sic in-  
 ‘ quit: Atque hoc erat illud Verbum, per quod ea quæ  
 ‘ facta sunt fiebant; cum tamen semper essent, quemad-  
 ‘ modum & *Heraclitus* voluit, & per Jovem *Barbarus* ille  
 ‘ censet in ordine dignitateque Principii constitutum apud  
 ‘ Deum esse, & Deum esse, & per ipsum omnia facta esse;  
 ‘ & in ipso quod factum est Vitum, & Vitam, & Ens fu-  
 ‘ isse. Porro nos ex *Platone* docuimus Verbo dei om-  
 ‘ nia esse facta, & ex *Plotino* filium dei esse Creatorem.  
 Hæc *Vives*. De consensienti Christianorum doctrinæ  
 ‘ *Platonis* & Platoniorum sententiâ ex *Numenio* & *Plotino*  
 sic *Theodoretus*. τὴν Πλάτωνος διδασκίαν ἀναπύδωντες καὶ ὁ  
 Πλωτῖνος καὶ ὁ Νυμῆσιος τεία φασὶ ἀπὸν εἰρηκῆναι ὑπέρχονα  
 καὶ αἰδία, τ’ Ἀγαθόν, καὶ Νῦν, καὶ τὸ Παντός τὴν ψυχὴν. Οὐ γὰρ  
 ἡμεῖς παλῖνα καλύμεν τ’ Ἀγαθόν ὀνομάζοντα, Νῦν δὲ ὅν ἡμεῖς  
 εἶδον καὶ λόγον προσαρρέουμεν, τὸ καὶ τὰ πάντα καὶ ζωοποιῶσαν  
 δύναμιν ψυχὴν καλύψα, ἢν Πνεῦμα ἄγιον θεοῖς προσαρρέουσι  
 λόγοι. ‘*Plotinus* & *Numenius* *Platonis* mentem explican-  
 ‘ tes tria illum dixisse ajunt super-temporalia esse & æter-  
 ‘ na. Bonum, Mentem & Universi Animam. Et Bonum  
 ‘ quidem vocare quem nos dicimus Patrem; Mentem ve-  
 ‘ rò quem nos Filium, Verbumque appellamus; Poten-  
 ‘ tiam vero, quæ omnia animet & vivificet, Universi ani-  
 ‘ mam vocat; eam videlicet quam Spiritum Sanctum Sa-  
 ‘ cræ literæ nominarunt. Atque hæc, ut ait *Theodoretus*,  
 ex Hebræorum sapientia & Theologiâ subducta sunt, ubi  
 & *Numenius* citat asserentem Opificis dei Patrem esse  
 primum principium; Opificem ipsum secundum. Et  
*Plotini* conscriptum de tribus principalibus bonis librū vide.  
 v. *Theodoretum* episcopum *Cyri*. lib. 2. de *Græcarum affectio-  
 num Curatione*.

Dicunt & Judæorum in Theologia Magistri, ex *Psalmo*  
 33. in versu 4. ‘ Verbo dei factos esse cælos, & spiritu  
 ‘ oris ejus omne exercitum eorum. Verbumque sive λόγον  
 esse illud הוֹרָא de quo scriptum est, *Gen. 1*. In principio,  
 sive per principium, *Deus creavit cælum & terram*.  
 S. *Augustinus* dixit, idque ex ore Apostolico, *Christum*  
 Dei

Dei Virtutem, & Dei Sapientiam; Spiritum sanctum Dei Charitatem. Sicut unicum Dei Verbum proprie vocatur nomine Sapientiz, cum sit universaliter & Spiritus Sanctus & Pater ipsa sapientia: ita Spiritus Sanctus nuncupatur proprie vocabulo Charitatis, cum sit & Pater & Filius universaliter charitas. Sed Dei Verbum, id est, Unigenitus Dei filius, aperte dictum est Dei Sapientia ore Apostolico, ubi ait, *1 Cor. 1. 24. Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Spiritus autem Sanctus ubi sit dictus Charitas invenimus, si diligenter Joannis Apostoli scrutemureloquium: qui cum dixisset, *1 Joan. 4. 7. Dilectissimi diligamus nos invicem, quia Dilectio ex Deo est: secutus adjunxit, & omnis qui diligit ex Deo natus est: qui non diligit, non cognovit Deum, quia Deus Dilectio est.* Hinc manifestavit eam se dixisse Dilectionem Deum, quam dixit ex Deo. *Et aliquantulum infra.* Ipse ergo Spiritus Sanctus significatur, ubi legitur, *v. 8. Deus Dilectio est.* Huc usque *B. Augustinus in 17 decimi quinti de Trinitate.* Plura videri possint apud *Raymundum Marsium, in pugione fidei. Part. 3. Dist. 1. cap. 5. pag. 405.* Ubi quoniam Judæi nomen Personæ in Deo audire detestantur, pluralitatem Deorum inde inductam arbitrati, suam istiusmodi promit sententiam. In Dissertationibus scilicet: coram Judæis subterfieri nomen *Personarum* voluit, & *Proprietates* dici, ita ut Pater Entis summi *Potentiam* denotet; Filius *Sapientiam*; Spiritus Sanctus ejusdem *Caritatem*. Sed qui plura hoc in argumento vult, *Eusebium* perat, *Præparationis Evangel. libro undecimo: ubi capite decimo quinto Philanem Judæum; capite decimo sexto Platonem; 17º Plotinum; 18º Numenium; 19º Amelinum;* omnes in doctrina de secundo Principio Christianis consentientes edocet. Necnon *Cyrrillum Archiepiscopum Alexandrinum, lib. 8. Pro Religione Christiana adv. Julianum: & Theodoretum* loco citato: & inter juniores *Mutium Pansam Pinnensem, de consensu Ethnica & Christiana Philosophiæ, cap. 36.* quomodo ex sensu Platonicorum Mundus à Bono, Boni filio & mundi Animâ procedat; nec eundem esse qui Materiam fecit, & qui format proxime: sed Materiam à summo quidem Bono esse, ab Intellectu Boni filio formari, ab Anima vero Mundi postremo moveri.

Et caruit sane malâ intentione studiosus plurimum inter antiquos conatus, qui ut Judæos simul & Philosophos lucrarentur, & ad Christianismum amplexandum persuaderent, Judæorum & Christianorum Theologiam cum præstantissimorum Gentilium Philosophia componere voluerunt, & congruentiam quandam sive conformitatem omnium ostendere. Aptissimum, qui id moliebantur doctores, hujusmodi conjunctionis mediam Philosophiam Platoniam cogitaverunt. Videntur tamen isti, qui Christianam Theologiam Philosophiæ Platonice inferere tentarunt, corruptisse puram aliquandiu fidem; idque in *Justino* forte, *Origine*, *Clemente Alexandrino*, aliisque veteribus, Hæresique *Arianorum* prima subministrasse initia. Donec tandem Conciliis Oecumenicis *Nicensi* & *Constantinopolitano* hujusmodi errores condemnati sublatique sunt. Neque enim alii quam radici congenere implantari potuit Theologia Christiana. *D. Petavius de Trinitate* scribit *Philonem* Judæum suis de filio Dei præconiis *Arianorum* armasse Perfidiam. *Conf. de Incarn. lib. xii. §. 2.* *Alexander Alex.* apud *Theodor. 1. 4.* dicit *Arium* confirmare *Græcorum Judæorumque de Christo Opinionem.* *Damasus PP.* in libello Synodico apud *Theod. v. 10.* dicit eos, qui de *Filio & Spiritu* male sentiunt, cum *Judæis & Gentilibus* convenire.

*Socratem* igitur imprimis & *Heraclitum*, & nobilissimos Gentilium Philosophos (ad quos sonus Evangelii pervenire non potuit) divini Numinis misericordix & Concilio beneplaciti committimus. *Secretum Dei apud eum est.* Et cum plane secretum sit, an velit, an possit, Christi merita imputari etiam ignorantibus Evangelium, nihil definimus: neque tamen frustra Mortuus est Christus, si sic imputentur merita.

Junioribus post scripta Evangelii publicata Platonice non multum debere Christianam religionem existimo. De *Philone* igitur Judæo, *Amelio*, *Plotino*, *Numenio*, cæterisque qui magnam mysteriorum Christianæ Religionis partem in Philosophiæ suæ arcana receperunt, nec tamen integram doctrinam, prout à Christo & Apostolis tradita est, recipere voluerunt, idem sentiendum statuo, quod de *Porphyrio* ipso sentiendum statuit *S. Augustinus. v. S. An.*

S. August. de Civ. Dei. lib. x. c. 27. & sequentib. & lib. 19. c. 23.

Nam neque ex imperfecta hac fide magis servari poterant, quam ex ejusdem professione debebant baptizari. Nemo autem ex judicio S. Augustini consequi baptismum potuit, nisi qui integro Agendorum & Credendorum corpori subscriperat, renuntiando improbis mundi concupiscentiis, profitendo ex Apostolorum Symbolo fidem, Universalemque Christi mandatis Obedientiam stipulando. Adeo ut etiam à baptismo submovendos judicaverit, qui legibus Christianæ Religionis omnibus se obtemperaturos sponderint, demptâ illâ de non iterando matrimonium ex Divortio. V. Augustinus De fide & Operib. cap. 8, 9, 10, 13, 16, 26, & ibidem passim.

His igitur non inepte applicari poterit, quod de Cornelio Centurione dicit Augustinus. Quæst. 2. lib. 1. Quæstionum ad Simplicianum. 'In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum Cælorum: sicut in Catechumenis, sicut in Cornelio, antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam vero tanta est, ut jam corpori Christi, & Sancto Dei Templo deputentur. Templum enim Dei sanctum est, inquit Apostolus, quod estis vos. Et ipse Dominus. Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu, non intrabis in Regnum cælorum. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus similes: non tamen solum concipi, sed & nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. Imo forte rectius dicendum erit Philosophos, de quibus modo disserimus, ex agnita mysteriorum rationabilitate, quæ in Sacrosancta Trinitate reveremur, magis reddi inexcusabiles, quod in cæteris ad Religionem spectantibus non subscriperint, quam esse ex mutila & imperfecta eorum fide justificandos.

Concludam igitur hanc qualemcumque digressiunculam cum eximia illa B. Theodoretii parænesi ad Viros doctos & Græcorum Philosophiæ studiosos. 'Nulla vos, inquit, (amici) perturbatio subeat, quod dici auditis & Verbum à Patre gigni, & cum Patre esse. Quæ enim sunt apud Platonem insulsissima, æquis animis auribusque accipitis. Ille enim & Deum Materiæ autorem, & tamen Deo coæternam materiam esse affirmat. Idemque Ideis

' ex Deo & cum Deo constituit. Vos autem Verbum Dei ;  
 ' Sanctumque Spiritum neque ex Deo prodire, neque esse  
 ' cum Deo creditis? Si enim Materiam, quæ est alterius  
 ' Naturæ quam Deus, generisque alterius, ac (uti ita dix-  
 ' erim) alienigena atque extranea, & ex Deo & cum Deo  
 ' esse vult *Plato*; multo magis rationi consentaneus, mul-  
 ' toque verior sermo noster putandus est. Neque enim  
 ' Filium alterius naturæ, neque Spiritum Sanctum, esse di-  
 ' cimus; sed unam Trinitatis substantiam prædicamus.  
 ' ( & non ita multo post ) ' Hæc autem ipsa nequaquam exacte  
 ' quisquam percipiet, nisi in sacrarum literarum studiis  
 ' versatus fuerit; ac nisi scientiæ hujus lumen divinâ col-  
 ' latum gratiâ acceperit. Legenda itaque sunt non solum  
 ' ea quæ nos sancti Apostoli docuerunt, sed ipsorum quo-  
 ' que Prophetarum Oracula. Ita enim qui & veteris &  
 ' novæ Theologiæ concordiam viderit, admirabitur veri-  
 ' tatem: fugietque *Diagora* quidem Milesii, Cyrenzique  
 ' *Theodori*, ac *Enemeri* Tegeatæ impiam pravitatem, quos  
 ' *Plutarchus* ait opinatos nullum omnino Deum esse. Stoi-  
 ' co tamen vero de Deo fugiet indignam Deo Opinionem. Hi  
 ' namque affirmarunt Deum corpore esse præditum. Sto-  
 ' machabitur etiam *Protagora* dubios de Deo infidelesque  
 ' sermones. Effugiet etiam aliorum fabulatorum erro-  
 ' rem, ipse scilicet *Platonis*, *Platonisque* similium. Quæ  
 ' illi è divinis surripuerunt Scripturis, deprehendet, at-  
 ' que admirabitur; quæ vero falsa & mendacia bonis ad-  
 ' miscuerunt, abradet ille, ac veluti fimum sterque  
 ' rejiciet ab animæ suæ sedibus. Sicut enim qui auro com-  
 ' mixtam terram, argentaceamve effodiunt, simulatque in  
 ' minuta quædam ramenta inciderint, ejusmodi vestigia  
 ' confestantes uberiores rimantur venas, neque prius ab  
 ' effodiendo desistunt, quata multam auri vim copiamque  
 ' invenerint, ex quâ ramenta illa sparsim diffusa fuerant:  
 ' ita & vos decet *Anaxagora*, *Pythagora*, *Platonis* insu-  
 ' per & *Numenii*, *Plutarchi*, atque *Plotini*, cæterorum-  
 ' que Philosophorum auditis sermonibus fontem perqui-  
 ' rere, ex quo illi, paucis admodum sacris undis accep-  
 ' tis, libros suos cultiores reddiderunt. Denique istorum  
 ' posthabitiâ paupertate, sapientiæ abyssum haurire vos  
 ' decet; unde quid sit Opifex, quid Opus exactissime do-  
 ' ceamini;

ceamini; quæ demum sit creaturarum dignitas, quæ oculis videri non possunt; quæ sit earum commoditas, quæ videntur. Hoc enim perdocti, Deum in magnam Deorum turbam minime divideris, sed Deum adorabitis, qui semper est, & ex insita sibi Bonitate rebus undequaque existentibus dedit esse ipsum, quo existunt.  
*&c. ib.*

**Numb. II. De Finibus constituendis dissertatio Theologica, quâ Imprimis disquiritur, An ab Ethnicis, vel Christianis sit peccatum, quoties Actionum Moralium Finem posuerunt Felicitatem propriam? Negativa sententia defenditur, Sanctosque in Sacra Pagina laudatos ad propriam felicitatem collimasse. Janse-  
 nius obiter animadversus, ubi dicit, Deum absolute diligendum absque omni nostri respectu. Autoris contra Janse-  
 nium duplex funiculus, Gloria Dei, & Salus propria. Quomodo Gloria Dei ulterior finis quam sui felicitas constituitur: ita ut sui felicitas medium ponatur ad Gloriam Dei procurandam, quod pluribus exemplis clare illustratur. Quod plures esse possint fines, quibus ad eandem honesti actionem sapiens moveatur. Ita temperantiæ fines inter Philosophos, ut sit & mens sana, & corpus sanum. Ita inter Christianos, quod gloria Dei**  
 &



*Et propria felicitas, quamvis seorsum sine subordinatione sibi invicem sumantur, possint per modum causæ finalis appetitum movere. Gloriam autem suam et felicitatem nostram cum Deus conjunxerit, humano ingenio non esse separanda.*

Diu est ex quo error in orbem irrepsit, Spem Christianam prorsus tollens, quæ ex Theologicis tribus virtutibus primariis una semper numeratur, gravem notam inurens cuicumque præmii expectationi. Is error (si quid recte sentio) originem imprimis duxisse visus est ex Stoicâ Philosophia. Bonos enim & sapientes virtutem debere sine mercedis cujuscunque contemplatione prosequi, Stoici magnis, sed oratoriis potius clamoribus, quam Philosophicis argumentis, imprimis contenderunt. A Stoicis ad Scholâs Christianas, sed potissimum ad Mysticos quos dicunt Theologos, è Contemplativorum in Romanâ Ecclesiâ sectâ transit error; ab his tandem ad fratres Antinomos, Fanaticos nostri temporis Famulos Amoris. Hi omnes, tantopere inter se aliâs dissidentes, in hoc tamen paradoxo convenerunt, ut prohiberent ne Sectatores sui Ethicas vel Theologicas Virtutes, Spe Mercedis vel vindictæ metu, quoquo modo persequerentur.

Rationes quas ponunt Neoterici, tam Theologi quam Philosophi, quibus probetur, quod turpe sit bona opera non pure propter se, sed intuitu Mercedis præstare, sunt hujusmodi. Imprimis. Quod omnium recte actorum finis sit Deus. Quod omnia, quæ fecit ipse, propter se ipsum fecit; omniaque, quæ nos facimus, propter ipsum per nos fieri oportet. Contraria tamen verior videtur sententia, ex qua primo concluditur,

### Conclusio I.

*Neminem eo peccare, quod felicitatem propriam censuram*

*nono rerum agendarum respexerit.* Conclusio hoc apud Christianos argumento confirmari poterit. Quod sic fecisse sub utroque fœdere piis sit concessum. Ita testatur divinus ad *Ebraeos* Scriptor, de *Mose* scil. fidelissimo Dei servo, quod *majorum factus*, repudiata regis familiarum dignitate & temporali splendore, recusavit amplius Filius nuncupari *Pharaonis* naz, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati frui jucunditate; Majores divitias æstimans thesauris *Aegyptiorum* opprobriam Christi. Respexit enim ad Præmii Retributionem. *Heb. 11. 26.* Quin & *Abrahamus* fidelium omnium, adeoque ipsius *Mosis*, Pater, cum à Deo vocatus est, per Fidem obedivit Oraculo, exiitque in locum destinatae hereditatis, nesciens quo esset profecturus. Etiam domi suæ (terrâ scil. quæ ei à Deo est adpromissa) tanquam in extraneâ in tentoriis habitavit inquilinus; perinde atque post *Isaacs* & *Jacobus* cohæredes ejusdem promissionis. Quid enim? expectabat *Abrahamus* (expectabant Patriarchæ) civitatem fundamentis firmam; cujus opifex & conditor Deus. *ad Heb. item. 11. v. 9. 10. &c.* Quin & huic accensere numero licet permagnam illam testium Nubem, quorum dicto capite memoriz occurrunt. Qui omnes eminens conspicari promissam in cœlo Patriam, in hanc ipsam ceu certum Vitæ finem, per innumera rerum discrimina tendentes, oculis defixis collimabant. Sed quid gregarios jam moramur, vel etiam militum primipilos? Cum Dux & Consummator Fidei, *Christus* ipse; dum sustineret crucem, pro gaudio sibi proposito eam sustinuisse ab Apostolo referatur. *ad Heb. 12. 2.* Cumque disertis verbis *animarum salus* cuique nostrum fidei ipsius finis, Apostolo *Petro* asserente, audiat. *1 Pet. 1. 9.*

## Conclusio II.

Secundo etiam ex Sacra item pagina recte possit ulterius affirmari, *Propriam cuique felicitatem reverà fuisse Scopum ipsum ac finem, in quem Sancti Patres collimabant; non consequens solummodo aliquid, & necessario semper adjunctum Fini.* Dictum enim est *Mosen* ad *judæos* respexisse; non

non ad Gloriam dei solummodo, cui consequutura erat *μδναποδοσία*. *Abrahamus* item Civitatem ipsam è Longinquo est intuitus, non aliquid cui Civitas ea necessario appendebatur. Et Servator pro ipso, quod proponebatur ei, gaudio, seipsum abnegavit, crucemque passus est: ita ut Vis quædam motrix & impulsiva, adeoque causalis, in ipso gaudio extitisse videatur. Quin & salus animarum, non consequens Fini, verum Finis ipse loco citato ab Apostolo statuitur. Non tamen ita dicitur finis, ut alios excludat: nec *Mosen* ad *μδναποδοσίαν* solam, *Abrahamum* ad Civitatem solam respexisse, aut Servatorem non sibi propositam habuisse Patris etiam Gloriam, alicubi in sacro infirmatum textu legimus; sed contrarium semper testantur Scripturæ.

Porro si commodum aut felicitas nobis ita proponatur, ut asequi eam possimus, impossibile est ut non eò feramur: ita enim naturâ comparati sumus, ut quam beatissime vivi à nobis præ cæteris rebus omnibus id cupiamus unice. Nec potest aliud, donec humanam hanc non seponimus Naturam, quam appetitum movere magnum aliquod, si objiciatur, bonum. Adeo ut nulla omnino sit ratio, cur Causalitas ei detrahatur, aut etiam vicio (cum autor Naturæ summus hanc nobis infecerit *φειλασπίαν*) cuiuspiam vertatur.

Sicut igitur in Stoicis, aut Poetica erat Hyperbole, aut heroica saltem supra communem hominis Naturam sublimitas, cum se gratis & sine Mercedis cujuscunque intuitu, Virtutem doloribus & periculis confitam sectari dicebant: ita quidem. (ut mihi videtur) Heroica quædam, supra communem etiam Regeneratorum Naturam, à *Jansenio* requiritur Altitudo & Christianæ virtutis sublimitas; cum illud à Christianis (ad mentem, sic ei videtur, *S. Augustini*) exigit, ut ‘Deus diligatur gratis, ipso purissimæ Bonitatis ejus intuitu, nulla promanantis inde in nos commo-  
 ‘di, aut Mercedis, aut Voluptatis, consideratione vel re-  
 ‘torsione: *affirmatque, quod sinceritas Charitatis, id est*  
 ‘divini amoris, adulteratur hoc ipso, quo extra amatum  
 ‘Oculus figitur. *v. Jansen. de Gratia Servat. lib. 5. c. 9.*  
 Durum etiam nimis & violentum esse videtur, quod ait  
 ‘Viciosum esse, Deum ipsum tanquam Mercedem sibi  
 ‘utilem

‘utilem expectare. Durum quod ait, ‘Deum esse abso-  
 ‘lute diligendum, idque sine omni nostri respectu; eum-  
 ‘que irrespectivum Amorem Dei ‘unicam esse Christianæ  
 ‘fidei & Virtutis mercedem.

Hæc igitur est differentia inter nos & Jansenistas. Nos  
 dicimus Charitatis Christianæ proprium esse Deum dili-  
 gere: tam quia hoc suave est, & utile, & cum æterna  
 gloria junctum, adeoque in ipsum amantem redundet  
 Charitas; quam quia Deus superexcellenti bonitate & ve-  
 ritate dignus est ut ametur propter semetipsum. Ita nos  
 duplici funiculo ad amandum Deum ducimur. Cum enim  
 hoc amoris Christiani præmium constitutum sit; ut Deum  
 in hoc sæculo diligentes, in futuro tandem majestatem,  
 Bonitatemque Dei (*facie ad faciem*) contemplando arden-  
 tius in cælo amemus & laudemus Deum: nos non so-  
 lum concupiscimus & desideramus hoc præmium, quia  
 æternæ veritati congruum est, & dilecto debitum, & in seip-  
 so dignum & justum est; sed etiam quia sic amare Deum  
 nobis ipsis utile atque Beatificum est futurum. Fatemur  
 Amorem consummatum, quo in futura vita flagrabi-  
 mus, Amoris inchoati, quo in hac vita tepemus, mer-  
 cedem esse. Non tamen prorsus necessarium esse di-  
 cimus, ut omni ex parte gratuitus sit hic Amor; adeo ut à  
 felicitate divini hujus Amoris comite acies mentis sit amo-  
 vanda, & nisi amoveatur peccati reatus inducatur. Ve-  
 rissimum fatemur quod dicit *Augustinus, De verbis Apost.*  
*Serm. 16. c. 7.* ‘Retributionem temporalem nos non de-  
 ‘bere sollicite expectare, sed promissum Dei, sed faciem  
 ‘Dei. *Et in Psalm. 134.* ‘Gratis amare Deum, est non  
 ‘propositâ acceptione Mercedis (*scil: temporalis*) amare;  
 ‘quia Deus ipse quem gratis diligis (*in hoc sæculo*) tua  
 ‘merces erit. Et sane merces ea mentibus nostris pro-  
 poni non posse videtur, imo neque rationem mercedis ha-  
 bere, nisi aliquo modo Deum, qui est merces nostra, a-  
 mando, nos ipsos respiciamus. Eodem sensu & illa *S. Au-*  
*gustini, in Psalm. 72.* accipienda existimo. ‘Pars mea  
 ‘Deus in sæcula, factum est cor castum, gratis jam amatur  
 ‘Deus. Non ab illo petitur aliud præmium. Quid ergo?  
 ‘Nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum. Præmi-  
 ‘um Dei ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit: si aliud

‘dilexerit, non erit castus amor. Non vult igitur ut à præmio aut à mercede tollantur mentis oculi ; hoc tantum vult, ne in aliud præmium, ne in aliam Mercedem, quam ipsius Dei in cœlis fruitionem, collimemus ; similitudine à casto amore derivatâ. Ut enim sponsus castum cum sponsâ conjugium, & perpetuum futuræ vitæ conviçtum, non dorem, non Opes, non latifundia ambit : sic Christiani esse dicit caste in cœlo æternam Dei fruitionem ambire : quæcunque alia accidunt, pro felicitatis Christianæ prothea, & appenſis accidentibus habenda esse, sed non magni æstimanda. Sic Sponsa sua omnia libentissime in Sponsum confert, eidem confidens, Vitæ tam Munimenta quam Ornamenta ab eodem expectans ; non tamen nullam interim felicitatis suæ curam gerit, dum fidei curæque & Amori sponsi confidit. Et hac ratione sui ipsius profundissime obliviscendo, altissime se diligit. *Bonum enim nostrum nullum est aliud quam illi adherere.* Ita *Augustinus, lib. 10. de Civ. Dei, c. 4.* Itaque ut homo sese diligere posset, constitutus est ei finis, quo referret omnia, ut beatus esset. Hic autem finis est adherere Deo. Et hoc sensu etiam illa, *Tract. 123. in Joannem*, sunt explicanda. ‘Nescio quo inexplicabili modo quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat : & quisquis Deum, non se ipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se. Non ergo se amat, qui, ne vivat, se amat. Cum vero ille diligitur de quo vivitur, non se diligendo magis diligit, qui propterea non se diligit, ut eum diligit, de quo vivit. Servus promissam à Domino pro Servitio mercedem expectat. Sponsa ipsius Domini & bonorum, quæcunq; ipse in dominio possidet, fruitionem. Multo magis igitur & ad majorem, quam servus, felicitatem collimare rectissime dicitur.

### Conclus. III.

*Uterior finis quam sui Felicitas sine absurditate quacunque, Gloria, Cultusque Numinis cuiquam constitui possit : ita ut Felicitas, qua Finis actionum omnium functionumque vite communis certâ alicubi ratione dicitur, a libis tamen finis ultimus non sit ; sed ad Gloriam Dei si comparatur, non pro Adjuncto finis, sed pro Medio ad Finem sit habenda.*

Sanum

Sanum mihi hoc videtur, summe pium, nec difficile Ratiocinium. Divini Numinis Providentiæ Fideique, quæ etiam Universum hunc mundum sapienter regit, felicitatem omnem meam præsentem, futuramque, ejusdemque curam commissam volo. Aliud interim, solidissimo de futura vita peragenda decreto, mihi constitui studium, ut Deo inserviam semper, ejusque Gloriam æternus, corpore & Animo, æternum celebrem. Constitutum autem hunc finem ut recta prosequar, medium proorsus necessarium est, ut Beatorum sedibus ascitus, æternâ in cœlo fruatur Beatitudine. Alias enim nec æternum amare laudareque Deum in cœlo potero. Hoc igitur constituto fine, ad Beatitudinem cœlestem non solum nostri causâ, verum etiam propter Gloriam Dei, nobis est contendendum. Animadvertit satis subtiliter doctissimus *Jansenius, lib. 5. de Gratia Serv. cap. 9.* alium esse Amorem Concupiscentiæ; cujus Effectus est, ut quicquid appetierit, id ultimo appetat propter se, tanquam finem *cui* ultimo totum cedat: alium esse Amorem Benevolentiæ; cujus effectus est, ut quicquid appetierit, aut speraverit, aut adeptus fuerit, id totum quasi oblitus sui in ipsum (velut finem *cui*) retorqueat, quem istâ Benevolentiæ Charitate dilexerit. Ita diligens seipsum propter Deum totam dilectionem sui (ut inquit *Augustinus, de doct. Christ. c. 22.*) in illam refert dilectionem Dei, quæ nullum à se Rivulum duci extrahitur, cujus derivatione minuat. In quem locum sic scitissime commentatus est (*lib. 5. ubi sup.*) modo laudatus *Jansenius*. 'Cum, inquit, Deo adepto beati sumus, fruimur quidem Deo; sed tamen ita fruimur, ut nos & fruitionem nostram in ipsum Deum, tanquam in finem cui omnia serviant, referamus. Diligimus enim eum, atque ejus adeptione gaudemus, quod nobis bonum & optimum est; non tamen ut ultimo nobis bene sit, pro ut in Concupiscentiæ amore semper fit; sed ut ei tanquam supremæ veritati, Regulæ reëctrici omnium, Deo, ac Domino nostro, cujus totam est quicquid sumus, nos & omnia nostra perfecte subjiciamus, atque ipsi nos isto Amore & fruitione, velut Holocaustum, immolemus. Cujus rei clarius vestigium in amore proximi cernitur, quem

' tanquam Nos ipsos diligere jubemur. Nam & illi, si-  
 ' cut nobis, Deum & fruitionem ejus appetimus; sed ita  
 ' tamen ut proximum Deo, velut fidum Mancipium Do-  
 ' mino, velimus esse subjectum, non Deum quasi retorquen-  
 ' do ad Nos, sed nos in Deum efferendo, ut illâ nostrâ  
 ' fruitione, quasi perfectissimâ participatione Dei, Deus  
 ' ipse quasi indutus totâ suâ creaturâ rationali, tanquam  
 ' Veste ac membris suis, in illa operetur, per illam re-  
 ' splendeat, ex illa glorificetur & laudetur, & ita plenif-  
 ' sime cuncta subiecta regat, ut Deus sit Omnia in Omnibus.  
 Ita *Jansenius*. Sic propter majorem Dei gloriam Christia-  
 nis proximorum desiderare atque appetere virtutes, Cha-  
 ritatem puta & liberalem bonorum in pauperes distribu-  
 tionem, ita non impossibile est, ut Apostoli clarissimâ  
 doctrinâ magnopere sit commendatum: 2 ad Corinthios  
*Epistola, cap. 9. commat. 9, 11, 12.* Ubi fratres conversos ad  
 opera Charitatis provocat, & eximiam Munificentiz inter  
 Christianos excellentiam prædicat, non solum quia ex hu-  
 jusmodi beneficentia & liberalitate suppleri solebant, in-  
 digentibus Christianis quæ defuerant, Necessaria; verum  
 potius (qui finis ultimus ab Apostolo proponitur) quia  
 majorem inde emergere necesse erat, *Deum glorificandi*  
*Occasionem*: adeoque summi Numinis honorem latius ef-  
 ferri, *Gratias ex hac parte agentibus pauperibus Christianis*,  
 quibus, propter Deum, hujusmodi beneficia sunt Collata.  
 Huc etiam spectat illud *Jansenii*, quod capite proxime se-  
 quenti de Caritate purâ & simplicissima observavit. ' Eam  
 ' scilicet etiam si corporis sui Reformationem & immortalita-  
 ' tem respiciat, non alio tamen fine respicere, nisi ut Mens  
 ' à dirissimis concupiscentiarum stimulis & corruptionis  
 ' miseriis, animam aggravantibus, liberata, nullâ concupi-  
 ' scentialis amoris cæcitate, aut resistentiâ interpellante,  
 ' à contemplationis divinæ claritate & ardore revocetur.  
 Mallem tamen doctissimus Theologus hunc præcipuum  
 constituisset & nobilissimum, potius quam solitarium fi-  
 nem: idque tam propter rationes jam præmissas, quam  
 infra promendas. Notandum enim est *Jansenium* aliosque  
 nonnullos, non negare Amorem eum esse Gratuitum, si  
 quis ea proposita mercede Deum diligit, ut in æternum  
 eundem Deum felicitet diligat. In quo tamen Amore est  
 quæ-

Quædam propriæ felicitatis & divini cultus complexio; ubi revera duos Fines in Unum connectit, summi Numinis gloriam, & suam; eamque postremam maximam & nobilissimam propriæ naturæ perfectionem. Ita *Lib. eod. cap. 10.* ‘Fides, inquit, Spes & Caritas, ex Caritate nobis appetitur, ex Caritate proximo. Ex qua eadem Caritate desideratur utrisque & merces ejus. Sed illa merces non est alia nisi ipse Deus luminosissima, & ardentissima Caritate, in Gloriæ æternitate diligendus. Nam ut Caritas Caritatis meritum est, parva majoris; ita Caritatis Caritas merces est, magna minoris; nullo detrimento, sed magno incremento gratiæ servitutis. Neque enim Dilectio Gratuita esse desinit, si ea mercede Deum diligit, ut in æternum gratuito diligit. Ita mirabili modo fit, ut sit nobis Utilitatis nostræ contemptus, in diligendo gratis Deo, Utilissimus. *Quo respexit S. Augustinus quando dixit.* ‘Neque ita sentiendum quod diximus, nos Deo ad Utilitatem nostram salutemque servire, tanquam aliud aliquid ab ipso expectemus, quam eum ipsum, qui summa Utilitas & salus nostra. Sic enim eum gratis secundum illam vocem diligimus, *Mihi autem adherere Deo bonum.* Ita S. Augustinus, *Lib. 8. Gen. ad. tit. 6. 11.*

#### Conclus: IV.

Ultimo igitur concludimus. *Plures in Sapiente esse posse & solere esse fines, quibus ad eandem honesti actionem moveatur: quorum tamen finium ut alter alteri subordinetur, non est necesse.* Ita inter Philosophos veteres novimus Epicureos antiquissimos, nobilissimosque (& præcipue Epicurum ipsum) temperantiam, frugalitatem, abstinenciam, suis magnopere inde commendasse, quod ad integritatem & sanitatem corporis humani, adeoque ad animi voluptatem ex bono corporis habitu resultantem, plurimum conducerent. Academicos & Peripateticos, Pythagoræ, aliosque Philosophos pariter novimus hos non amandasse temperantiæ, abstinentiæ, continentæ, aliarumque hujusmodi virtutum fines; alios tamen his superaddidisse longe præstantiores: nescilicet immortalem Animam, Auræ divinæ particulam, indigne tractent, aut peras partibus præstantissimæ, divinæ scilicet & incorporeæ mentis, perfectiones



fectiones, imminuant. Christiani his alios addunt, prioribus non remissis, Sobrietatis & Temperantiæ fines; ut scil: digne Deo Christoque Servatori serviamus, & Membra consecremus Deo, Sancto Spiritu incola & inhabitatore non indigna. In eodem Christiano aut Obedientiæ Deo præstandæ intuitus, vel etiam commodi alicujus intuitus temporalis vel æterni, possint ad actum aliquem Sobrietatis, Temperantiæ, aut alterius virtutis eliciendum, concurrere: vel simul hæc omnia mente conjuncta idem facere possint. In rebus plane indifferentibus, nec aperte bonis aut malis, ex commodis nostris & Utilitatibus recte movemur. Ex unico item Obedientiæ Deo exhibendæ intuitu qui rem quamcunque perficeret, secundum rationem operaretur. Summe enim rationi consentaneum est, ut omnis à Deo constituta creatura Creatori Opt. Max. obtemperaret. Nihil igitur impedit quo minus Gloria Dei, & obedientia ei exhibenda, nec non etiam propria felicitas, etiamsi seorsim sine subordinatione considerarentur, adæquate possint per se, & distincte per modum Causæ Finalis (ut Scholæ loquuntur) appetitum movere.

Quæ autem conjunxit Deus, ne quis sejungere jam audeat. Sique plures concurrant, cur boni simus, curque recte & secundum virtutem vivamus, rationes; Sapientiam summi & Sapientissimi Creatoris eo magis nos venerari par est, cui non displicuit multiplicatis obligationum Vinculis, iisque humanæ naturæ maxime accommodatis, fortius nos ad Officia obstringere. Certe quoties subit Animum quod de *Socrate* olim dixit *Cicero*, 'Solitum, scil: cum diras eorum capitibus imprecari, qui Commodi ab Honesto studebant facere divortium, hunc antiquissimum nobilissimumque admiratus sum Philosophum; & tantum non iis succenseo, qui necessarium hoc & divinitus conciliatum Obligationum conjugium improbe dissolvere sunt aggressi.

**Num. 12.** *An in Intentione recte viventis sit, ut Voluptate fruatur, quæ in statu est, an eâ quæ in Motu, cum ad*  
viro

*virtutem se accingit? Utra Voluptas sit majus bonum? Et quodnam sit ex Virtutis moralis operatione Summum Bonum? An Plura esse possint per se Bona? Summum absolute Bonum solummodo in divina beatitate reperiri. Hobbii Philosophemata de Felicitate male cum veteribus convenire.*

Voluptatem in statu dixerunt antiqui Scriptores eam, quæ hoc efficit, ne dolor sentiatur: Voluptatem in motu, quæ efficit, ut gæstiens fiat & jucunda animi commotio. In priore positi (ut *Epicuri* utar de summo bono verbis) neque dolemus, neque perturbamur, solvitur omnis tempestas animi. Ἡ ἰσὺς δὲ ἀταραξία καὶ ἀπορία κατασημαστικαὶ εἰσιν ἡδοναὶ: *Perturbationis & doloris vacatio voluptates in statu sunt.* Ita *Epicurus* apud *Laetium*. In posterius dicta non solum est Doloris Amotio, sed & jucundus in mente sensus, qui activam aliquam in ratione utentibus hilaritatem excitat. Prior Voluptati illi in Animalibus non dissimilis quæ restincta siti persentisci solet. Posterius memorata Voluptati (sic explicat *Cicero*. de *Finib.* 2.) quæ sicienti in bibendo accidit cognata. Prior Quies & *παυσίλη* apud *Senecam* dicitur, posterior simpliciter Voluptas. Vide *Senecam*. *Epist.* 93.

Ad quæstionem, de qua inter *Cyrenæicos* & *Epicurum* tantopere disputatur, sic mihi videtur rectius respondendum. Quoties me accingo ad actum aliquem Virtutis necessarium recte perficiendum, illud ago imprimis, ut inquietus mentis status in pacatiorem mutetur. Grave enim aliquod & dolorosum menti incumbit ratione utenti onus, quamdiu actum suspendero, quem *Justitia* vel alia Virtus exigit. Eadem Natura, quæ *Ἐπιπορευσις* comitem dolorem fecit, illud etiam fortiter suadet, ut dolorem, adeoque doloris causam, amovere coner. Eadem Natura, sive Naturalis conscientia, media proponit, debitam scilicet justamque

justamque Virtutis Operationem. Voluntas sequitur dictamen Intellectus practici. Obtempero proinde sanæ mentis dictamini : cumque his in rebus Naturam secutus sim, emergit ipso ocyus facto divina illa in Motu dicta Voluptas, & exuberans sed sincera mentis Hilaritas ; nec desinit prius quam omni benefactorum recordatione privet ; totiesque recurrit, quoties reminiscantibus actiones honeste & sapienter gestæ in mentem revocantur. Postquam vero penitus benefactorum memoria cessavit, omnibus temporis quibus ea non refricatur intervallis, manet tamen Quies animique Tranquillitas, constans atque inturbata serenitas ; quam stantem, qui hac in controversia versantur, solent appellare Voluptatem. Siquis igitur ex me querat, Cur ego recte modo fecerim ? Quis mihi actionis bene gestæ finis ? Quidve inde intenderim ? *Resp.* Voluisse me imprimis perturbatione & solitudine vacare, tam præsentem quam futuram ; quæ gravem mihi alias propter neglectam Virtutis operationem crearet molestiam. Quamvis etiam aliquando contingat, ut ideam exuberantis illius Voluptatis, quæ memoriam recte factorum sequitur, ipse præmediter, hoc tamen sæpe non contingit. Postquam vero, quod Natura, sive Naturalis Conscientia susceperat, perfecero, emergit illa qua tantum efferimur Voluptas, atque accidit Virtuti. Neque tamen est individuus studiosi comes : cessante enim facti recordatione, Movens cessat Voluptas ; manet tamen ἡ ἀπραξία illa sive Indolentia, illa apud *Senecam* Quies & *πανωλή*, illa animi serenitas, quibus quamdiu actu suspenderamus destituebamur.

Actioum igitur honeste præstatarum finis mihi videtur præsentis doloris atque inquietudinis amotio. Accidit vero recte facto Voluptas Movens atque Indolentiæ status. Quod tamen non ita acceptum velim, quasi statutam Voluptatem illam, quæ in motu est, nunquam primario intendi à Sapientibus, aut in eum finem collimari. Sæpius enim qui Virtutis sunt studiosi, sinceri hujus & nobilissimi Gaudii acquisitionem imprimis volunt : idque ex supra positis exemplis liquido constabit. Summa igitur esto Conclusio. Quod finis Virtutis sit Voluptas. Cum autem Voluptas sit duplex, duo item esse propter quæ honestæ

bestz actiones possint suscipi. Altera est in statu, altera in Motu Voluptas. Quæ tamen posterius dicta in sapientibus potius quam vulgo hominum sua habet Exempla. Si cui vetera illa verba *Voluptas in statu & motu* minus arriperint, malim alia ipse substituat Synonyma, quam offensam qualemcunque inde arripiat.

Si queratur, an majus sit bonum quæ in statu est, an quæ in quiete est, Voluptas? Illam sane, quæ in quiete consistit, non prætulero. Quemadmodum enim majori perfundimur gaudio dum post sitim bibimus, quam ubi omnino non sitimus: ita actualis illa effusio animi in lætitiâ, quâ perfundimur, dum recens est in animo benefactorum memoria, præcellere videtur ei, cujus omnis in Indolentia est Virtus. Intensius enim & plenius bonum est, quam non dolere, divinum illud Sapientis Gaudium. Quicquid habent qui non dolent, illud ipsum, ampliusque aliquid nacti sunt, qui gaudium hujusmodi perfentiscunt. Neque enim ii dolent (De quâ unice *ἀπαεξία*, qui perturbatione vacant, gloriantur) atque hoc iis insuper aditamenti accedit, ut suavi perfundantur Mentis Voluptate.

Si ex duratione comparatione institutâ de excellentiâ judicandum esset, prætulero sane Indolentiam. Sapientes enim ea frui dicentur etiam dormientes, edentes, bibentes, & negotiis quibuscunque communis vitæ intendentes; quamvis in iis ita occupetur mens, ut non liceat ei benefactorum memoriâ feriari.

Prætereo infinitas de summo Bono Opiniones: neque enim existimo ejusmodi aliquid in hac vita accidere Bonum. Summum enim illud intelligo, quo non possit perfectius dari, cuique nihil abest, quod præstantius est habere, quam non habere. Sed hoc solum in divinâ felicitate reperiri credimus. Cum igitur de summo Bono inter Ethicos queritur; non de summo simpliciter est, aut saltem non debuit esse, questio; sed de eo quod ex actionibus virtutis summum consequimur. Summe felices in hac vitâ non dicimus sapientes, quia contra Stoicorum sententiam dolorem in malis ponimus; neque, cum in Equaleo torquetur, summe beatum sapientem audemus pronuntiare. Quibus autem Virtus accidit & summa numi-

nis Religio, eos utique comitatur sive in statu sive in motu Voluptas tanta, ne infelices prorsus in hac vita aut misereri dici mereantur.

*Aristoteles, Eth. Nic. lib. 1. c. 5.* Illud perfectissimum vult dici bonum, quod propter aliud non expetitur. Expetimus sæpe doloris vacationem propter suum ipsius Bonum: sine consideratione hilaris illius commotionis, quæ menti exinde consequitur.

Acque hanc ipsam nonnunquam propter se, sui que intuitu prosequimur commotionem sive Gaudium. Adeo ut non videam quid impedit, quo minus plura ponantur secundum Philosophum perfectissime Bona, cum plura sint per se expetenda. Quot enim sunt Voluptatum species, quæ animum quoquo modo afficere possint; tot sunt quæ quis sui, non alterius, causa possit expetere. Sin non ad speciem, sed generalius loquendum sit. Esto si placet Voluptas finis omnium unicus. Particulares Voluptatum species appetitum pro tempore singularium hominum movebunt. Recte enim, ut mihi videtur, dixit Cyrenæicorum princeps. Facti cujuscunque particularis  $\pi\lambda\theta\ \delta\ \tau\ \chi\ \mu\epsilon\tau\ \delta\ \delta\epsilon\lambda\omega$ , 'Ευδαιμονία ἢ τὸ ἐν ἡμῶν μακρῶν ἡδονῶν αἴσημα: ἢ ἢ μακρῶν ἡδονῶν δὲ αὐτῶν αἴσημα: 'Ευδαιμονία ἢ ἢ δὲ αὐτῶν, ἀλλὰ δὲ τὰς ἡμῶν ἡδονῶν, 'finem esse particularem voluptatem; Felicitatem ve: ὃ sive summum bonum esse particularium voluptatum systema, sive conventum. Particularem etiam Voluptatem propter se expetendam, summum bonum non propter se, sed propter particulares Voluptates. Ita *Lactantius, in Aristippo*. His veterum dogmatibus moderna *Thomas Hobbius* male convenire Philosophemata extra dubium est. Aperte pronuntiavit Felicitatem non consistere in tranquillitate sive requie Animi. *Leviath. c. 11.* Unde Epicureorum in statu Voluptati eum non favere manifestum est. Quod autem definiit ibidem *Felicitatem, perpetuum ab unâ cupiditate ad alteram progressum*, ad finem moralis vitæ pertinere non potest. Sapiens enim non videtur ex Virtutis operatione cupiditates hujusmodi vel earundem seriem sectari velle; neque verum videtur progressum cupiditatum Beatitudinem constituere. Quis enim vitæ expertus ex ambitione vel alia quacunque cupiditate

ditate felicitatem, Voluptatem, vel animi libertatem speraverit? Recte *Horatius*:

*Qui cupit, metuit quoque porro:  
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.*

Potius fruimur, non cupimus: & paucissima, eaque non nisi *inveniam*, *facilime parabilia* appetere præclarum est inquietudinis *Pharmacum*. Neque immunis à solitudine ullus est cupiditatum progressus. Verum his non opus est diucius immorari.

**Num. 13.** *Disputabilis Opinio, Quod per*  
*Ἐπιπλοῦς Aristoteles Voluptatem in Mo-*  
*tu, tantopere à veteribus celebratam, in-*  
*tellegerit.*

De Voluptate (*sic apud A. Gellium legimus*) veteres Philosophi varias sententias tenuerunt. *Epicurus* Voluptatem Summum Bonum esse posuit. *Antisthenes* summum Malum dixit. *Spensippus* vetusque omnis Academia, Voluptatem & Dolorem duo mala esse dixerunt opposita inter sese: bonum autem quod utriusque medium foret. De mente summi *Aristotelis* adhuc moveatur questio. Multa sane præclara pro Voluptate dixit, & contra-sentientium argumenta evertit, ipse autem Voluptatem in ipso Gaudii actu sæpe ponere videtur; quod & fecerunt Cyrenaici. Voluptas enim est *λοῖα κίνου*, *motus lenis*, secundum *Aristippum* in *Laertio*; ipsaque Voluptas in Motu summum Bonum ex ejusdem sententia; non Voluptas in Statu, quam tuebatur *Epicurus*. v. *Laertium*, in *via à Aristippi*. Quæri hic potest an per *ἐπιπλοῦς*, *Aristoteles* Voluptatem in Motu non intellexerit? *Epicurus* sane sic Cyrenaicorum describit voluptates, ut dicat ejusmodi esse quæ *ἡ κίνησις ἐν ἐπιπλοῖσιν βλάπτειται*. quæ secundum motum in operatione spectantur. Hoc ipso *ἐπιπλοῦς* vocabulo in definitione summi Boni utitur *Aristoteles*. *Lib. enim 1. de Morib. c. 6.* Felicitas dicitur *ἐπιπλοῦς ψυχῆς λογικῆς*

ἀσκήσει καὶ ἀρετῶν τῶν αἰετῶν καὶ τελειοτάτῳ ἐν βίῳ πολλῷ,  
*Aelius iucundissimus* (sic Ἐγγυέζων liceat) seu *Motus vo-*  
*luptuarius anima rationalis secundum virtutem optimam &*  
*perfectissimam in vita perfecta.* Ita multæ amputabuntur  
 difficultates doctrinæ Aristotelicæ alias adversantes, &  
 famoso ea tempestate quæsito aptabitur Magistri definitio.  
 Quæstio enim antiquitus non videtur fuisse, An felicitas  
 in pura pura operatione Virtutis consisteret, (prout illa  
 operatio à Voluptate virtutis comite distinguebatur) an in  
 ipsa comite Virtutis Voluptate? Sed, cum duo genera  
 Voluptatum fere tum celebrabantur Virtutis comites, al-  
 tera in statu, ἐνεργεία sive motu altera; quærebatur soli-  
 cite, Ultra finis virtutis dici merebatur? Istac sane in quæ-  
 stione Voluptati in Motu se faventiosem fere ostendebat  
 Philosophus. Ita *Ethic. Nic. lib. 7. c. 14.* opinionem  
*Speusippi* refutandum in se suscipit. *Speusippi* dogma e-  
 rat, Indolentiam sive Voluptatem in statu esse Summum  
 Bonum: eamque ita in medio esse positum inter Dolorem  
 & Voluptatem in Motu, sicut Virtus unaquæque moralis,  
 ex ipsa Peripateticorum doctrinâ, medium ponitur inter  
 duo contraria vitia. & sicut æquale medium ponitur inter  
 illud quod est magis, & illud quod est minus. Ita ex  
 Hypothesi *Speusippi* Summum Bonum erat Indolentia, sum-  
 ma mala in extremis posita Voluptas & Dolor. Adeo ut ad  
*Antisthenis* Socratici sententiam propius accederet, cuius  
 hoc ferebatur verbum, μανύλω μᾶλλον ἢ ἡδύνην, *Insanire*  
*potius quam in Voluptates ferri velim.* v. *A. Gellium. lib. 9.*  
*c. 5.* *Aristoteles* contra aliam dicit esse rationem felicita-  
 tis, aliam virtutis: violentum nimis & durum dixit esse  
 pronuntiatum, κακόν τι εἶναι τῶν ἡδονῶν, *Voluptatem*,  
 quam simpliciter omnes appetunt, aut esse malum, aut dici  
 posse; adeoque eam alterum extremum sensu *Speusippi*  
 inique pronuntiarum. v. plura apud *Aristot. loco cit.* Ean-  
 demque *Speusippi* Opinionem, quæ Voluptatem in statu  
 Voluptati in Motu præferebat, eamque pro Bono summo  
 venditabat, alibi pluribus aggreditur argumentis. Sic  
*Ethic. 1. c. 9.* multum ininteresse asserit summum Bonum  
 ponamus, ἐν κτήσει in possessione, an ἐν χρείῃ, ἐν ἔξει ἢ  
 ἐν ἐνεργείᾳ, in habitu an in operatione: accidere enim posse,  
 ut habitus qui insit nihil boni efficiat: ut in eo qui dormit,  
 aut aliter est otiosus.

Illud

Illud hic obiter, sed diligenter tamen, est notandum ;  
 argumenta *Aristotelis* eadem plane esse cum argumentis  
*Aristippi* & *Cyrenaeorum* : unde non difficilis est conje-  
 ctura idem esse quaesitum & conclusum. Argumentum  
*Aristippi* apud *Laetium* est hujusmodi. 'ἢ τὴν ἀλγὺν ὁ  
 ἀνθρώπος οὐκ ἐπιθυμῶν (ὡς οὐκ ἐπιθυμῶν τὴν ἀπὸ τῆς  
 ἀπώλειας τῆς ψυχῆς τὴν ἀπώλειαν). Illa doloris a-  
 mectio, quam tunc Epicurus, non est Voluptas. Quippe do-  
 loris illa vacatio veluti dormientis status est. Sed ad *Aristote-  
 lem* redeamus : qui loca supra citato asserit Voluptatem in  
 statu, si abstracte consideretur, prout à voluptate in motu  
 distinguitur, habitum esse qui non sentitur ; quod de Vo-  
 luptate in operatione versanti dici non potest : aget enim  
 necessario illa, atque recte aget. 'Quemadmodum enim,  
 ' inquit, in Ludis Olympicis, non pulcherrimus aut va-  
 ' lentissimus quisque coronatur, sed qui certant ; sic viri  
 ' honeste praemia assequuntur qui recte faciunt : est enim  
 ' vita eorum per se jucunda. &c. *ibid.* Libro autem 7.  
 cap. 14. supra citato, advertit Philosophus nihil impedire,  
 quo minus aliqua voluptas sit Summum Bonum, etiam si  
 nonnullae voluptates malae sint. Quod postquam exemplis  
 illustraverat, sic concludit. 'Ἀναγκαῖον, inquit, τὸ πρὸς τὴν ἀ-  
 λγὴν ἀεὶ εἶναι τὸ εὖ εἶναι οὐκ ἐπιθυμῶν τὴν ἀπώλειαν τῆς  
 ψυχῆς ἀνεπιθυμῶν, οὐδ' ἂν πᾶσι ἐπιθυμῶν τὴν εὐδαιμονίαν,  
 οὐδ' ἂν πᾶσι αὐτῶν, ἀλλ' ἢ ἀνεπιθυμῶν τὴν ἀπώλειαν τῆς  
 ψυχῆς τὴν ἀπώλειαν. Si uniuscujusque habitus sint alicui quidam non  
 impediti ; & si felicitas ipsa sit aut omnium, aut aliquorum  
 hujusmodi habituum alicui, isque alicui sit non impeditus ; ne-  
 cesse est alicui illum maxime omnium expetendum esse. Is au-  
 tem est Voluptas. Quae si forte, propter *Ayli* brevitatem  
 huic Philosopho nimis familiarem, aliquanta videbuntur  
 obscuriora, ex interpretatione luculentissimi interpretis  
 pariter ac antiquissimi *Andronici Rhodii* lucem possint mu-  
 tuari. 'Ἀναγκαῖον, inquit, τὸ πρὸς τὴν ἀλγὴν ἀεὶ εἶναι τὸ  
 εὖ εἶναι οὐκ ἐπιθυμῶν τὴν ἀπώλειαν τῆς ψυχῆς ἀνεπιθυμῶν,  
 ἢ τὴν εὐδαιμονίαν τὴν ἀπώλειαν τῆς ψυχῆς ἀνεπιθυμῶν,  
 ἢ τὴν ἀπώλειαν τῆς ψυχῆς ἀνεπιθυμῶν τὴν ἀπώλειαν τῆς  
 ψυχῆς ἀνεπιθυμῶν : 'Ἀνάγκη δὲ τὸ πρὸς τὴν εὐδαιμονίαν τὴν  
 ἀπώλειαν τῆς ψυχῆς εἶναι τὸ εὖ εἶναι. Necessesse est summum bonum esse voluptatem, &  
 maxime esse eligendum : si enim omnis habitus alicui alicui sit ;  
 Felicitas autem & summum bonum sit boni habitus, s. v. e.  
 n. i. s.



miam optimi, sive omnium actus liber & non impeditus: Ne-  
 cesse est Felicitatem ipsamq; bonum esse Voluptatem. Si au-  
 tem necessarium sit summum bonum esse Voluptatem,  
 ergo summum bonum non erit mera operatio Virtutis, à  
 Voluptate (quod quidam volunt) abstracta. Si autem fe-  
 licitas sit Voluptas, & hujus felicitatis sive voluptatis  
 sit habitus aliquis, & hujus habitus sit actus liber &  
 non impeditus, ille actus ex illo habitu erit summum  
 Bonum, & quasi flos & fastigium felicitatis. Et si in  
 pluribus fundetur habitibus (puta virtutum & conse-  
 quentium Voluptatum) non eo minus, sed eo magis  
 summum Bonum dici merebitur: adeoque actus Volu-  
 ptatis ex habitu gaudendi non impeditus propter Vir-  
 tutem perfectam in vita perfecta illa erit *ἡδέγμων*, quæ A-  
 ristotele iudice summam constituet Felicitatem. Idem  
 Aristoteles, cap. 13. ib. jubet Voluptatem definiri, *ἡδέγμων*  
 ἢ καὶ ὅταν ἕξαι ἀνεπιβίον ἄκων seu motum non pre-  
 peditum habitus cum natura consentiens; eamque sic de-  
 scribit Voluptatem, ut *ἡδέγμων* eadem sit & *πλάτ* sive  
 summum Bonum, non autem sit operatio propter finem,  
 aut sicut generatio quæ est motus à non esse ad esse. Quo-  
 niam autem in Paraphrasi veteris interpretis, quam in ipso  
 textu, clarior fortasse videbitur sensus, periocham unam  
 aut alteram ex Paraphraste transcribere non gravabor.  
 Ὅτι λέγουσι πῶς ἡδέγμων μὴ εἶναι αὐτὸ τὸ πλάτ τὸ εὐεργετὸν ἐκ  
 ἀνεγκλίως συλλογίζονται, κλ. 'Qui dicunt, inquit, Volu-  
 ptatem non esse finem illum summum sive optimum, non  
 necessario argumentantur. Si enim finis nequit esse Vo-  
 luptas, necesse est semper eā melius aliquid reperiri, fi-  
 nem nimirum. Omni enim re finis est aliquid præstan-  
 tius. Ipse enim est optimum & præstantissimum. Non  
 necesse est vero quod arguunt. Neque enim generatio est  
 Voluptas, ut necesse sit meliorem in ea finem esse gene-  
 ratione. Neque semper in generatione consideratur,  
 sed actus est & finis Voluptas; id est, non semper est in  
 motu, sed aliquando est finis motus. Neque Voluptas  
 quæ finis est in constitutione consideratur habituum, ut  
 (exempli gratia) cum ea quæ iusta sunt agit aliquis, &  
 iustitia in animo habitum quasi format, cum tamen non-  
 dum sit iustus; sed in ipso usu potius ipsius habitus, cum  
 jam

Jam Justus factus aliquis ipso postea utitur justitiæ habi-  
 tu. Ideoque nec omnium Voluptatum est finis; sed ipsæ  
 interdum Voluptates sunt finis. Illi quippe actus, quibus  
 ad perfectionem ducunt naturæ, non ipsi sunt finis. Si-  
 cut actus ille, qui secundum Medicinæ instituitur habi-  
 tum, finem habet sanitatem. Eos vero qui non ad natu-  
 ralem ducunt perfectionem, sed ipsi naturalis sunt per-  
 fectio, satis planum est alium non habere finem; sed  
 ipsos esse finem aliorum; ut si quis secundum perfectum  
 Virtutis operetur habitum. Ex quibus concludit, ἡ τοι-  
 αύτη ἐνέργεια τέλος ἐστὶν ἄλλων, ἢ αὐτῆς ἐστὶν ἑαυτῆς ἄλλο τι-  
 πύματι τέλος. Ἰδὲν δὲ ἡ ἡδονὴ, ἐνέργεια ἴσα, ἢ αὐτῆς  
 τέλος ἔχει. ἐνέργεια δὲ ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία. Οὐδὲ ἔστιν ἄλλο  
 ἔχει αὐτῆς τέλος ἢ αὐτῆς αὐτῆς τέλος ἢ αὐτῆς αὐτῆς  
 τέλος ἢ αὐτῆς αὐτῆς τέλος. ἢ ἴσα ἡδονὴ ἐνέργεια ἢ τὸ εὐδαι-  
 μονίας ἀγαθόν. ἢ ἴσα ἡδονὴ ἐνέργεια ἢ τὸ εὐδαι-  
 μονίας ἀγαθόν. Talis ἐνέργεια sive actus finis alio-  
 rum est: non vero ipse actus (*prima Voluptatis*) ad ali-  
 um dirigatur finem. Unde neque Voluptas, licet actus  
 sit, omnis finem habet. Est enim Voluptas actus illius  
 qui secundum naturam est habitus. Quare neque recte  
 dicitur sensibilem generationem esse Voluptatem. Sed  
 potius actus illius qui secundum Naturam est habitus est  
 dicenda. Et pro eo quod Sensibilem addunt, potius non  
 impeditum adderent. Atque ita Voluptas erit Habitus  
 qui secundum naturam est ἐνέργεια sive actus non impedi-  
 tus. Voluptatem dicebant Cyrenaici actum gaudendi,  
 sive animi motum quo in gaudia effunditur, idque secun-  
 dum naturam. Summum autem & maxime sincerum est  
 gaudium, quod emergit ex vitæ recte actæ conscientia.  
 Actus autem ille gaudendi ex vita recte, sive secundum  
 naturam, acta est summum illud Bonum quod in multis  
 omnigenæ virtutis habitibus præclara habet fundamenta.  
 Nec modo recitata Voluptatis definitio Aristotelicæ cum  
 Aristotelicâ definitione Felicitatis male convenit. Sec-  
 undum *Aristotelem* enim & veteres Aristotelicos (qualis  
*Andronicus Rhodius*) summum Virtutis Bonum dicitur illa  
 Voluptas, quæ etiam non incommode definiri possit, ἐνέρ-  
 γεια sive Ἄξιον anima rationalis secundum Virtutem perfo-  
 rans in vita perfecta. Alibi dixerat, τελειῶς ἢ τὸ εὐφρο-  
 γίας

γόλας ἢ ἡδονῆς, ἔχ' ὡς ἢ ἔξει ἐνυπαρξίαν, ἀλλ' ὡς ἐπι-  
 γινώσκον π πλάθ, ὡς τοῖς ἀνθρώποις ἢ ὅσα. *Perficit autem  
 actum sive Operationem Voluptas; non ut habitus insitus, sed  
 ut finis quidam superveniens; ut supervenit iis qui florent a-  
 tate forma maturitas.* De moribus 10. c. 4. Nihil tamen  
 confidenter hoc in argumento asseruero. Dubitanter enim  
 aliquando loquitur; & ἔχει ἀμικροβήθειαν τῶν τῶν ἐν ἔρ-  
 ἔργων τῶν ἡδονῶν. *Ethic. Nic. lib. x. c. 5.* Quod largiori  
 Paraphrasi sic variavit *Rhodijs.* Τῆ ἐπιθυμίας ἔτι συμπί-  
 σθησαν ἢ ἡδονῆς, καὶ ἔτι ἀρχαίως ἔχει, ὡς ἀμικροβήθειαν  
 αὐ τῶν τῶν ἐν ἔργων ἢ ἡδονῶν. *Operationi sic canscisci-  
 tur Voluptas, & sic indivulise cohaeret, ut dubitesur, siue  
 ταῖς αὐτῆς ἰδέται cum Operatione ea, qua inde pronascitur, Volu-  
 ptas.* Consimiliter dicit doctissimus *Gassendus,* Volupta-  
 tem concipi posse quasi suave aliquod ipsi actioni junctum  
 condimentum, seu quasi addita quaedam dulcis, grataque  
 permulcens affectio, ipsi *Aristoteli* dicta finis. Et con-  
 tingere posse propter intimam cum ipsa actione cohaesio-  
 nem, ut Voluptas non re, sed ratione solummodo, ab o-  
 peratione virtutis discernatur. Hæc nos nihil dogmatice  
 asserentes studiosæ juventuti in *Peripata* disputandi gratia  
 de principis sui *Aristotelis* opinione proponimus. Nunc  
 pari saltem diligentia ad famosiorē *Epicuri* Opinione[m]  
 de summo Bono discutiendam transeamus; de qua nimis in-  
 certa apud veteres, & forte apud nos permanebit incerti-  
 or, & semper disputabilis controversia.

**Num. 14. Epicurus an actionum Morali-  
 um Animi statuerit, aut Corporis, vel ad  
 corpus aliquo modo relatam Voluptatem?  
 Obiter Cicero & Plutarchus contra Gas-  
 sendi opprobria vindicantur. Seneca pæ-  
 ne Epicurens in quæstione de Finibus  
 quid sensit?**

Hoc à nemine non est in confesso, *Epicurum* in omni  
 tam πρῶτον, quam πρῶτον ad Voluptatem respexisse;  
 eamque

eamque ita magnificasse, ut unicum omnium, in omnibus actionibus & appetitionibus, ratione utentium Finem esse concluderit. Quæritur, An de Voluptate ea quæ individua Virtutis comes est animique solius solatium; An potius de crassa & ad corpus solum relata Voluptate tam magna intellexerit & loquutus sit?

Historia, quam *Testem temporum, Lucem Veritatis, Vitam memoria, Nunciam Vetustatis* discrete dixit Cicero, hoc in Argumento nec Testem se sibi constantem, nec clare veridicam & fidelem nunciam Vetustatis se videtur præstitisse. Cicero Academicorum & Peripateticorum castra sequens dogmatum Epicuri oppugnator erat non instrenuus, quod nec ipse diffiretur. *Tusc. 3.* 'Conqueruntur, inquit, Epicurei me studiose dicere contra Epicurum, mihi summum in Animo Bonum videtur, illi in Corpore; mihi in Virtute, illi in Voluptate: Et illi pugnant, & quidam vicinorum opem implorant. Multi autem sunt qui statim convolent. Ego autem is sum qui dicam me non laborare; ratum habiturum quod egerint. Justum sane bellum in Philosophos Epicureos exercuit Cicero non diffiretur se studiose dicere contra Epicurum, & rectissime. Certamen enim illud erat contra Vitiorum & Sensualitatis patronum, Immortalitatis Animi & præmiorum virtutis post hanc vitam expectandorum oppugnatorem acerrimum: unde non laborare se ait, ratumque habiturum si Philosophiæ Epicuræ adversarium dixerint. Falsarius tamen, aut librorum, quos tum Epicurus scripserat, notissimorum corruptor existimari non debuit.

In manibus enim omnium tum versabantur scripta Epicuri, plurimique Romæ summi viri, iidemque Cicero amiciissimi, Epicuri Sectam sunt secuti; qui nec provocati (quod crebro facit Cicero) in falsarium magistri oppugnatorem cito insurrexissent. Quod Voluptatem ad Corpus relatum summum finem posuerit Epicurus, manifestum sane Cicero (ut mihi videtur) plenissimumque exhibet Testimonium. Verba sunt, 'In eo, Epicure, libro qui omnem continet disciplinam tuam (fungar enim jam inter prætis munere, ne quis me putet fingere) dicis hæc, 'Nec equidem habeo quod intelligam Bo-

N

'nium

num illud, detrahens eas Voluptates quæ  
 sapore percipiuntur; detrahens eas etiam  
 quæ auditu & cantibus; detrahens eas e-  
 tiam quæ ex formis percipiuntur oculis,  
 suaves motiones, sive quæ aliæ Voluptates  
 in toto Homine gignuntur quolibet à sen-  
 su. Neque vero ita dici potest Mentis læ-  
 titiam solam esse in Bonis. Lætantem e-  
 nim Mentem ita novi, spe eorum omnium  
 quæ supra dixi fore, ut Natura iis po-  
 tiens dolore careat. Atque hæc quidem his ver-  
 bis, quivis ut intelligat quam Virtutem norit *Epicurus*.  
 Et deinde paulo post. *Sæpe, inquit, quæsi* ab  
 eis, qui appellantur sapientes, quid ha-  
 berent quod in Bonis relinquerent, si illa  
 detraxissent; nisi vellent voces inanes  
 fundere, nihil ab his potui cognoscere:  
 qui si Virtutes ebullire volent, & Sapl-  
 entias nihil aliud dicent, nisi eam viam qua  
 efficiantur eæ voluptates quas supra dixi.  
 Quæ sequuntur in eadem sententia sunt, &c. Dicit ali-  
 quis. Quid? Ergo tu *Epicurum* existimas illa voluisse;  
 aut libidinosas fuisse ejus sententias? Ego vero, *inquit*  
*Cicero*, Minime. Video enim ab eo dici multa severe,  
 multa præclare; ita, ut dixi, sæpius de Acumine ejus a-  
 gitur, non de moribus. Quamvis spernat Voluptates eas  
 quas modo laudavit, ego tamen meminero, quod videat-  
 ur ei summum Bonum. Non enim verbo solum posuit  
 Voluptatem; sed explanavit, quid diceret. Sapo-  
 rem, *inquit*, & corporum complexum &  
 ludos

ludos & cantus, & formas eas quibus oculi jucunde moveantur. Num fingo? num mentior? cupio refelli: non enim laboro, nisi ut Veritas in omni quæstione explicetur, &c. *Tusc. Quæst. lib. 3.* Quoties hujusmodi instantias meditor, miror qua fide *Ciceronem* accusat *Gassendus*, quasi aures obturasset, ne ex rei potius Veritate, quam ex præconcepta vulgari opinione, de *Epicuro* loqueretur; cum tot citet *Epicuri* scripta, in quibus si falsarius fuisset, convolasset statim (ut ipse innuit) *Epicurei*, nec detractorem manifestum ad hunc usque diem intactum sustinuisset. Nos in tam clara, ut nobis videtur, causa *Ciceroni* ipsi credere tutius duximus, qui se laborasse narrat, ut veritas in omni hac quæstione explicetur; quam *Gassendo* summo Philosopho sed studiose *Epicureo* tantum virum aures obturasse, ne ex rei veritate loqueretur. In libro autem 2. de *Finib.* alia citat *Epicuri* scripta eodem spectantia, & ab ipso *Torquato* pro genuinis agnita. In alio (sic reperis *Cicero*) libro, ubi brevibus comprehensis sententiis quasi Oracula edidisse Sapientiæ dicitur, scribit his verbis, quæ nota tibi profecto, *Torquate*, sunt. Quis enim vestrum non edidit *Epicuri* *Ecclæ Mōræ*, id est, maxime ratas? quia gravissimæ sunt ad beate vivendum breviter enuntiariæ sententiæ. Animadvertite igitur rectene hanc sententiam interpreter, si ea, quæ sunt luxuriosis efficientia voluptatum, liberarent eos Deorum, & mortis, & doloris metu, docerentque, qui essent fines Voluptatum, nihil haberem quod reprehenderem, cum undique complerentur Voluptatibus, nec haberent ullâ ex parte dolens aut ægrum, i. e. malum. Hoc loco *Triarius* se tenere non potuit. Obsecro, inquit, *Torquate*, hæc dicit *Epicurus*? Quod mihi (sic *Cicero*) quidem visus est, cum sciret; velle tamen contentem audire *Torquatium*; at ille non pertimuit, saneque fidenter, istis quidem ipsis verbis, inquit: sed quid sentiat,

tat, non videtis. Si alia sentit, inquam, alia loquitur; nunquam intelligam quid sentiat. At ficta mihi videtur & pellucida Excusatio, qua utebantur Epicurei, ceteros non intellexisse Philosophos quid Epicurus senserit. Erant enim (sicut ipse Magister) φιλοδῶρος, *publici honoris cupidi*, adeoque justam aliorum Offensionem sive malam Opinionem hac excusatione facta studebant forte evitare. Huic ergo excusationi sic eodem libro idem replicat Cicero. Vide, inquit, si ego non intelligam quid Epicurus loquatur, cum græce (ut videtur) luculenter sciam, ne sit aliqua culpa ejus qui ita loquatur, ut non intelligatur. Ubi etiam quaerit annon Epicurus fuerit de industria σαρκῶς (ut dicebatur etiam Heraclitus) & annon possit plane & aperte loqui, cum nec de re obscura ut Physici, nec artificiosa ut Mathematici, sed de illustri & facili, etiam & in vulgus pervulgata? & tamen negetis nos intelligere quid ille dicat?

Ipse contra Epicurus (si Laertio fides) sic sententiam suam solebat, suorum sane dogmatum interpretes justissimus, exponere. Ὅταν, inquit, λέγωμεν ἡδονὴν πλὴν ὑπάρχουσαν, ἢ τὸς ὅψι ἀσώτων ἡδονάς, καὶ τὰς ὅψι ἐν ὑπολαίσει κοιμίας λέγωμεν, ὡς πνεύσ ἀσφούντες καὶ ἐκ ὁμολογούντες, καὶ τοιαῦτα ἐπιχθόνιοι νομίζουσιν, ἀλλὰ μὴτὲ ἀλφειὸν τὸ σῶμα, μὴτὲ περὶ τῆς τιμῆς ψυχῆς. Cum Voluptatem dicimus Finem, non Afororum Voluptates & qua in ingluvie posita sunt, dicimus; ut quidam ignorantēs & à nostra sententia dissentientes, aut male accipientes arbitrantur; sed non dolere corpore, animos esse imperturbato. Erant qui dicent forte Laertio studiosissime Epicureo fidem plenam hac in causa non esse adhibendam. Ego etiam si fidem adhibendam non negem, de Voce tamen Afori distinguendum censeo. Luxuriosos dicebant ceteri Philosophi, qui bona corporis persequabantur, postpositâ bonorum Mentis curâ quæ non referebantur ad Corpus; idque ut mihi videtur sapienter valde: Aforos solum dicebant Epicurei stolidæ atque insipienter Luxuriosos; qui voluptates persequabantur & undique & omnes; quales describuntur, qui in Mensam vomere, de conviviis auferri, qui solem nec Occidentem nec Orientem præ crapula videre solebant, quales Aforos se laudare semper pernegabat Epicurus; Elegantes mundosque Voluptuarios,

Voluptuarios, qui cruditatem vitare, alias vero magnifice vivere, inque esculentis & poculentis, & *o'p'ed'is'is* ad voluptatem ordinandis summum ponebant studium, hos revera *Sapientes* esse prædicabant Epicurei; Philosophi tamen cæteri *Astos* dicebant, hac saltem ratione, quod puræ mentis gaudia & spem futuri sæculi flocci fecerint; quod sublatâ Voluptate corporali aut ad corpus aliquo modo relata, omnino quid sit Bonum intelligere se negaverint; quod Luxuriam non reprehenderint, modo vacua sit infinitâ cupiditate & timore. Quorum intuitu rectissime pronuntiavit, de *Epicuro*, *Cicero*. *De finib. 2.* 'Discipulos eum quævisse visum, qui ut *Astos* esse velint, Philosophi ante fiant. Cujusmodi discipuli sive sapientis *Epicurei* specimen ideamque in eodem libro *Thorium Balbum Læmianum* descripsisse visus est. 'Is, inquit, ita vivebat, ut nulla tam exquisita inveniri possit Voluptas, quâ non abundaret. Erat & cupidus Voluptatum, & cujusvis generis ejus intelligens; & copiosus; non superstitiosus; non timidus ad mortem; cupiditates finiebat suâ satietate; habebat tamen rationem valetudinis; utebatur iis exercitationibus ut ad cænam esuriens & sitiens veniret, eo cibo qui & suavissimus esset, & idem facillimus ad concoquendum, Vino & ad Voluptatem & ne noceret: Cætera illa adhibebat, quibus demptis, negat se *Epicurum* intelligere quid sit Bonum. Aberat omnis dolor, qui si adesset nec molliter ferret. Medicis plus quam Philosophis utebatur. Color egregius, integra valetudo, summa gratia, Vita denique conferta Voluptatum omnium varietate. Cum autem mentis gaudia Voluptates omnes ad corpus relatas tam immenso intervallo superent, ut dici non possit, clamat *Cicero*, clamant cæteri omnes Philosophi, clamat (ut inquit *Cicero*) ipsa Virtus, cum propter fidem, quam dederat hosti, ex patria *Carthaginem* revertisset *Regulus*, ut vigiliis & fame cruciaretur, beatiorum fuisse quam potantem in rosa *Thorium*. 'Qui nobis (ita *Cicero*, *de finib. 2.*) miserabilis videtur audientibus, illi perpetenti erat Voluptarius. Non enim hilaritate, nec lascivia, nec risu, nec joco comite levitatis, sed sæpe etiam tristes. firmitate & constantia sunt beati. E contra, 'Aspice *Nomentanum & Apici-*



' *non* (sic jubet *Seneca*) terrarum ac maris (ut isti vocant)  
 ' bona conquirentes : & super mensam recognoscentes  
 ' omnium generum Animalia. Vide hos eosdem è lectis  
 ' suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spe-  
 ' ctaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes,  
 ' mollibus lenibusq; fomentis totum accessitur eorum cor-  
 ' pus ; & ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur  
 ' locus ipse, in quo Luxuriz parentatur. Hos esse in Vo-  
 ' luptatibus dices ; nec tamen illis bene erit, quia non  
 ' Bono gaudent. Ita *Seneca. De vita beata, cap. 11.* Sed ad  
 rem redeamus. Qui insuper *Epicuri* partes sustinent, talia  
 ostentant Magistri dogmata, & fortitudinis in doloribus  
 exempla, quæ Philosopho Voluptuario nulla ratione possent  
 convenire. Quale est illud, ' *Ὅς ἐν τῷ ἡδονῆς ἀνευ τοῦ*  
*καλοῦς καὶ φρονίμου καὶ δικαίου ζῆν' ἐστὶ καλῶς καὶ δικαίως καὶ*  
*φρονίμως ἀνευ τῆς ἡδονῆς.* Ita *Laertius* de dogmate *Epicuri*.  
 Neque hoc dogma diffitetur *Cicero*, non posse (scil: *secun-*  
*dum* *Epicurum*) *gaudere vivi, nisi sapienter, honeste, ius-*  
*teque vivatur ; nec sapienter, honeste, iusteque, nisi gaudente.*  
 Addit *Laertius*, quod ex *Epicuri* sententia *Συμπύκνωση*  
*αἱ ἀρεταὶ τοῦ ζῆν ἡδονῆς, καὶ τὸ ζῆν ἡδονῆς τούτων ἔστι ἀχ-*  
*εῖων.* *Congenita sunt & coherescunt Virtutes vita Voluptua-*  
*ria, Vitaq; Voluptuaria à Virtutibus est inseparabilis.*

Hinc qui *Epicuro* supersunt argumentantur: Voluptas  
 corporalis ab iis semoveri & seungi potest, qui sapienter,  
 honeste, iusteque vivunt ; quod non potest non contingere  
 cum morbis, & doloribus afflicti sapientes corpore misera-  
 biliter cruciantur : *Epicuri* Voluptas nullo (ut testatur  
 Historia) corporis dolore tolli poterat, sed erat plane in-  
 separabilis : concludendum igitur affirmant *Epicurum* fi-  
 nem posuisse animi gaudium, quod non referatur ad Cor-  
 pus. Conclusionem inde confirmari volunt, quod sapientem,  
 etiam si *Phalaridis* cremaretur tauro, fore tamen  
 beatum & voluptuarium ; etiamque si peruratur (ex ipsius  
 sententia) exclamaturum (\*) *dulce est.* Maximo opere

(\*) *Epicurus ea dicit, ut mihi quidem visum captare videatur: affirmat enim quodam loco, si uratur sapiens, si crucietur, expectas fortasse dum dicat Patietur, perferet, non succumbet. Magna Mehercule laus, & eo ipso quem juravi Hercule digna : Sed Epicuro homini si aspero & duro non est hoc satis. Is Phalaridis tauro si erit, dicet, quam suave est hoc? quam hoc non curo? &c. apud Ciceroem. Tuscul. lib. 2.*

etiam argumentantur ex Voluptate quâ usum esse in ultimis tormentis testantur Historiz, cuique astruendæ ultimâ illa ad *Hermachum* Epistola ab omnibus citari solet. Est autem hujusmodi. *Epicurus Hermacho* salutem. Cum ageremus vitæ beatum atque eundem supremum diem, scribebamus hæc; tanti autem morbi aderant vesicæ & viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem possit accedere; compensabatur tamen animi lætitiâ quam capiebam memoriâ rationum inventorumque nostrorum. Sed tu, ut dignum est tuâ erga me & erga Philosophiam voluntate, fac ut *Metrodori* tueare liberos. Hicne igitur intelligenti cuiquam videbitur casus, in quo positus de Voluptate Corporali possit *Epicurus* gloriari? Corporis Virtutes censentur. Sanitas, Pulchritudo, Robur, Magnitudo, Facultas certandi, &c. ejusmodi. At quomodo fieri possit, ut hujusmodi virtutibus quis gaudeat, cujus modo corpus præsentis gravant cruciatus, ad quorum magnitudinem nihil possit accedere; cuique post exhausta hujusmodi tormenta, post squallidas putresque corruptionum Vices, corpus ipsum in Elementa sive Atomos sit reducendum? Sic apud *Ciceronem*, *Tusc.* 5. Quid? Is tibi mortem videtur an dolorem timere, qui cum diem quo moritur beatum appellat, maximisque doloribus affectus eos ipsos inventorum suorum memoria & recordatione confutat? Adversarii igitur regerunt aut hæc non dixisse scripsisseque *Epicurum*: aut dixisse scripsisseque cum cæteris scriptis, & cum Voluptate pugnantia. Ita *Tusc.* 3. Negat *Epicurus* ullam in sapiente Vim esse fortunæ, Negat ullam esse tempus quo sapiens beatus non sit; omnia Philosopho digna, sed cum Voluptate pugnantia. Deum non agnoscis *Epicure*, nec divinam providentiam. Satis enim ex *Physicis* liquet nulla à te poni numina, nisi quæ semota à rebus nostris Voluptatibus fruantur propriis: tantumque absunt ut bonis retribuunt bene, malis male, ut bene promeritis capiantur, aut vindictam in improbos exercent, ut nullo modo se rebus nostris intermiscant. Quznam igitur tibi spes aut jucunditas in morte esse poterit? Quodnam ex memoria benefactorum, vitæ sapienter anteaactæ, rationum, inventorumve recordatione, in mortis articulo poterit esse solati-  
um?

um? Ex hujusmodi recordationibus, Socraticis, Platonici-  
 cis, Peripateticis, cæteræ mortalium genti sic forte con-  
 scientiæ succiduntur terriculamenta; sic ad bene de fu-  
 turo sperandum aperitur porta. Nulla autem comparet  
 oblectationis ratio Philosophis, qui sibi ipsis interdicut de  
 Mercede aliquâ aut Beatitudinis proventu post mortem  
 uspiam expectanda, præsertim cum præsens dolor adsit, ad  
 mortem usque continuus, nec post mortem uspiam speret-  
 tur Voluptas. Recte sane Cicero, *‘Epicuro, inquit, vi-*  
*‘detur Sapiens semper Beatus; sed nunquam id diceret,*  
*‘si ipse se audiret. Quid enim est quod minus conveniat,*  
*‘quam ut is, qui vel summum vel solum malum dolorem*  
*‘esse dicat, idem censeat? Tusc. 5. Et supra, eod. libro.*  
*‘Acute, inquit, Disputantis est, non quid quisque dicat,*  
*‘sed quid cuique dicendum sit, videre. Sane de Finibus 2.*  
 Nobilem hanc ad *Hermachum* Epistolam ex naturali ad  
 honestatem instinctu profluxisse, & priores rationes con-  
 futasse idem edisserit Cicero. *‘Audio equidem (inquit*  
*‘Cicero Epistola hujus argumentum eviscerans) Philosophi*  
*‘Vocem, Epicure. Sed quid tibi dicendum sit oblitus es.*  
*‘Primum enim si vera sint ea, quorum recordatione te*  
*‘gaudere dicis; hoc est, si vera sint tua scripta & inventa,*  
*‘gaudete non potes. Nihil enim jam habes quod ad cor-*  
*‘pus referas. Est autem à te semper dictum, Nec gau-*  
*‘dere quemquam nisi propter corpus, nec*  
*‘dolere. Præteritis, inquit, gaudeo. Quibusnam præ-*  
*‘teritis? Rationes tuas video te compensare cum istis do-*  
*‘loribus, non autem memoriam corpore perceptarum Vo-*  
*‘luptatum. Si autem ad Animum, falsum est quod negas*  
*‘animi ullum esse gaudium quod non referatur ad corpus.*  
*‘Cur deinde Metrodori liberos commendas? Quid ex tuo*  
*‘isto egregio Officio & tanta fide (sic enim existimo) ad*  
*‘corpus refers? Huc & illuc Torquate vos versetis licet,*  
*‘nihil in hac præclara Epistola scriptum ab Epicuro con-*  
*‘gruens & conveniens decretis ejus reperietis. Ita re-*  
*‘darguitur à sese; veniuntque (alias, vincunturque) scripta*  
*‘ejus probitate ipsius & moribus. Nam ista Commenda-*  
*‘tio puerorum (Metrodori scil:) Memoria & Charitas*  
*‘Amicitia, summorum Officiorum in extremo Spiritu*  
*‘Con-*

‘ Conservatio, indicat innatam esse homini probitatem  
‘ gratuitam, non mutuatam voluptatibus, nec præmio-  
‘ rum mercedibus evocatam. Quod enim Testimonium  
‘ majus querimus, quæ honesta & recta sunt ipsa esse opta-  
‘ bilia per se, cum videamus tanta esse Officia morientis?  
*Epicuri* scilicet qui ex Utilitate Voluptateque ad corpus re-  
larâ omnia emanasse Virtutis Officia primus dictaverat.  
Ardua sane res est, hoc in Argumento, *Epicurum Epicuro*  
consentientem reddere. An forte dicemus suspicionem  
aliquam sive spem *Epicuro* jam morienti Voluptatis, non  
obstante sua Philosophia, in futuro sæculo fruendæ ad-  
fuisse? Nam neque *Torquatus* apud *Ciceronem* pro *Epicuro*  
disputans divinum judicium prorsus sustulit. Verum hoc  
erit *Epicurum* à seipso absistere, Ethicamque ejus cum Phy-  
sica in pugnam committere. Quicumque enim divinam  
ponit providentiam totius *Epicuri* Philosophiæ Physicæ,  
*Hercules* labore extructæ, finem prorsus demolitur. An  
gratuito & sine ratione, Virtute oblectatum dicemus hunc  
Philosophum? An improvisis commodi aut incommodi,  
voluptatis dolorisve post mortem consequentiis, probum se-  
virum in extremis præstitisse? Sicut infantes & bruta pe-  
cora Naturaliter pastu gaudent; sicut vulgus hominum  
qui in actionibus secundum virtutem Oblectationem ma-  
gis ex naturali instinctu quam rationum aut consequentia-  
rum animadversione percipiunt. Ita *Cicero*. de finib. 2.  
‘ Mihi quidem videtur quod ipse (*Epicurum* loquitur)  
‘ Vir bonus fuit, & multi *Epicuro* fuerunt, & hodie sunt,  
‘ & in Amicitiiis fideles, & in omni vitâ constantes &  
‘ graves, nes Voluptate sed Officio consilia moderantes.  
‘ Hoc videtur major vis honestatis & minor voluptatis. Ita  
‘ enim vivunt quidam, ut eorum vitâ refellatur Oratio.  
In quo libro & de *Epicuro* speciatim observatum est, plus  
‘ in eo rectam naturam quam rationem pravam valu-  
‘ ite.

Sunt qui putant aliter exitisse famosissimæ hujus-  
modi Epistolæ Exemplar, illudque alibi secutos & *Cice-  
ronem*, & *Plutarchum*: *Plutarchum* præsertim, in eo scilicet  
libro qui inscribitur, ἢ ἡ δὲ ζῆν ἡδὴς ἔτι ἔστ’ ἄριστος  
ubi *Epicuro* in extremis torminum difficultatibus solamini

a V. Casaubonum, Of Credulity and Incredulity.

fuisse perhibetur, non rationum inventorumque memoria, sed ἡ μνήμη ἀπολαυσμάτων πρῶτον ἡδονῶν: atque ad hoc ipsum exemplar (quod maxime supponitur *Epicuro* proprium & genuinum) non ad prius repetitum (quod item supponitur variatum emendatumque ab ipsis *Epicuri*, ad vitandam infamiam, discipulis) respexisse *Ciceronem*, *Tusc.* 5. ubi *Epicurum*, inquit *Cicero*, unâ se dicit recordatione acquiescere præteritarum Voluptatum. Ut si quis æstuans, cum vim caloris non facile patitur, recordari velit se aliquando in Arpinati nostro gelidis fluminibus circumfusum fuisse. Cur ego corruptum temporibus *Ciceronis* exemplar quo utebatur non existimem, ratio est, quod hujusmodi depravationem nullibi à *Cicerone*, aut ab aliis veteribus imputatam objectamve *Epicureis* legimus. Cujus mentionem, pro libertate quâ in dicendo utebatur, non omisisset *Cicero*, si duo ejusdem Epistolæ exemplaria vulgo nota essent, eodemque tempore doctorum manibus trita.

Nec sane aut ad *Plutarchi*, aut ad *Ciceronis* contra *Gassendum* defensionem justam hoc ipsum (ut mihi videtur) necessarium erat allegasse. Nam neque *Cicero* ipse, nec *Plutarchus* alicubi videntur dictam speciatim Epistolam, sed doctrinam *Epicuri* generalem, quid consuevit dicere, & publicâ ipsius Philosophiæ dogmata notare: quibus præceptum cautumque est, ut ex recordatione præteritarum Voluptatum præsentis dolores compensarentur. Hoc igitur consentaneum erat *Epicurum* dicere etiam in extremis illis maximisque doloribus, nisi Philosophiæ suæ dogmata in ultimo vitæ articulo deserere velle videretur. Quam vere autem potuit sic compensare dolores argute discutiunt *Cicero*, & post eum *Plutarchus*, dum asserunt æque difficile esse opus, jucundam præteritæ voluptatis memoriam in tam miserabili corporis laniena persentiscere, atque expressam genuinamque proprii vultus imaginem in perturbato valde fluctu contueri, sic *Plutarchus*; aut æstuantem caloris tollere vim memoriâ gelidi Arpinatis, sic *Cicero*.

Utrumque sane *Ciceronem* & *Plutarchum*, & in aliis instantiis male excepit doctissimus *Gassendus*; quasi probitati, honestatique studentes. conulariter locum in causa *Epicuri*,

*Epicuri*, quam vere maluerint. Quod ut probaret manifestâ sane, & sophistis omnibus notissimâ fallaciâ, utriusque Autoris perversâ interpretatione corruptit sensum. *Dictum enim secundum quid*, tum apud *Ciceronem*, tum *Plutarchum* (ut autores infames redderet) aut malitiose, aut oscitanter valde, utcunque fallacissime, *dictum simpliciter* exposuit. Neque enim, si in Dissertatione de instituendo Oratore non quærat *Cicero*, quæ *Philosophia sit verissima*, sed quæ *Oratori maxime conveniat*, dicendum generaliter esset, nullibi *Ciceronem veritatem quærisse*. Sic etiam, si in quæstione de communi sectæ Epicureorum famâ dicat *Plutarchus*, se modo famam eorundem non *Veritatem quærere*, inde argumentandum erat in causa Epicureorum *Plutarchum semper* popularem se scriptorem, & φιλόδοξον, non *Veritatis amantem* se præstare voluisse. Sed, ut res clarior fiat, citatas si placet à *Gassendo*, tam *Ciceronis*, quam *Plutarchi* sententias perscrutemur.

Contextus *Ciceronis* præcipuus post modo vindicatum, quem male interpretando infamiam Autori inurere voluit *Gassendus*, hic est, *lib. 3. de Oratore*. ‘Ea *Philosophia*, quæ patrocinium suscepit *Voluptatis*, etsi cui vera videatur, procul abest ab eo viro quem autorem publici consilii, & regendæ civitatis ducem, & sententiæ atque eloquentiæ principem, in Senatu, in populo, in causis publicis esse volumus. Nec ulla tamen ei *Philosophiæ injuria* fiet à nobis; non enim repelletur inde quo aggredi cupiet, sed in hortulis quiescet suis, ubi vult, ubi etiam recubans molliter & delicate nos avocatur à rostris, à judiciis, à curia, fortasse sapienter, hæc præsertim repub. Verum ego, **Non Quæro nunc quæ sit Philosophia Verissima, sed quæ oratori conjuncta maxime.** Quare illos sine ulla contumelia dimittamus: sunt enim & boni viri, & quoniam sibi videntur beati: tantumque eos admoneamus, ut illud, etiam si sit verissimum, tacitum tamen tanquam *Mysterium* teneant, quod negant versari in repub. esse sapientis. Nam si hoc nobis & optimo cuique persuaserint, non poterunt ipsi esse, quod maxime cupiunt, etiam. Dicit *Cicero*, **Non Nunc Quæro** (id est, in hoc de Oratore

Oratore argumento non querere) *qua Philosophia sit verissima, sed qua Oratori aptissima*; dum autem *Gassendus* illud *nuspiam se querere* vult intelligi, quod dixerat *se modo in certo hoc argumento non querere, dictum secundum quid, quasi universaliter dictum*, summâ cum injuria interpretabitur.

*Plutarchum* similiter male tractat idem doctiss. *Gassendus*. Is enim, ut probaret suaviter non vivi posse secundum *Epicurum*, dogma illud *Epicuri* citat, à *Gloria* sive *bona fama Voluptates proficisci*: deinde subsumit Epicureos famæ tam impense cupidos maximas dimittere *Voluptates*, dum ob imbecillitatem & molliem fugiunt magistratus, reip. administrationem, Amicitias regum: deinde addit, *Ἐὶ μὴ τὸ εὐδοξίον, κλ.* quæ sic Latine interpretor. 'Quod si dulce sit bona fama esse præditum, mala fama uti insuave erit & molestum. Atqui nihil est à bona fama alienius quam Amicis caruisse, quam ab actionibus negotiisque ad communem vitæ usum spectantibus iners cessatio, quam Atheismi professio, quam Vitæ mollis & delicatæ consecratio, rerumque omnium incuria & negligentia. Hæc autem ipsis Epicureis exceptis omnes homines huic sectæ inesse existimant: dicat aliquis injuriâ hæc. Atqui nos famam non veritatem (*jam*) consideramus. Neque quidem nos libellos aut infames sententias, & decreta Civitatum in eos scripta proferemus. Hoc enim fecisse hominis esset maligni. Sed sane si Oracula, & Divinatio, & Deorum providentia, & parentum in prolem innatus Amor, & Amicorum dilectio, & reip. Administratio, & Imperium sive Principatus ad bonam famam & gloriam spectat, eadem pariter ratione necesse erit eos, qui dicunt non esse laborandum in servandis Græcis, sed laute edendū bibendumq; ne noceat & ventri interim sit gratum, infamiam incurrere, malosque existimari, & cum tales habeantur dolore affici, & indecore vivere: siquidem dignitatem & bonam famam rem esse jucundam putant.

An meruit hac sententia *Plutarchum*, quod de eodem hac occasione doctissimus, sed causæ Epicureæ quam decebat faventior, dixit *Gassendus*, lib. 3. de *Vita Epicuri*. cap. 7. in illa verba, *ἀλλὰ τὸ δόξαν ἢ τὴν ἀλάθειαν ποιοῦμεν,*

ἠέτις, *Veritatem nos opinionem non veritatem attendimus.*  
 Vides, inquit, quam aperte *Plutarchum* se φιλάδοξον, non  
 φιλαλήδω profiteatur, de *Epicuro* cum agitur. Quibus  
 facile respondere poterimus, non aperte, imo non omni-  
 no, dixisse *Plutarchum*, se non φιλαλήδω sed φιλόδοξον,  
 cum causa *Epicuri* ageretur. Aperte sane dixit se nolle  
 vel in hoc Argumento, cum de fama tantum quæreretur, in-  
 fames civitatum contra *Epicurum* sententias proferre, ne  
 quod hominis esset in *Epicurum* maligni faceret. Sophi-  
 stica *Gassendi* hæc est: dum in Argumento de bona aut  
 mala fama *Epicuri* disputans, seque intra proprii argumen-  
 ti ambitum continere volens, dixerat *Plutarchus*, se solam  
 famam jam quærere sive bonam vulgi Opinionem, sine qua  
 suaviter vivi non posse pronuntiaverint *Epicurei*, non dixit  
 φιλόδοξον se, non dixit in argumentis aliis adversus  
*Epicurum* editis, se opinionem solum respexisse; sic au-  
 tem interpretatur *Gassendus*, quasi quod hac in causa sin-  
 gulari, singulariter dici debuit dictumque fatemur, sim-  
 pliciter atque universaliter de se dixerit: quæ iterum est  
 fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Male  
 igitur hinc argumentatur *Gassendus* *Plutarchum* rudu-  
 isse *Epicurum* calculo etiam suo facere infamem; nec recte  
 ab *Agellio* dici *Epicurum* carpi à *Plutarcho*, minute ni-  
 mis ac prope etiam subfrigide. Sane iustissime hoc in ar-  
 gumento carpitur; aut enim melius famæ suæ propriæ, se-  
 ctæque consulisset *Epicurus*, aut bonam famam ad vitam  
 suam Voluptuariam non ita necessariam constituisset. Sæ-  
 pe equidem sic existimo *Epicurum* ipsum ejusdemque se-  
 ctarios multa dixisse de industria σοφιστῶν, & Hypothesi  
 suæ haud bene congruentia, Umbris & Obscuritatibus de-  
 lectatos, quo melius dicerent alios sectæ suæ Philosophiam  
 non intelligere, & Vitæ Voluptariæ infamiam evita-  
 rent.

Hoc etiam mihi videtur observatu non indignum, *Seneca*  
 parte *Epicureus*, quique præcepta *Epicuri* sive do-  
 ctrinam de Officiis magna ex parte calculo suo adprobavit,  
 ejusdem tamen doctrinam de Finibus improbasse. Ipse e-  
 nim sibi imputatum memorat, quod *Epicuri* præcepta in  
*Zenonis* principiis loqueretur. *Lib. de Vita beata, cap. 28.*  
 & cap. 13. eodem: *Epicurum* affirmat *Sarcelia* restaque fra-  
 gipere,



*Esperere, & si propius accesseris, tristitia; Frontem tamen ipsam non negat ad malam spem invitare.* Inde comparat Philosophiam Epicuream viro forti stolâ muliebri induto, aut lascivienti *Cybeles* Sacerdoti, cui, constante forte pudicitia, in manu tamen Tympanum est. Jubet igitur ut principia immutentur, & honestiora eligantur. ‘Titulus, *inquit*, honestus eligatur, & inscriptio ipsa excitans animom ad ea repellenda quæ statim enervant, quum venerint, vitia. Qui voluptatem sequitur, videtur enervis, fractus, degenerans, mox & perventurus in turpia, nisi aliquis distinxerit ei Voluptates, &c. Agedum virtus antecedit, tutum erit omne vestigium. Rationabilem sortiris naturam quæ melius res quam ratio præponitur? Et si placet junctura illa (si hoc placet scilicet: ad beatam vitam ire comitatum) Virtus antecedit, comitatur Voluptas, & circa corpus ut umbra Versetur. *¶ c. ib.* Hoc tantum suo loco notandum erit, neque doctrinam de Officiis, aut præcepta *Epicuri* posse esse adæquate vera restaque, nisi doctrina de Finibus & principia etiam talia sint. Quisquis enim Utilitatem aut Voluptatem ad corpus relatum finem honesti posuerit, Innocentiam, Fidem, Gratitude, cæterasque Virtutes inter honesta eligendaque tantisper solum, nec alias diutiusve, debet statuere, quam dum ad Utilitatem, Voluptatemque ad Corpus relatum, conducere videbuntur. Sed de hujusmodi consequentiis proximo, si Deus volet, capite differemus uberius. Pauca tantum, quæ de *Epicuro* & Philosophiæ ejus consecutaneis sentiit *Lactantius*, coronidis loco hic apponamus. ‘*Epicurus, inquit*, fuit turpissimæ Voluptatis assertor, cujus capiendæ causâ hominem nasci putabat. Quis, cum hæc affirmari audiat, vitiiis & sceleribus abstineat? Nam si perituræ sunt Animæ, appetamus divitias, ut omnes suavitates capere possimus: quæ si nobis desunt, ab iis qui habent auferamus, clam, dolo, Vi: eo magis si humanas res Deus nullus curat; quancocumque spes impunitatis arriserit, rapiamus, necemus. Sapientis enim male facere est, si & utile sit, & tutum. Quoniam si quis in cælo Deus est, non irascitur cuiquam, Æque stulti est & benefacere. Quia sicut irâ non commoveatur, ita nec gratiâ tangitur, Voluptatibus igitur quomodo possimus

possumus serviamus : brevi enim tempore nulli erimus  
omnino. Ergo nullum diem, nullum temporis punctum  
fluere nobis sine Voluptate patiamur, ne, quia ipsi quan-  
doque perituri sumus, id ipsum quod viximus pereat.  
Hæc ille tametsi non dicit Verbo, re tamen ipsa docer.  
Nam cum disputat sapientem omnia sua causa facere, ad  
Utilitatem suam refert omnia, quæ agit. Itaque qui  
addit hæc flagitia, nec boni quicquam faciendum puta-  
bit, quoniam benefacere ad Utilitatem spectat alienam :  
nec à scelere abstinebit, quia maleficio præda conjuncta  
est. Archipirata quisquam, vel latronum ductor, si  
suos ad grassandum cohortetur, quo alio sermone uti po-  
test, quam ut eadem dicat, quæ dicit *Epicurus* ? Deos  
nihil curare ; Non ira, non gratia tangi ; Inferorum  
pœnas non esse metuendas ; Quod Animæ post mortem  
occidant ; Nec ulli omnino sint Inferi ; Voluptatem esse  
maximum Bonum ; Nullam esse humanam societatem ;  
Sibi quemque consulere ; Neminem esse qui alterum di-  
ligat, nisi sua causa ; Mortem non esse metuendam viro  
forti, nec ullum Dolorem. Quinetiam si torqueatur, si  
uratur, nihil sane curare dicat. Estne plane, cur quis-  
quam putet hanc vocem viri esse sapientis, quæ potest  
latronibus aptissime commodari ? Ita *Lactantius, Inst. lib.*  
*3. De falsa Sapientiâ. cap. 17.*

---

CAP.

## CAPUT II.

### De Lege Naturæ

---

#### Num. 1. De Legis Naturæ existentia Dis- sertatio.

**Q**ui in Catholica quacunq; de re sententia defen-  
denda versantur, abunde se præstitisse cogitant,  
quoties contrarias Opiniones absurditatibus esse  
implexas ostenderint, suam tanquam bona fide diu occu-  
param, & communiter obtinentem jam sententiam, non  
quasi de novo & funditus serunt; sed curæ solum est, ut  
ab externis defendant Adversariorum i&ibus, & nervos iis  
præcidant. Cui vulgo recepto usui si & ipse morem gere-  
rem, de Tabula hac tollenda esset manus: & quæ contra  
*Hobbium*, *Theologopoliticum*, aliosque legis Naturæ  
impugnatores jam dicta sunt, aut mox dicenda, sufficere  
deberent.

Communis Opinio est, ab ipsis natæ Philosophiæ incu-  
nabulis orta, & quæ ad hunc usque diem in omnibus do-  
ctorum hominum Scholis, Academiis & Societatibus ob-  
tinet, principiis humanæ speciei intrinsecum atque essen-  
tiale esse (ideoque prorsus eidem speciei necessarium)  
homines quotquot sunt, quasdam Anticipationes habere de  
Justo & Injusto sibi invicem solum, non cæteris Anima-  
lium generibus communes: & proinde Hominem ab iis  
tanquam ab Accidentibus quibusdam, ad formæ humanæ  
essentiam necessariis, in Esse suo constitui simul, atque  
inde à cæteris posse distingui. Unde à *Cicerone* cæ-  
terisque Philosophis dici solet, Homines à Brutis in  
nullo magis distare, quam ingenito à Natura Justitiæ  
sensu.

Quæ huic astruendæ Opinioni inservire queant, cogi-  
tari

tari possunt hujusmodi. Imprimis, Rationem sive ratiocinandi, differendique facultatem, idque scite, subtiliter, accurate, inque argumentis sublimioribus, maximique momenti, ad Hominis essentiam spectare.

2. Ad hanc differendi sive argumentandi potentiam requiri Principiorum cognitionem, quæ in omni discursu præmitti & anteponi, ut Basis & Fundamentum argumentationi, debent; & facultatem insuper deducendi ex his Principiis Conclusiones.

3. Quod sint in homine Principia cognoscendi tam res, quæ magis ad praxin moralem spectant, quam quæ minus. Principia Practica sunt hujusmodi, *Non ledendos esse innocentes; Fidem esse servandam; Alendam, procurandamque esse prolem; &c.* Minus practica. *Quodlibet esse vel non esse; Totum qualibet sua parte esse majus.*

4. Quod quatenus hæc ab homine auferuntur Principia, eatenus facultas ratiocinandi tollatur.

5. Quod potissima pars facultatis ratiocinandi in principis sit sita; quodque Bruta etiam animantia arguere aliquali (imperfectâ licet) ratione, ex aliquilibus Principiis possint: uti faciunt, cum pactum & Venerem prosequuntur, meditatam contra se vim eludunt, & protelant necem.

6. Quod qui tollit congeriem accidentium ad formam rei pertinentium, is & naturam ejusdem rei minuat & immutet aliudque reddat: perinde atque qui ex numero quinario unum demperit, essentiam quinarium eo ipso prorsus destruit.

7. Quod Principia de Honesto & Turpi sint è præcipuis quæ humanæ naturæ competunt: & proinde vilius, quam quod jam hominum est, genus nasceretur illud, quodcumque absque iis sibi connatis gigneretur. Nihil inter se habent homines commune præter membrorum figuram, Rationemque humanam, cujus magna pars sunt hujusmodi Notiones. Quare si quis has Prolepses ex animo obliteraret, non minus à Natura sua cedere videretur, imo multo magis, quam si figuram corporis humani exueret & beluinam indueret. *Cicero, de Offic. lib. 3. statim post principium, eum affirmat qui Innocentiz tollit conscientiam, etiam hominem ipsum ex homine tollere.* Et eodem li-

pro, paulo ante finem. ‘ Quid, *inquit*, est, quod adferre tantum Utilitas possit, quantum auferre; si boni viri nomen eripuerit, Fidem, Justitiamque detraxerit? Quid enim interest, Utrum ex homine quis se convertat in beluam, an in hominis natura immanitatem gerat beluz? De qua item Honelli conscientia in ipso limine *librorum de Officiis* edisserens, ‘ Nec illa, *inquit*, parva vis Naturæ est, Rationisque, quod unum hoc Animal sentit, quid sit Ordo, quid sit quod Deceat, in factis distisque quis Modus. *Lactantius* similiter, *lib. 5. de Just. cap. 18.* ‘ In omnibus, *inquit*, animalibus, quia Sapientiâ carent, conciliatricem sui esse Naturam; Nocent igitur aliis, ut sibi profint. Nesciunt enim quod malum sit Nocere. Homo vero, quia *Scientiam Boni & Mali* habet, abstinere se à nocendo, etiam cum incommodo suo, quod Animal irrationale facere non potest. Et ideo inter summas hominis Virtutes Innocentia numeratur. Quibus rebus apparet sapientissimum esse, qui mavult perire, ne noceat, ut id Officium, quo à mutis discernitur, observeat.

Factâ autem Entium comparatione, facile videbimus practicam hanc Boni & Mali scientiam ad specificam spectare humanæ speciei, quâ à Brutis determinatur, differentiam. Perscrutemur igitur si placet rerum Naturas, & Officia singularium specierum paulisper contemplemur. Quod ut ordine à nobis fiat, ad infimas imprimis Entium descendamus Classes. Elementa primo intuemur movendi saltem potentiâ instructa, si quando è sedibus suis moveantur, eisdem recto itinere reperere: quas ubi consecuta sunt, fruuntur suâ Operatione, suaviter acquiescendo. Mixta deinde, lapides, metalla, cæteraque inanimata, suis agendi virtutibus instructa videmus; quas semper, ubi copia datur (remotis scilicet impedimentis) eliciunt; nec fere destinato fine excidunt. Animalia sui Conservationem & speciei Propagationem Venere & Pastu indefesso nixu prosequuntur. Humanum autem genus cum nobilioribus longe potentiis gaudeat, Felicitas & Perfectio, quæ humanæ naturæ commensurata est & proportionalis, altioris oppido esse debet, & sublimioris conditionis, qualitatis, seu Virtutis. Objectum enim, ut cuique naturæ  
facis-

satisfaciat, par illi Naturæ qualitatum suarum excellentiâ esse debet: alias enim præ Naturæ disparitate nulla erit complacentia. Cum igitur sui ipsius Conservatio, & proli cura, summa brutorum in genere sit Felicitas, sequitur, si homines nihil aliud sibi proponant, quam ejusmodi Voluptates, ipsos ad Bestias denuo esse religandos. Beluinum enim est, & alterius speciei proprium, quod consequuntur. Sane non inter homines à natura positi & creati fuissent, nisi alteri & superiori negotio se accingere debuissent: iis enim perfectionibus satis in gradu Entium inferiori est provisum. Sic enim semper procedit Naturæ Autor in hoc mundano Opificio, ut una species semper alteram quoad perfectionem superet; & ut facultatibus perfectioribus instruxit, ita Operi excellentiori destinavit: & speciei cuilibet, ut optimus Paterfamilias, suum Munus & Officium fideliter præstandum deputavit, & dispersit pensum. Optime proinde argumentari possumus ex Natura ad Officium Hominis. Possumus aliquid præstare supra Brutorum speciem, ergo debemus. Cum enim Natura nihil omnino frustra fecerit, Nobiliores Potentias & Facultates nobis elargiendo, Actiones etiam Nobiliores & Finem aliquem superiorem consequendum indigitat. Si superior Finis, media item superiora esse necesse est. Finis enim specificat media; & illis, quamcumque habent, dignitatem impertit. Media autem, per quæ Bruta suam Felicitatem consequuntur, sunt sensuum, Actiones, & Appetitus sensitivi. Consequitur proinde, quod Voluptas illa, quam homines ex iis persentiscunt, non summa sit, nec hominis Naturæ congrua; sed in Actiones altioris ordinis spirandum esse, ut consequamur quod nostræ naturæ consentaneum est; & quod illi fini, cui nos ut homines Natura seposuit, conducat. Media autem illa si nec sensuum sint, nec Appetitus sensitivi, proculdubio sunt Rationis Opera, & præcipue Moralia. Confitendum enim est omnem Ideam, & pure naturalem ad agendum dispositionem, cum sensu Obligationis nobis insitam, Divinæ Legis habere vim. Cum enim Deo procreante, absque nostra acquisitione nobis insint Notiones practicæ, æternæ judicandæ sunt Veritatis & Bonitatis moralis nobis concreatæ Idez. Restat autem Notio, seu divinitus conciliata

ciliata Officii Idea, firmiter nos astringit, ut secundum ipsam operemur.

Atque hæc quidem mihi videntur neque abstrusæ, neque facile refragabiles, pro legis Naturæ Existentiâ ductæ Rationes. Non tamen nostri hic est propositi ex hominis Essentiâ Legis hujus existentiam prolixis argumentis à priori demonstrare. Ex summi autem Dei (cujus imper-scrutabilis est natura) Gloriâ, Perfectione, Bonitate, Misericordiâ, Justitia vel Attributis quibuscunque, quicquam hac in re velle stricta demonstratione ex Naturali lumine deducere, imbecillis mihi videtur esse ingenii, aut gloriosi, & in Metaphysicæ pompa suæ nimium sibi adblandientis. Quis enim inficiari ausit Deo infinitam esse in Creaturas libertatem, potuisseque illum ab initio vel Notiones de Justo & Injusto nobis indidisse, vel pro lubitu & arbitrio (prout visum est) non indidisse; aliterque genus nostrum, neque his affectibus, aut hac ipsa (qua jam utimur) ratiocinandi peritiâ constituisse? Liberrum quippe Deo fuit imprimis hominem creasse, vel non creasse; eundem rationalem fecisse, vel non fecisse. Supposita tamen in Deo voluntate creandi hominem, qualis quoad Essentiam homo modo est, contradictionem implicaret, si quis eum sine Notionibus de Justo & Injusto hominem creasse dixerit. Cum notiones hæc non tantum communi vitæ plurimum inserviant, sed facultates ejusmodi sint, ut ab his homines in Esse suo constituentur, & à Brutis maxime distinguantur. Ad Essentiam enim hominis spectare videtur, ut Animal sit sui boni studiosum, & practicis honesti principiis naturaliter ornatum. Suppositâ etiam in Deo voluntate sic creandi Mundum, ut sit creabilium optimum, *Sanctum* aliquod *animal*, *mentisq; capacius alta*, quod cæteris possit dominari: illudque animal probum & pacificum, non improbum, crudele, aut insociabile, creari debuit. Et sic tandem creasse hominem excellenti bonitati videtur convenire. Omissis igitur argumentis quibuscunque, quæ ex postulatis ejusmodi, aut ex Hypothesi quacunque emendicata, dependent, clarissima, ut mihi videntur, sunt à posteriori ab absurdo contrario, nec non ab ipsis Theologiarum Oraculis deducenda pro Legis Naturæ existentia Argumenta. Tutissimaque  
vide

videtur ad hominum mentes & conscientias fideliter examinatas in hoc Argumento Appellatio. Paucissimos enim puto, vel in hac hominum sæce, ea mentis perversitas invadet, ut bene animadversa re nullas esse purent Naturæ Leges; præcipue si sua sibi præcordia severius excusserint. Nam nisi sint Leges Naturæ, ergo neque naturaliter est Justitia. Voces sunt, & non Entis Nuda solum Nomina; quique in Ethica versantur Disciplina, perinde operam ac Oleum perdunt, ac si de Lupi in vacuo saltibus, aut Chimærx motu, ederent Commentaria. Nisi enim prima sint in Ethicis præctica Principia; conclusiones nullæ erunt. Conclusiones enim non nisi ex Principiis eliciuntur. Si autem neque Conclusiones sint; ergo neque ipsa Ars Ethica.

Scitissime sane interrogat *S. Augustinus, lib. 1. De libero arb.* 'Dic ergo cur Adulterium male fieri putes. An 'quia id facere Lex vetat? Non sane ideo malum est, quia 'vetatur Lege; sed ideo vetatur Lege, quia malum. Sunt etiam Philosophi, sive Theologi naturales, ex utraque Platoniorum & Peripateticorum schola, qui Bonum & Malum divinæ naturæ cœterna esse pronuntiant; omnibus scil: summi Dei latis Legibus, dictis, factis, antiquiora; congeneres scil: esse divinæ menti æternas Boni Ideas, nec ideo Bonum esse naturale, quod à Deo præcipiatur, sed ideo præceptum, quia Bonum. Deumque bonitatis illius moralis intuitionem, bonum illud præcepisse; æternamque hanc bonitatem causam esse cur Lex Naturæ immutabilis sit, nec possit in quibuslibet ejus præscriptis à quopiam dispensari. Hæc autem altiora sunt, quam ut de his litem movere animus mihi sit: cum Legis Naturæ existentia abunde stabilietur, si sint quoquo modo naturaliter Bona & Mala; talia licet non sint ante Legem Naturæ homini concreatam.

Ne igitur in Metaphysicas nimis & nimis prolixas de Legum Naturæ Existentiæ descenderem disceptationes, Philosophum illum mihi proposui imitandum, qui, cum à Pyrrhoniis motus existentia negaretur, profus extendit pedem, & sic illud coram exhibuit, quod in rerum natura non omnino existisse fuerat declamatum. Ego itidem, si singulas Naturæ Leges, easque communiter confessas, in  
medium



medium protulero, & palam exhibuero, id certe fecero; ne, An sit Naturæ Lex, ultra dubitari possit. Imo sane hac in re mihi satis fecisse videbor, si communes quasdam practicas *ἔννοιαι* omnibus inesse demonstrarem. Illud autem mentibus singulorum inesse credendum est, quod singuli sibi ipsis inesse deprehendere se fatentur. Quamvis enim, ut advertit *Theocritus*,

— χαλεπὸν δ' ἐστὶν ἄνθρωπον ἰδμεναι ἀνδρῶν,

propriæ tamen cuique mentis Anticipationes & dictamina practica, non ita difficile est dignoscere; S. Apostolo etiam affirmante *Spiritum hominis, quæ homini insunt, posse discernere*. Cumque plurimi seipsos excusserint hac in re, ut, quod verum est, invenirent, quidni λόγον ξυνδὸν optimum, de rebus per seipsos propriis sensibus perceptis, Veritatis judicaremus *κατῆλον*? Nec sane illud animadversione indignum est (quod hoc in argumento observari solet.) Quamvis flagitia omnis generis, per omnia retro sæcula sæpius commissa sint & perpetrata, Neminem tamen extitisse (uno forte ante infelix hoc, quo nos vivimus, ævum excepto *Epicuro*) qui Legem Naturæ delere tentaverit, aut Honestum Inhonesti nomine, Inhonestum Honesti compellaverit. Ea enim est Hominum Natura, ut si quid turpe commiserint, facta sua talibus circumstantiis adornare studeant, ut nihil contra Honestum Justumque commisisse credantur. Quod sane facere non curarent, nisi jus aliquod Naturæ esset, sensusque Honesti Justique esset naturalis. Hoc ipsum est, quod observavit *Seneca*, 'Placere suapte Naturâ, adeoque gratiosam esse Virtutem, ut insitum sit etiam malis probare meliora. *De Benef. lib. 4. c. 7.* 'Quis, inquit, est, qui non beneficis videri velit? Quis non inter scelera & injurias opinionem Boni affectet? Dic cuilibet ex istis, qui ex rapto vivunt, an non illa, quæ ex latrociniiis & furtis consequuntur, malint ratione bona provenire? Optabit ille, cui grassari & transeuntes percutere quæstus est, potius illa invenire, quam eripere. Neminem reperies, qui non Nequitia præmiis sine Nequitia frui malit. Maximum hoc habemus Naturæ meritum, quod Virtus in omnium animos  
lumen

lumen suum præmittit, etiam qui non sequuntur illam vident. In iis ætatibus, inquit Cicero, quæ jam confirmatæ sunt, Quis est tam dissimilis homini, qui non moveatur & Offensione turpitudinis, & comprobatione honestatis? Quis est qui non oderit libidinosam, protervam adolescentiam? Quis contra in illa ætate pudorem, constantiam (etiamsi sua nihil intersit) non tamen diligat? Quis Pullum Numitorem, Fregellanum proditorum, quamvis reip. nostræ profuit, non odit? &c. De Finib. 5. Neque sibi Connatum solum homines communiter vident Lumen, Notitiasque practicas; sed, (quod Notatu dignum est) tranquillitate animi & gaudio fruuntur, qui illas observant, eisdemque obsequuntur notitiis: qui non obsequuntur, imis hac ex causa, Deo providente, cruciantur præcordiis. Quod Hippias apud Socratem, aliud singulare indicium dixit, Notitias has à summo Deo profuisse. τὸ, inquit, καὶ ὅμους αὐτὲς τοῖς παρεχόμενοι τὰς πτωχείας ἔχουσιν, βελτίον' ἢ κατ' ἄνθρωπον νομοδότην δοῦναι μοι εἶ). Leges ipsas delinquentium pœnas continere, id mihi videtur præstantioris eiusdem Legislatoris, quam ut in hominem eadat. Quod si forte (eorum qui ad futurum Dei iudicium coercendi reservantur) unus aut alter alicubi Timon inveniatur, communi hominum generi difformiter viventes; imo si anomala alicubi atque exlex degat Gens, efferata moribus, juxta Porphyrii, vel mente morbidâ, juxta Andronici Rhodii phrasin, non oportet inde ἀνθρώπινος κατὰ δὲ δὲ αὐτοῦ φύσεως. Qui enim Ventri & Voluptatibus, pecorum, aut quod agrestius ferarum, ritu se dedunt, nihil otii, aut animi habent, quò in se descendant, aut sacras (quæ ex intimis præcordiis spirant) catecheses exaudiant. Improbe tamen fecerit, qui Cordi inscriptas esse Leges negaverit, quod ipse, aliud agendo occupatus, sic in corde scriptas non animadvertit. Neque enim rerum in nobis existentia nostra adæquata est cognitio. Sed si verum sit, quod ex Seneca modo advertimus, etiam latrones, & alienarum rerum (contra naturæ dictamina) raptores, malle reperire, aut alio honestiori acquirendi modo res sibi conquirere, quam ipsis (quibus utuntur) latrociniiis; fatentur palam non omnia esse naturaliter ἀδιόφορα, aut æqualiter bona. Et si revera ἀδιόφορα omnia naturaliter

liter non sint, ergo Natura Honesti, Boni, Pulchri, indicium exhibet. Illud autem *Indicium* Lex est. Neque notiones hasce Pulchri, Honesti, Justi indices, à Parentum, Præceptorumque speciali institutione, aut vitæ communis usu, & populi moribus, originem duxisse credi debet. Quomodo enim omnes ad easdem sic instituerentur leges, vitæque regulas (cum, ut differit *Socrates*, neque simul convenire, nec eodem sermone uti, ad leges ferendas, omnes possint; cumque Educationes & Consuetudines sint diversissimæ, Notiones tamen communes sint eædem) si non communis aliqua hoc distaret ratio? Deinde de vestire nosipsos notionibus quibuscunque receptis, & aliunde haustis, atque exuere illatas nobis Leges pro Arbitrio possumus: nobis tamen omni acquisita illa ascititiaque opinionum supellectile ad libeum denudatis, manet tamen, etiamque invitis & reluctans adhæret, infixus quarundam Anticipationum sensus; quales sunt in Ethicis, *Turpe esse Homini hominem innocentem occidere: Pactam fidem paciscentibus mutuo esse servandam*: in Logicis, *Contradictoria non posse simul esse vera*. Unde recte asserit *Aquinas*, ‘Ita se habere præcepta legis naturalis in Homine ‘ quantum ad Operabilia, sicut se habent prima principia ‘ in Demonstrativis. v. 1<sup>a</sup> secunda. *Quest. 94. art. 2.* vel ut statim se explicat, ‘Præcepta Legis Naturæ hoc ‘ modo se habere ad rationem practicam, sicut principia ‘ prima demonstrationum habent se ad rationem speculativam. Discursus omnis præsupponit principia, Moralis Moralia. Scientia derivatur ab Axiomate, conscientia à Synteresi seu practico Axiomate. In morali materia procedimus à notiori ad ignotius, quemadmodum in Scientifica. Sistendum igitur in principiis est, quibus, cognito quid sibi velint termini, assensum præbeamus sine lucta, sine argumento, & Magistro: cujusmodi illa, *Innocentem non esse ledendum, prolem esse procurandam*.

Illud etiam pro Juris Naturalis existentia memorabile est *Alexandri Aphrodisiensis* argumentum. ‘ Si Sociales, ‘ inquis, & communicabiles naturâ sumus, impossibile est ‘ autem durare Societatem sine Justitia, necesse est Jus ‘ quoque natura esse. Sane nisi jus à natura esset, Universæ rationalium societati haud bene à Creatore opt. max. consultum

Tultum esset. Pergit Aphrodisiensis, ' Quod si, quoniam  
 ' apud alios aliud Jus est, propterea negent illum esse Na-  
 ' tura; certe id Natura dicent esse, quod apud omnes i-  
 ' dem est. Et si Jus scriptum, quoniam scriptum est, per  
 ' Constitutionem & non Natura esse dicent; certe necesse  
 ' erit, ut Natura non positione fateantur id, quod non in  
 ' scripto vim habet. Suntque ejusmodi pleraque, quæ  
 ' appellare solemus ex ipso affectu Leges non scriptas, quæ  
 ' communes omnibus hominibus sunt, nisi sint excæcati.  
 ' Revereri enim seniores, Colere Deum,  
 ' honorare atque observare parentes & præ-  
 ' stantiores Viros, sunt jura quædam non scripta &  
 ' communia, quæ Naturaliter apud universos homines re-  
 ' tinentur. De his enim neque paciscuntur secum, ne-  
 ' que Leges sanciant, sed retinent tanquam statutas &  
 ' confirmatas ab ipsa Natura. *Lib. 2. De Anima, cap. 42.*

Apud Christianos sane Legis Naturæ, Juris & Justitiæ,  
 Honestique apud omnes gentes universaliter Communis  
 existentiam sacra abunde confirmant Oracula. Quod Hon-  
 nesta quædam sint, communi hominum consensu genera-  
 liter approbata, ex Apostoli præcepto liquido constat; qui  
*ad Rom. 12. 17.* præcipit fortiter, ut illa prosequantur,  
 quæ sunt *coram omnibus hominibus Honesta*: quod si nullum  
 est communiter apud omnes homines Honestum, nec possit  
 Natura justo iniquum discernere, juberet Apostolus absur-  
 dum. Absurde enim præcipit, qui præcipit simpliciter  
 impossibile. Idem Apostolus *ad Rom. 1. Commate 32.*  
 videtur asserere Romanos, eâ tempestate, omni vitiorum  
 genere conspurcatissimos, quos scil. tradidit Deus in men-  
 tem improbam; injustitiâ, scortatione, & stupris, morum-  
 que perversitate, avaritiæque oppletos; invidia, cæde,  
 Jurgiis, dolo malo, nequitiaque repletos; fures, ma-  
 ledicos, Dei osores, contumeliosos, superbos, arrogantes,  
 malorum inventores, contumaces erga parentes, insocia-  
 biles, inhumanos, immisericordes, & hujusmodi vitiis  
 coopertos, Jus tamen omnes Dei cognoscere; *Eos scil.*  
*qui talia perpetrant, morte esse dignos.* Jus autem illud  
 divinum, de quo loquitur Apostolus, non aliud esse potuit,  
 quam illud, de quo jam disserimus, ex Lege Naturali con-  
 stitutum.

Q

ſtitutum. Sequenti deinde capitulo, ‘Gentes, *inquit*,  
 ‘quæ legem non habent, naturâ, quæ legis sunt, faciunt;  
 ‘ii legem non habentes, ipſi ſibi lex ſunt: [ſua cuique  
 ‘mens & innata ratio pro lege eſt] ut qui oſtendunt opus  
 ‘Legis ſcriptum in cordibus ſuis, id ipſum teſtimonio  
 ‘confirmante propriâ ſua cuique conſcientia, & cogita-  
 ‘tionibus ſe mutuo accuſantibus vel defendentibus; quod  
 aut ſtatim in hoc mundo fiet, aut ſaltem in ſupremo die,  
 cum Deus arcana hominum iudicabit, ut fert Evangelica  
 S. Pauli, aliorumque Chriſtianiæ religionis Interpretum,  
 doctrina. Pro Legis Naturæ exiſtentia hæc item eſt S. Chry-  
 ſoſt. argumentatio, ‘Οπ, *inquit*, κολάζει καὶ τὸν σὸς τῶ νόμου, καὶ  
 τὸν πάντα καὶ τὸ οὐκ ἐπιπέσει ὁ Θεὸς δὴλον’ quod Deus puniat eos  
 qui fuerunt ante legem, & eos qui peccant per univerſum orbem  
 terræ, manifeſtum eſt. ‘Revelatur enim ira Dei de cælo  
 ‘ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, quæ  
 ‘veritatem in iniuſtitia detinent. Id faciunt omnes quæ  
 Notitias practicas captivas tenent; & dum Juſtitie norunt  
 Regulas, iniuſte vivunt. ‘Vindicabitur, *inquit*, ſanguis  
 ‘à tempore Abel juſti ad ſanguinem Zacharie. Regina  
 Auſtri, Viri Ninivite, incolæ Sodomorum & Gomorrhæ,  
 extremo iudicio, ut narrat Scriptura, comparebunt iudi-  
 candi. ‘Απαντες, *inquit*, ὅσοι γάρβασαν ἄνθρωποι, καὶ σὸς  
 τῶ νόμου δὴλων διδάσαι πᾶς ἕν τῶτο ἔσαι, οἵπερ ἐκ ἡδαιεῖ τὸ  
 σκακτίον; Omnes quotquot extiterunt homines dant peccato-  
 rum pœnas. Quomodo autem hoc fiet, ſi quid agendum eſſet  
 nesciebant? Deinde pergit oſtendere prærogativam tamen  
 eſſe Judæorum, quod illi inſuper habuerint legem Scri-  
 ptam, & Moſen legiſtorem, & miracula montis Sinai;  
 cæteri οὐσικὸν ἔχον ἔνδθεν νόμον ἐν γῆντά, π μὲν καλόν, π  
 δ’ ἰ τοῦτον. Naturalem habuerint incuiſiſſimam legem,  
 quid ſit honeſtum, quid non ſit: quam poſtmodum appellat,  
 Tribunal incorruptum, calculum, ſuffragium, legem conſci-  
 entia. v. Expoſit. Pſal. 147. pag. 617, 618. Frontoduc. edit.  
 In locum ad Rom. 2. ſic commentatus eſt Dominicus Ban-  
 nes, Doctiſſ. Theologus ex Pontificiorum Schola. ‘Eſt,  
 ‘*inquit*, locus neceſſario explicandus de Illuminatione na-  
 ‘turali. Gentes quæ legem non habent Naturaliter, qua legis,  
 ‘ſunt, faciunt. Hoc eſt, non habentes legem Decalogi ſcri-  
 ‘ptam, ſicut habebant Judæi; Naturaliter, hoc eſt, ex  
 ‘Naturali

' Naturali instinctu & Illuminatione naturali Dei, non ex  
 ' illuminatione gratiæ, qua leges sunt faciunt; non dicit  
 ' omnia, sed quædam, &c. Deinde ad ulterius confir-  
 ' mandam Legis Naturæ existentiam, ' Certum, inquit, est  
 ' ante legem scriptam fuisse peccatum. Cain enim pecca-  
 ' vit occidendo fratrem suum: & ante diluvium dicitur,  
 ' quod multa erat malitia hominum super terram: ergo erat  
 ' Lex Naturalis: quia ubi non est Lex, nec prævaricatio  
 ' est. Ita Bannes, de Just. & Jure. Quest. 57. Art. 2. Cui  
 ' subtexam clarissimi nostri Sandersoni Lincolnienfis, ad con-  
 ' firmendam Legis Naturæ existentiam, ab absurdo contra-  
 ' rio ductum argumentum. ' Si, inquit, præter Scripturas  
 ' nulla esset conscientiæ Regula, eo essent feliciores bar-  
 ' barissimi quique populi, quanto ab Evangelii voce remo-  
 ' tiores: utpote quibus nulla possit imputari peccati culpa.  
 ' Ubi enim non est lex, nec transgressio esse potest. Rom. 4. 15.  
 ' cum sit peccatum nihil aliud quam legis transgressio: Ἡ  
 ' ἁμαρτία ἢ ἄνομία. 1 Job. 3. 4. Sanderson. de Oblig.  
 ' Consc. præl. 4.

Non est cur his plura ex Theologia accumularem: cum  
 in confesso sit hanc de Existentiâ Legis Naturæ conclusio-  
 nem ad stipulantes sibi habere omnis à nato Christo ætatis  
 Ecclesiæ Doctores. Justinum scilicet Martyrem: 2. pro Chris-  
 tianis Apologia. Clementem Alexandrinum: Lib. de Lege.  
 Originem. in cap. 2. ad Rom. lib. 2. Chrysostomum. Hom.  
 12. ad Pop. Antiochenum. & Hom. 5. in 2. cap. ad Rom.  
 Augustinum. lib. de Spiritu & litera. cap. 20. Ambros.  
 in Psal: 104. Hieronymum. in Epist. ad Galatas. c. 3. &  
 Epist. 151. Alagaz. q. 8. Idem etiam sine ulla exceptio-  
 ne omnes ex omni sectâ juniores affirmant Theologi. A-  
 lensis. parte 3. q. 26. Art. 4. Suarezius: de Legib. lib. 1.  
 c. 3. num. 9. Item eodem libro, cap. 9. Aquinas: 1. 2æ.  
 q. 19. Art. 2. ibid. q. 94. Art. 3. Scotus. in Sent. dist.  
 37. quæst. unica. Molina: Tract. 1. de Just. & Jure.  
 Disput. 3. Theologi omnes reformati, præsertim Com-  
 mentatores in Rom. 2. 14. Bucerus, Bullingerus, Calvinus,  
 Melancthon.

Sed cum nulla sit firmior Argumentationis species, quam  
 quæ fit per singularium inductionem; De Legum Naturæ  
 existentia tum nullus omnino relinquatur dubitandi locus,

cum infra, in Capp. de Innocentia, Fide, Gratiſtudine, *ſοφιας, &c.* probaſſero iſtiusmodi diſtinctas extare leges, quibus ad Virtutes ibidem explicatas, ſi mentem ſuam ſeuerius excuſſerit, ex propria conſcientiâ unusquiſque obligatum ſe perſentiſcit.

## Num. 2. Generalis Legis Naturæ, ex cauſis effectiſque, deſcriptio.

Expoſito ſupra quod ſit Lex aliqua Naturalis, proximum eſt, ut, quid ſit illa, jam diſpiciamus. Quod, etiamſi non diſtincte intelligatur niſi ex ſpeciali ſingularium Naturæ Legum inſpectione, generaliter tamen aliquo modo à cauſa efficiente, ſubjecto, & finibus, deſcribi poteſt ſolique. Et ſane Legum huiusmodi Naturam, cauſasque, tam finalem, quam efficientem, reſuſſime jam olim obſervavit *Archylas* ille Tarentinus, qui hæſce Naturæ Leges aduerſus improbos mores inſtitutas, *Θεῶν ἀρχαίους νόμους*, eſſe dixit, *πονηρῶν μοιερῶν ἔξ ἑπιβλαῶν τῶν μὴ πειθομένης διδόντας, παρὰ τὰς τῶν ἀγαθῶν ἢ κακοποιῶν νόμων*, id eſt, *Deorum non ſcriptas Leges, malam ſortem damnantq̄ non obedientibus inferentes Scriptarum Legum parentes eſſe, & imperatrices ſeu magiſtraſ.* Quæ omnia ex veteri Philoſophia doctiſſimus inter *J. Ctos* obſervavit *Hopperus Friſius*. Leges ſcil. Naturæ, *Juſti & Injuſti prima principia eſſe; ſeminaq̄, animis noſtris inſita, à Deo orta, & in Natura collocata; unde quiſquid toto orbo juris eſt & legum enaſciſur.* ‘Veluti, inquit, ex ſeminibus herbæ, ita ex primis iſtis igniculis Jura, Legesque apud omnes ubique Nationes & populos naſcuntur; à quibus cum receditur, & ad hominum falſas Opiniones, & errores, eorumque Ambitionem, Libidinem, Avaritiam, aliasque animi turpificati Leges accommodantur, non jam veræ Leges ſunt, ſed falſæ & Tyrannicæ. *Cicero. l. de Legib. ex ſua & communi doctõrum ſui temporis ſententia, Legem Naturæ fontem ſtirpemq̄, ceteri juris, ejuſdemque Juris dictamina principia Juris ſtatuit. Inter quos ratio eſt, inter eodem reſtam rationem eſſe communem, eandemque Legem Natura eſſe aſſerit.* ‘Lex eſt, inquit, ratio ſumma inſita  
in

in Natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio, cum est in hominis mente confirmata & confecta, Lex est. &c. *ibidem*.

*Grotius, de Jure belli, lib. 1. c. 1.* Jus Naturæ definit Dicitur rectæ rationis, indicans actui alicui, ex ejus convenientiâ aut disconvenientiâ cum Natura rationali, inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem.

Inter Theologos reformatos *Calvinus, Lex Naturæ non male, inquit, definitur, Conscientia agnitio inter Justum & Injustum sufficienter discernentis, ad tollendum hominibus Ignorantia prætextum.* Instit. lib. 2. cap. 2. num. 22. *Lex Naturæ, inquit Zanchius, est lumen dictamenq; illud rationis, quo inter Bonum & malum discernimus. Vel Lex Naturæ est sententia communis, cui omnes homines pariter assentimur, atq; adeo quam Deus insculpsit cujusq; animo ad formandos mores accommodatissima.*

Legis Naturæ effectus describuntur hujusmodi, Homines admonere quid faciant, vel omittant; Damnare, vel Absolvere; generatim quid bonum, quid malum; quid æquum, quid iniquum; quid honestum, quid turpe; eoque quid persequendum & vitandum sit, universaliter omnes docere.

Cum autem Lex Naturæ dicatur *sententia communis, cui omnes assentimur; Et commune hominum de præcæcis judicium;* vel *Jus illud quod toto terrarum orbe obtinet,* quod non aliud Romæ est, aliud Athenis, sed apud omnes peræque Gentes unum idemque Jus; nemo unquam illud voluit ad homines privatos spectare commune hominum ubique degentium judicium indagare; quod vix assequuntur vel litteratorum doctissimi. Hoc solummodo volunt, conscientiam propriam ratione bene instructam atque exercitatam, unicuique Naturæ suæ Leges satis aperte indicare. Neque etiam periculosa metuendæ sunt consequentiæ, si etiam idiotæ, indoctique homines conscientias suas serio consulant, & deinde consultis mature obsequantur. Non enim nisi in corruptis fallat illud *Pythagoreum,*

— Διον Νῦν ἔστι βροτῶν,  
οἷς ἰσὰ ἀπορίων οὐκ ἔστιν ἔκστα.

Num.



**Num. 3. Quod Ethnici Dictamina humane  
Rationis se sequi oportere fateantur, tan-  
quam veram Naturæ Legem, & obliga-  
toriam vivendi Regulam, Philosopho-  
rum Gentilium Testimonia.**

Ethnici sane nullam hujusmodi, qualem sibi fingunt moderni Novatores, immunitatem naturalem ab omni lege sibi asserbant. Quin potius jura sibi à Natura rectaque Ratione constituta libere fatebantur; quam Naturam, Rationemque Deo Opt. Max. *Σύμψηρον*, imo aliquando *Ἐσσηρον Θεόν*, mire prædicabant. Testium autem Legum Naturæ sensum sibi inesse affirmantium agmen ducat summus in moralibus quæstionibus *Cicero*. Insignis autem *Ciceronis* locus est, quique innati luminis vim luculentissime explicat, quem ex amissis & jam diu desideratis *de Repub.* libris nobis tradidit *Lactantius. Lib. 6. Inst.* ‘Est quidem  
‘vera Lex recta Ratio, Naturæ congruens, diffusa in  
‘omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad Officium  
‘jubendo, vetando, & à fraude deterreat. Huic legi nec  
‘abrogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque  
‘tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut  
‘per Populum solvi hac lege possumus. Nec est quæ-  
‘rendus explanator, aut interpret ejus alius. Nec erit alia  
‘lex *Rome*, alia *Athenis*; alia nunc, alia posthac; sed &  
‘omnes Gentes, & omni tempore una lex, & sempiter-  
‘na, & immortalis, continebit. Unusque erit commu-  
‘nis quasi Magister, & Imperator omnium Deus; ille le-  
‘gis hujus Inventor, Disceptor, Lator; cui qui non pa-  
‘rebit, ipse se fugiet, ac Naturam hominis aspernabitur;  
‘atque hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera sup-  
‘plicia, quæ putantur, effugerit. Quibus non absimilia  
habentur, & in *Libris de Legibus*.

‘Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, Legem  
‘neque hominum ingeniis excogitaram, neque scitum ali-  
‘quod esse populorum, sed æternum quiddam, quod uni-  
‘versum mundum regeret, imperandi prohibendique sa-  
‘pientia,

‘ pientia. Nec si regnante *Tarquinio* nulla erat *Roma* scri-  
 ‘ pta lex de Stupris, idcirco non contra illam legem sem-  
 ‘ piternam *Sextus Tarquinus* vim *Lucretia Tricipitini* fi-  
 ‘ liaz attulit. Erat enim Ratio profecta à Rerum Natura,  
 ‘ & ad recte faciendum impellens, & à delicto avocans :  
 ‘ quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est ;  
 ‘ sed tum, cum orta est. *Cic. lib. 2. de Legib. in prin-*  
*cipio.*

Communem vocat *Aristoteles* Legem eam, quæ est se-  
 ‘ cundam Naturam. ‘ Est enim, *inquit*, aliquid, quod ta-  
 ‘ cito consensu augurantur omnes, naturâ commune Ju-  
 ‘ stum & Injustum, etiamsi nulla societas inter illos inter-  
 ‘ cesserit, nullaque pactio. Ubi etiam *Sophocleum* illud citat,

‘ Οὐ γὰρ πῦν τε καὶ χθὲς, ἀλλ’ ἀπὸ ποτὸς  
 Ζῆ τῦτο, καὶ ἑσθὲς ὁδὸν εἴξῃ ὅτε φάσθαι.

*Non enim nunc, & heri. sed semper olim  
 Vixit hoc jus ; nec quisquam noverit ex quo extiterit.*

*Aristoteles. Rhet. lib. 1. c. 14. in principio.*

Πᾶς ἄνθρωπος, *inquit Andronicus Rhodius*, τοῖς τε ὀρε-  
 ‘ δῶς καὶ ὑμῶς ἔχουσιν, ἔστι δικαίον ἀκίνητον ὃ φυσικὸν λέγεται.  
 ‘ εἰ δὲ τοῖς νοσοῦσι τὰς φρένας καὶ διασπαρμένοις ἢ δοκοῖ δικαίον,  
 ‘ ἰδὲν διαφέρει, ἢ δὲ γὰρ ὃ λέγων τὸ μᾶλλον γλυκὺ εἶναι ἴδιόν τι,  
 ‘ διὰ τοῖς νοσοῦσιν ἢ τοῖσιν δοκοῖ. *Apud homines rectâ sa-*  
*naq̄ mente præditos, est jus aliquod immutabile, quod Na-*  
*tura dicitur. Quod si his, qui morbidò distortoq̄ sunt ani-*  
*mo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet ; nec mentitur,*  
*qui mel dulce esse dicit, ideo quod agrotis aliter videatur.*

*Seneca* de sua & communi Stoicorum sententia, *cap. 3. de vita beata*, sic edisserit. ‘ Non alligo me ad unum ali-  
 ‘ quem ex Stoicis proceribus ; est & mihi censendi jus.  
 ‘ &c. Interim, quod inter omnes Stoicos convenit, rerum  
 ‘ Naturæ assentior, ab illa non deerrare, & ad illius le-  
 ‘ gem exemplumque formari, sapientia est. Omnes à *Ze-*  
*none* ad nos usque Stoici communiter præcipiunt, ut Na-  
 ‘ turam sequamur Ducem, ad ejusque legem nos compo-  
 ‘ namus. Ἄλογον ὁρῶ φησὶν εἶναι καὶ θεῶν, ταυτὸν ἔστι. τὸ γὰρ  
 ‘ λόγικον γίνεσθαι ἐπιμορῆσαν τὴν οἰκίαν ἐλλείψεως ταῦτα βέλτε-  
 ‘ ραι,

ται, ἀ ἰ Θεῷ οὐκ ἐπινοεῖται νόμος, καὶ γίνεται σύμφωνα Θεῷ, καὶ κατὰ Θεὸν διακομίζεται ψυχή. *Idem plane est rationi parere acq̄, Deo. Natura enim, qua rationis est particeps, eius splendorem suum suamque lucem sortita est, ea ipsa amplectitur, qua divina Lex statuit, nec discrepat à Dei sententiâ Animus, qui secundum Deum est dispositus. Sic Hierocles in vere aureum illud Pythagora. vers. 9.*

— Θεῶν γένος ἐστὶ βροτῶσιν,  
Οἷς ἐπέθ' ἀεφύρεται φύσιν δόκουν ἐξέσθαι.

Quibus & consentaneum *Philonis Judæi* addendū censui suffragium. Νόμος, inquit, ἀψάδης ὁ ἐξ ὁδὸς λόγος, ἐκ τοῦ τοῦ δῶντος, ἢ τοῦ δῶντος θνητῷ φανερὸς ἐν καρπείοις τῆ σήλας, ἀψυχὸς ἀψύχους· ἀλλ' ἐπὶ ἀθανάτου φύσεως ἀφανερὸς, ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθεὶς. *Lex mentiri nescia est recta ratio, qua non ab hoc aut illo mortali mortalis: non in chartis aut columnis exanimis exanima; sed corrumpi nescia: quippe ab immortalis Naturâ insculpta in immortalis intellectu. Ita Philo, in libro, Omnem virum bonum esse liberum.*

Rectam Rationem, judicem & reatricem humanarum actionum à Deo deputatam, ideo Θεὸν ἕνοικον, *Deum domestium*, dicebant antiquitus Philosophi; sicut & inter Hebræos Magistratus & Judices dicebant Ⲓⲏⲏⲏⲏ *Deos*, quod summi Dei Vices gerere videbantur. Egregium illud *Platonis* in *Timæo*, Τὸ δὲ τῆ δὴ πάλαι σὺ κλειστότατον παρ' ἡμῶν ψυχῆς ἡδύς διαροῦσθαι δὲ τῆ δὲ, ὡς ἀρα αὐτὸ δάίμονα Θεὸς ἐκείνου δίδωκε σῦντο· ὃ δὲ φαιδρὸν οἰκοῖν· ἀπὸ ἡμῶν ἐπ' ἀκρῶ τοῦ σώματος, πρὸς τῆ τλήν ἐν ἕρασσιν σὺ γένεσθαι καὶ γῆς ἡμᾶς αἰρεῖν, ὡς ὄντως φυτόν ἐκ ἕργου, ἀλλ' ἕρᾶσιον· Cui non dissimile est illud *Antonini. lib. 3. cap. ult.* Ubi viro bono & sapienti hoc maxime proprium asserit, Τὸν ἕνδον ἐν τῷ στήθει ἰδρυμένων δάιμονα μὴ φύσει, μηδὲ δορυθεῖν ὄχλῳ φαντασιῶν, ἀλλ' ἱλεων διατηρεῖν, κοσμίως ἐπόμνον ὡς Θεῷ, μῦτε φεγγόμερον πὶ πικρὰ τὰ ἀληθῆ, μῦτε ἐνεργῶντα πικρὰ τὰ δίκαια. *Deum illum sive demona intra se, in pectore situm nec polluere, nec multitudine phantasmatum perturbare; sed placatum servare, eoque tanquam Deo decenter obsequi, nihil à veritate alienum proloquendo, nihil à justitia ratione devium exequendo. Libro autem quinto. §. 27. Deum sum-*  
mum

num affirmat unicuique dedisse, Δαίμονα ἑαυτῷ, ἢ ἡσε-  
 λῶνα, καὶ πνεῦμα ἁγίον. Spiritum aliquem Genium sive Da-  
 mona sibi presidentem & gubernatorem; divinam scil. à di-  
 vinitate sua avulsam particulam. Ne autem, quis sit ille  
 ἑνοικῶ & animo intimus Deus, dubitetur, addit statim,  
 ἕτερον δὲ ἔστιν ὁ ἐκείνου νῦν ἢ ἄλλο. Est ille, inquit, unius-  
 cuiusq; mens & ratio. Cum etiam D. Paulus, 1 Theß. 5.  
 23. in tres partes hominem dividat, scil. τὸ πνεῦμα, τὸ  
 ψυχλόν, ἢ τὸ σῶμα, Spiritum, Animam, & Corpus, (nec  
 potest hic divinum Spiritum, tertiam in sacrosancta Trini-  
 tate Personam, intelligi sapiens quispiam asseruerit) τὸ  
 mentis ἡσεμονικόν, rectam sive reatricem Rationem, vel  
 mentem rationalem, animæ sensitivæ & brutali oppositam,  
 nomine Spiritus significari volunt: eodem plane sensu quo  
 veteres Philosophi rectam & supremam in homine Ratio-  
 nem, sive Animum rationalem appetitus sensitivi guber-  
 natricem, Deum, Dæmon, Spiritum, Geniumque di-  
 cebant. ‘Incredibile, inquit Didymus, & blasphemum  
 est orare Apostolum, ut Spiritus Sanctus integer serve-  
 tur, qui nec immutationem recipere potest, nec profe-  
 ctum. Didym. in Opere de Spir. S. Origines item, li. 1. in Epist.  
 ad Rom. ‘Triplex, inquit, hominis portio est: Corpus  
 seu Caro, infima nostri pars, cui per genitalem culpam  
 legem inscripsit peccati serpens ille veterator; quaque  
 ad turpia provocamur, ac victi Diabolo nestimur. Spi-  
 ritus, quo Divinæ Naturæ similitudinem exprimimus;  
 in qua conditor optimus de suæ mentis archetypo æter-  
 nam illam honesti legem insculpsit digito, hoc est, Spi-  
 ritu, suo. Hoc Deo conglomeramur, unumquæ cum Deo  
 reddimur. Porro tertia, & inter ea media, Anima,  
 quæ velut in factiosa repub: non potest, non alterutri par-  
 tium accedere, hinc atque hinc sollicitatur, liberum ha-  
 bet utri velit inclinare. Si Carni renuntians ad Spiritus  
 partes sese induxerit, fiet & ipsa Spiritalis: Sin ad car-  
 nis cupiditates semet abjecerit, degenerabit & ipsa ad  
 Corpus. Ita Origines. In finitum esset omnes huiusmodi  
 autoritates, tam Philosophorum, quam antiquorum in  
 Christiana religione patrum, jam recensitis accumulare,  
 qui fere Legem Naturæ, à perfectissima mentis humanæ  
 ratione, appetitus sensitivi gubernatrice profectam, legem

communem & incommutabilem Dei nominarunt ; eosque tam Philosophi, quam Theologi renuntiant qui hanc oppugnant ex affectu contumaci, & transgrediuntur Naturæ Legem, cum summa ratione, cum natura ipsa, & cum Deo O. M. naturæ autore, pugnare : quod quisquis fecerit, is difficillimum & periculosa plenum alex videretur sibi bellum conflagasse.

**Num. 4. De Thomæ Hobbii, Anonymi Theologopolitici, Samuelis Puffendorffii, Joannis Seldeni, aliorumque sententis circa Legis Naturæ existentiam; & ad eorundem objectiones brevis Responsio.**

De Lege Naturæ sic Philosophi veteres, *Lex est ratio insita in Natura, quæ jubet ea, quæ faciendæ sunt, prohibetq; contraria.* Naturalem Prudentiam etiam *Legem* dicunt, *cujus ea sit vis, ut recta facere jubeat, & eiet delinquere.* Sic Cicero, *de Leg. 1.* Idem *Tusc. 1.* *consensiozem omnium Gentium Legem Natura* putandam asserit. Nos veteribus assentimur, illudque fatemur dici posse *Legem*, quo ad actum aliquem eliciendum exercendumve sumus obligati : promulgatam satis legem quæ possuimus cognoscere nos obligatos. Anticipationes Præcticas, quæ sunt Naturalis conscientia dictamina, unumquemque *Obligare*, & proinde *Leges* dici posse, supra exposuimus.

*Hobbins* contra, *Leviathan. p. 1. c. 17.* *nullas esse leges asserit nisi conditas ; condi autem legem posse negat, donec de Legislatore aliquo deputando prius conventum fuerit.*

Atque *ibidem, part. 2. cap. 26.* asserit, ‘ *Leges Naturæ, quæ in æquitate, justitia, gratitudine consistunt, & cæteris morum virtutibus quæ ab iis dependent, non proprie Leges esse ; sed Qualitates solummodo ad Pacem, & Obedientiam disponentes : cumque jam res publica est instituta actualiter, tum primum incipiunt (juxta ipsius dogma) esse Leges, quæ prius non erant.*

‘ *Obli-*

‘ Obligantur enim ad earum observationem non aliunde,  
 ‘ quam ab ejus placito, cui summa rerum potestas est de-  
 ‘ lata: & proinde quæ Leges Naturæ dicuntur, Civiles  
 ‘ etiam Leges sunt. His multa habent consentanea *Ano-*  
*nymus Theologopoliticus*, & *Puffendorfius*, aliique Novi-  
 tii. Adeo ut opus sit modo hujusmodi Opinionum ratio-  
 nes & fundamenta discutere.

Objicit imprimis ex *Hobbio*, Cl. *Puffendorfius*, impossi-  
 bile esse contra Legem Naturæ peccare, si per peccare con-  
 tra Legem Naturæ, contra consensum totius humani generis  
 peccare, intelligatur. v. *Hobbius*, de *Cive.c.* 12. *Sam. Puf-*  
*fendorf. lib. 2. de Jure Natura, cap. 3. §. 7.* Videntur  
 autem mihi, qui communi sententiæ hanc objectionem  
 opponunt Autores, Homonymia vocabuli *Consensus* falla-  
 citer velle ludere. Per *consensum* enim Philosophi, qui  
 isthoc utuntur vocabulo, *consentiens morale iudicium* intel-  
 ligunt, quod ad intellectum practicum proprie spectat,  
 abstrahendo à consideratione concursus affectuum & vo-  
 luntatis. De tali Consensu seu consentienti iudicio mo-  
 rali loquitur Apostolus *ad Rom. 1. 5. ult.* ubi postquam  
 imam *Romuli* facem flagitiis omnibus inquinatissimam de-  
 scripsisset, eos tamen asserit *Jus Dei agnoscere quod qui*  
*talia perpetrant morte sint dignissimi.* Pessimi mortalium  
 conscientias habent Justii & Injustii indices.

Trita est & communiter adprobata illa *Medea* querela :

— *Video meliora proboq̃, Deteriora sequor.*

Rectius *Melancthon* in illa *D. Pauli*, *veritatem in Injusti-*  
*tia detinent.* ‘ *Et si, inquit, impressa est hominibus vera*  
 ‘ *notitia, quod sit Deus, una quædam æterna mens, con-*  
 ‘ *ditrix & conservatrix rerum, sapiens, bona, justa, &c.*  
 ‘ *& quod huic Deo obediendum sit juxta discrimen hone-*  
 ‘ *storum & turpium: tamen hæ veræ notitiæ detinentur*  
 ‘ *in injustitia, id est, captivæ tenentur, non regnant, sed*  
 ‘ *regnat injustitia pugnans cum his notitiis, scilicet averfio*  
 ‘ *voluntatis à Deo, contemptus Dei, fiducia propriarum vi-*  
 ‘ *rium: denique varii impetus pugnantes cum lumine*  
 ‘ *divinitus infuso mentibus: Ideo & assensus infirmior*  
 ‘ *est, ac*

*Fortur equis auriga, nec audit currus habenas.*

‘ Ideo Philosophi, cum viderent infirmam assensionem esse, & rapi homines magno impetu ad diversas voluntates, quæ fuerunt, Utrum Justa & Injusta, naturæ vel opinionione discernantur? Qua de re dubitare turpe & flagitiosum est; perinde ac si quis quærat, An naturæ vel casu bis quatuor sint octo? Lumen Divinum in mentibus non extinguendum est, sed potius excitandum, & confirmandus animus, ut agnoscat principia prædica, eaque amplectatur; & statuat revera tam certa & firma esse, quam sunt speculabilia; imo pariter esse decreta immutabilia Dei. Sic *Melancthon. De Lege Naturæ.*

Neque probanda magis est secunda illa contra Leges Naturæ Cl. *Seldeni, Hobbi, Hobbioq;* consentientis *Puffendorffii* Objectione. *Leges Naturæ ab eorum consensu non esse recipiendas, qui eas violant potius, quam observant.* Si enim ii consententur se has Naturæ Leges observare debere, qui non observant, perinde est atque si omnes universim faterentur. Ita *Aristoteles* laudabile illud esse asserit, ὅ δὲ φαῦλοι ἐπαινεῦσι ἅπαντες ὃ πάντες ὁμολογῶσιν, εἰ δὲ κακῶς πικρονδότες διαὶ ὃ τὸ φανερόν ὁμολογῶσιν ἄν. *Quod improbi homines laudant, illud sane est laudabile. Perinde enim est, quasi jam omnes confiteantur, si male affecti illud probent. Ob manifestam enim veritatis evidentiam confiteantur necesse est.* Rhet. lib. 1. cap. 6.

Cum autem inter ipsos *Hobbi* sectatores non satis constet, quæ sit vera hoc in argumento Magistri sententia; ex ipsius scriptis quid ipsum sentire verisimile sit, quam potero brevissime, explicatum dabo.

Hominem, ut mihi videtur, vult *Hobbius* non ad aliud obligari, quam ad sui ipsius conservationem quoquo modo promovendam; sui conservatione suadente contrarium (nec, ut veteres (v. *Cic. de fin. 5.*) conscientie integritatem ad sui conservationem spectare vult) nullas esse ad Innocentiam, Gratitude, Fidem, Obligationes. Ad prius memoratas nullam eum statuisse Obligationem superius allegata probant; ubi *Leges* hujusmodi *Naturæ de Justitia & Gratitude, qualitates solummodo definiuntur, ad obedientiam & pacem disponentes, ad quas non nisi ex præcepto principis nasci obligationem voluit.* Quibus addi possunt,

possunt, quæ habet *Leviath. part. 2. c. 13. ad finem.* ‘Hæc rationis dictamina (*de Justitia, Gratitude, & ceteris loquitur*) ex usu hominum Leges vocantur, improprie vero: cum solum Theoremata & Conclusiones sint de eo, quod ad propriam conservationem & tutelam aliquid confert.

Dubitarunt autem nonnulli, an eadem de Fide affirmaverit. Libris enim suis pluscula videtur pro Fidei obligatione asserendâ passim interpolasse. Qualia sunt illa *cap. 3. de Cive.* ‘Frustra esse pacta, nisi illis staretur. Et qui paciscitur, eo quod paciscitur, frustraneam eam esse actionem negat. Et contra rationem est, scientem facere frustra. & §. 3. Quemadmodum, *inquit*, is, qui argumentis cogitur ad negationem assertionis, quam prius sustinuerat, dicitur redigi ad absurdum: eodem modo is, qui præ animi impotentiâ facit, vel omittit id, quod se non facturum, vel non omitturum pacto suo ante promiserat, injuriam facit: nec minus in contradictionem incidit, quam qui in scholis reducitur ad absurdum. Nam futuram actionem paciscendo vult fieri: non faciendo, vult non fieri: quod est velle fieri, & non fieri idem, eodem tempore: quæ contradictio est. Ex hujusmodi argumentis non defuerunt, qui sibi persuadebant, vel secundum *Hobbii* dictata primitivam aliquam esse, saltem ex pactis, Obligationem. Quod vero secus senserit clarum est. *Lev. par. 2. c. 18.* ubi ‘facilem hanc veritatem vocat, pacta, cum verba tantum seu spiritus sint, nullam vim habere, quâ obligent, contineant, obstringant, aut protegant quæmpiam, præter eam solam quam à publico nacta sunt gladio, id est, à manibus liberis hominum, aut hominis apud quem summa rerum est potestas. Et *p. 2. c. 14.* Signa in contractibus sunt verba aut acta; vel, ut plerumque evenit, utraque; atque hæc sunt (*ut inquit*) vincula quibus solent homines obligari, & obstringi: vincula, quæ nihil habent à natura sua roboris (nihil enim frangi facilius potest, quam promissum) sed abs timore mali alicujus fidei violationi consecuturi. Quor igitur poni possunt casus in quibus à fide violatâ nullum formidari potest majus malum, quam quod stante fide metumus, tot in casibus abistere promissis jus secundum *Hobbium,*



*Hobbius*, & fas finit : veluti, si qui hominum capitale aliquod admiserint facinus, unde à Rege de vita metuunt, possunt exinde Regi datam fidelitatem juste exuere : imo, ut inquit *Hobbius*, *Leviath. p. 2. c. 21.* ‘ Jus habent & libertatem combinationes faciendi, & sibi invicem succurrendi, & mutuam opem ferendi ; neque hostilitas, cum ad defensionem personarum sit suscepta, omnino est injusta. Et *de Crue. c. 2. num. 11.* Pacta mutuz fidei frustra esse asserit in statu Naturæ, & invalida.

Sed omnes hujus tempestatís Politicos Novatores impietate doctrinæ superare mihi videtur *Anonymus Theologopoliticus*, adeoque in hoc ipso argumento, de nullitate Obligationis ex Fide data, *Hobbius* ipsum excedere. *Tractatus sui, cap. 16.* ‘ Nemo, inquit, contrahit nec pactis stare tenetur, nisi spe alicujus boni, aut sollicitudine alicujus mali : quod fundamentum si tollatur, pactum ex sese tollitur. Hæc mera pravi dogmatis ostentatio est, Audaci nos imprimis propositioni universaliter negativæ, oppositâ negatione universali ex *Ciceronis* scriptis excerpta (de naturali fidei Obligatione) contradicere non dubitabimus. ‘ Nemo est, (inquit *Cicero, de Finib. 5.*) qui non hanc animi affectionem probet atque laudet, qua non modo Utilitas nulla queritur, sed contra Utilitatem etiam conservatur fides. Oppositione dogmatis novi veterum sententiis visâ, ad argumenta Novatoris supra memoratæ propositioni defendendæ prolata jam descendamus. ‘ Hoc, inquit, Experientia satis, superque docet. Nam quamvis diversa Imperia inter se contrahant se invicem non lædere, conantur tamen quantum possunt impedire, quominus alterutrum potentius evadat ; nec fidem dictis habent, nisi utriusque ad contrahendum finem, & Utilitatem satis perspectam habuerint ; alias Dolum timent, nec injuria. Inde quod fœderati conantur impedire, ne ii, quibuscum fœdus initum est, potentiores evadant, imperite (ut mihi videtur) Autor arguit, Neminem pactis stare teneri, nisi spe alicujus Boni, aut sollicitudine alicujus mali. Illud enim sæpius conantur (honestis quidem rationibus) sapientes rerump. moderatores & Principes ; non tamen ex prava illa opinione, quam ostentat Autor, Nullam scilicet esse fidei datæ, præcisâ Utilitate, Obligationem :

*gationem*: si enim sic sentirent, frustra Fidem imprimis darent) sed ut autor ipse innuit, quod Dolum timent, id est, inhonestam obligationis factæ & Juris Naturæ Violationem: quod scilicet metuant ne mali sint, & perfidi evadant aliquando fœderis socii, qui tamen mali aut perfidi esse non debebant. In hac enim mundi fœce propter hominum nequitiam & improbitatem nulla sane nimia videri possit Cautio, quæ Moribus honestis non repugnat, manente nihilominus inter omnes ex fide datâ obligatione, atque inter bonos & sapientes Obligationis conscientia.

Secundum argumentum, Ignorantiæ suæ aut pravæ mentis testem luculentissimum, annectit. ‘Si, inquit, ad Pietatem & Religionem attendamus, videbimus neminem, qui Imperium tenet, absque scelere promissis stare posse cum damno sui Imperii. Quicquid enim promissit, quod in damnum sui Imperii cadere videtur, præstare non potest, nisi fidem subditis datam solvendo, quæ tamen maxime tenetur, &c.

Neque enim verum est, principem absque scelere promissis stare non posse, cum damno sui imperii: si enim apud principem fœdera contrahendi jus sit, pactæ fidei stare tenetur, sive profit Reipublicæ, sive damno Reipub. cedat. Nec habent quod querantur subditi, cum jus suum paciscendi de publico in Principem transtulerint. Adhibere quam potest maximam diligentiam debet princeps, ut fœdera & conventiones, quas fecerit, Regno bene cedant: sin secus ex incerto rerum humanarum casu accidat, non inde nullius obligationis sunt censenda: Frustra alias omnino essent fœdera; frustra Legationum contrahendis fœderibus expensæ & negotia; stulta à mundo condito de contractuum initorum obligatione credulitas. Addit Autor, ‘Hostis est, quicumque extra Civitatem ita vivit, ut neque ut confœderatus, neque ut subditus, imperium Civitatis agnoscat. Hostem enim Imperii non odium, sed Jus facit. Et Jus Civitatis in eum, qui ejus Imperium nullo contrahendi jure agnoscit, idem est, ac in eum, qui damnum intulit. Quippe quâcunque ratione poterit, eundem vel ad deditionem, vel ad confœderationem, jure potest cogere. Quod hostis sit, quicumque

extra

extra Civitatem vivit, neque ut confœderatus, neque ut subditus, Error est ex primo illo errore profluens, *statum Naturæ esse statum Belli, non Pacis*; cum revera sit status Pacis, non Belli. Ex eodem profuit & illud, Jus Civitatis in non confœderatum idem esse, atque in illum, qui damnum intulit. Neque enim innocens alienigena, perinde ac qui noxam intulit, merito puniendus. Si autem pactæ fidei (ut vult Autor) nulla sit, præcisâ utilitate, obligatio; cur potior sit præcisâ utilitate fœderati innocentis conditio, quam adhuc soluti à fœdere, non video; nec alius puto (*Argo ipso oculatior*) discernere, aut ut ipse poterit, ex propria sua Hypothesi, explicare.

Et sane in plurimis hujusmodi casibus abunde apparet, vulgaria Officiorum Phænomena ex Hypothesi *Hobbiana* non posse resolvi. Dum enim nihil Honestum ducunt, quod ex alio Principio, quam Utilitate, sive sui defensione, derivetur; necesse habent hæc, & alia hujusmodi, in moribus monstra sub larva Honestatis atque Officii introducere. Si vero *Hobbiani* in novis, quas fingunt, Ethicæ Politicæque Regulis, eadem plane nobiscum, & cum veteri Philosophia justa observarent, sed diverso principio; illi scilicet ex Utilitatis solius, sive sui defensionis solius; nos ex Utilitatis cum honestate conjunctæ consideratione tali, quâ prioritas Honestati deferatur; non multum interesset, quæ morum vulgo recepta sit Hypothesis. Verum cum neque *Utilitas*, neque *sui Conservatio*, stabiliat Innocentiam, Fidem, Storgas, aliæ Naturæ præcæ principia, ulterius, diutiusve quam è re sint, atque ad sui conservationem temporalem conducant hujusmodi secundum dicta principia operationes (Ut *Hobbius* ipse, *Hobbiani*q; consententur) nos priscis necessario ad hærendum esse censuimus, qui Innocentiam, Fidem, Gracitudinem, *Στοργάς*, Humanitatem ipsam, *per se* Honesta esse, & *propter se* viro bono & sapiente factu dignissima esse definiunt. Neque si *Epicurus*, *Hobbius*ve, unusve aut alter eorundem præ Novitate doctrinæ sequaces, in diversum abierint, Consensus humani generis Mancus proinde erit dicendus. Cum, iis paucissimis exceptis, omnes generaliter homines, Græci, Romani, cultiores, imo & barbari, docti, indocti, veteres, recentiores, Theologi omnes

**J.** Ctiq; nobiscum sentire sint professi.

Non diffitemur esse, ex *Hobbianorum* potissimum sectâ, qui & Leges Naturæ, & Gentium vili faciunt. Quod autem objiciunt, non consensum esse inter moratiores de Officiis aut Delictis, de Honesto aut Inhonesto, de Justo aut Injusto; si penitus introspiciantur Objectiones & Instantiæ, parum ad Hypothesin nostram spectare videbuntur. Neque enim asserimus in minutis, aut remotioribus circumstantiis semper plene esse consensum. Instantias autem Adversarii faciunt in Delictis quibusdam, circa quasdam incontinentiæ species; in quibus forsitan satis obscura est à principiis deductio; non de ipsis principiis, aut de iis quæ inde clare deducuntur, est omnino dubitatum. Similiter ogganniunt, quod cum Romana gens ob morum honestatem sit undequaue celebratissima, esse tamen gentes, quæ leges Romanas exterminaverint. Interrogemus, quas leges? Non sane primarias illas, de *Innocenti non ladendo*, vel de *servanda fide*, aliasve manifestâ ratione inde derivatas; sed *formulas Judiciorum* aut *leges de servitute*, aut *alias ejusmodi*, quæ ferri & tolli ex consensu pro arbitrio possint: quæ (ut *Socratis* apud *Platonem* verbo utar) *salorum instar sunt*, quæ eidem usui inserviunt constanter, & tamen varie transponi possunt. Ita *fidem esse servandam* lex Naturalis est, & Immutabilis, *Platonis* phrasi *ὅπως* lex. *Triticum mutuo acceptum reddendum esse*, ex fidei Obligatione deducitur. In rep: autem Romana, An Triticum reddendum sit (nisi patientes aliter caverint) quo tempore petitur, aut juxta pretium ejusdem temporis, aut temporis contestatæ litis, aut cum in mora maximi vendi possit, *factu salorum* forsan constituere possint Legislatores. *Damna esse resarcienda*, & *judicium de improbe factis dandum*, *ὅπως* lex est: quibus autem diebus citari debeant, qui injuriam fecerint, quibus formulis, quo apparatu, aliter forsan apud Romanos, aliter apud Persas, aliter apud Ægyptios scitum est. Cum hisce & in mille ejusmodi casibus, modo res aliquo modo in certum redigatur, *salorum* etiam *factu* possint legumlatores decernere. Atque hæc ipsissima (ut mihi videtur) mens est *Socratis* apud *Platonem* in egægio illo libello, qui *Minos* inscribitur. Ubi Legem definiit *Opinionem veram*,

ram, sive *τὴ ὀρθὴ legis & iusti revera existentis Inventio-  
nem*. Neque enim ex consensu pactoque civium, neque  
ex decretis quorumcunque Legumlatorum opinio, de-  
cretum, aut sententia contra Legem Naturæ (quæ vere  
lex est) lata, lex omnino erit; cum nec lex sit quæ non ob-  
ligat. Nihil autem contra veram legem (quæ Dei est &  
Naturæ) omnino obligabit. v. *infra. c. 12. num. 8.* Sic au-  
tem apud *Platonem* objicitur. ‘At quomodo, O *Socrates*,  
‘ si lex revera iusti inventio est, non iisdem semper legibus  
‘ circa eadem utimur, cum rerum veritas inventa sit?  
Post pauca de legum diversarum varietate utrinque confes-  
sa, sic interrogando respondere videtur *Socrates*. ‘Age  
‘ igitur, num iusta putas injusta, injustaque iusta esse?  
‘ An iusta potius iusta? &c. Annon hic & ubique gen-  
‘ tium iustum iustum est? Annon & apud Persas iustum  
‘ iustum? An non quod iustum naturâ, est semper iustum?  
‘ Annon quæ plus ponderant graviora sunt, & in *Lycia*, &  
‘ in *Carthagine*? Revera pulchra ubique pulchra, revera  
‘ turpia ubique turpia. Quæ igitur revera sunt, esse cen-  
‘ sentur; aut male censent, quibus censendi facultas est  
‘ concessa: & quisquis à vero & ὀρθὴ iusto aberrat, is à  
‘ legitimo aberrat. Replicat minor *Socrates*. ‘Secundum  
‘ rationem tuam, O *Socrates*, eadem vere legitima sem-  
‘ per & inter nos, & inter ceteros esse videntur; at cum  
‘ nos animadverto quotidie. Leges sursum deorsumque mu-  
‘ tantes, fidem tibi habere non possum. Resp. *Socrates*.  
‘ Forte non percipis, quod hæc varie transposita *salorum*  
‘ *instar* eadem perseverant. Quod sic intelligo; *Socratem*  
minorem non percepisse aliquas esse leges veræ iustitiæ  
instrumenta, mutabili tamen facie, *salorum instar*, in  
omni tamen specie, prudentis Gubernatoris manu ad ean-  
dem iustitiam, dirigendas. Generaliter autem esse iu-  
stitiæ, sicut & Medicinæ, in iisdem casibus & circum-  
stantiis easdem ponendas regulas; in diversis circumstan-  
tiis diversas. Prima tam inter Medicos, quam Politicos,  
de sanitate lex est, *Curandum esse, ut sit mens sana in cor-  
pore sano*; secundariæ tamen leges diversis regionibus  
sunt diversæ. Apud *Aegyptios, Judæos, Arabes, Syros*,  
esus suillæ publice prohibetur, idque non solummodo Re-  
ligionis intuitu, verum quod his in regionibus ad Scabiem  
Lepramque

Lepramque credatur eadem vescentes disponere. Apud *Hissanos, Gallos, Germanos, Anglos*, aliosque apud quos innoxium & salubre habetur ferculum, in lautitiis habetur & cupediis. Temperantia eadem ubique terrarum virtus; circa diversa tamen in diversis Mundi plagis versatur objecta. Vinum non bibunt *Turczæ*, id enim Mahometica verat superstixio; illic igitur fortean temperans alicubi dicendus erit, qui moderate Opium comedit; apud nos qui moderate Vinum bibit: sic in legibus fere fines iidem, media tamen pro diversis subiectis varia. Sic eadem sanitas apud omnes gentes, diversis tamen Remediis quæritur. Aliquando minus malum permittitur ad tollendum majus. Sic *Dionysius* permittebat hominibus per urbem noctu vagantibus vestes abripi, ut ita *Syracusani* à nocturnis conviviis deterrerentur.

Ableganda autem hinc longe (ut profus *ἀποστρέφουσα*) objecta quæcunque de religionum diversitate & cæremoniis ad cultum Deorum spectantibus argumenta. qualia recenset fere ex *Seldeno Puffendorpio* de Indis, qui defunctis parentibus solebant vesci: nec non de Pervigiliis fædis, in quibus adulteria stupris mixta erant in honorem Deorum; & Victimæ humanæ, quales etiam memorat *Socrates* minor in *Platonis* modo laudato *Minoe*. Neq; enim leges nostræ, inquit, Hostias humanas sacrificare permittunt, sed nefarium est; apud *Carthagineuses* autem iustum sanctumque habetur; adeo ut eorum nonnulli *Saturno* filios sacrificent. Alii obijciunt alia de *Cannibalis* & *Anthropophagis*, de Immolationibus hospitem *Diana* factis in *Taurica Chersoneso*: quæ pleraque ad superstitionem spectant, non ex naturalibus Indiciis, sed ex malorum dæmonum oraculis depromptam. Quid enim Deo, Angelis, aut dæmonibus gratum acceptumque sit, quibus ritibus placari possint, humana (ut *b infra* docebimus) nihil edocet Ratio: quo factum est ut de hujusmodi quæstionibus Ethnici non principia connata, sed Vates, Oracula, Sacerdotesque consuluerint.

Sunt etiam, qui crudelitatem legum obijciunt, in quibus parentibus in filios vitæ & necis data est potestas. Aliis

(a) V. *Balth. Bonifacium*. lib. 6. c. 11. & lib. 17. c. 10. *Historia Ludæra*. (b) V. cap. ult. n. 5.

è contra non asperæ sed favorabiles videntur hujusmodi leges; utpote quæ ex naturalibus *sopra* suum desumpserint fundamentum, nascanturque ex hac præsumptione, *parentes in liberos judices naturaliter omnium esse faventissimos.* Exemplum de permisis Gladiatoribus non laudo; permagna tamen Excusatio est, apud quos non innocentes, sed damnati alias ad mortem solummodo servabantur ad spectacula. Et si quæ alia sint objecta, non dissimilis adhiberi possit facillime responsio. Neque etiam diffitemur permagnam esse morum apud gentes corruptionem, quæ tamen ut plurimum non tam accidit in primis naturæ legibus, aut à primis ortis, quam in remotioribus deductionibus: quales perhibentur de Gradibus in Matrimonio prohibitis, aliisque ejusmodi de re Venerea casibus. Sed ad hujusmodi objecta videri possint, quæ olim respondi, *infra, cap. 3. num. 2.*

Illud denique quod aiunt, leges communiter non ex integrarum gentium suffragiis, sed ex judicio singularium viroium, doctiorum scilicet prudentiorum & consultiorum promanasse, nullo modo ad principia (quas leges naturæ dicimus) spectare poterit. Loquuntur enim illi de Legibus in specie, nos de Maximis singularium legum fundamentis. Nobisque abunde sufficiat, si quæ nos de principis posuimus, sint vera; si quæ nos diximus honesta, honesta sint apud omnes; iisdemque contraria turpia habeantur apud omnes; neque circa prima hæc Justitiæ placita variatæ sint moratiorum leges; sique nulla sit fere gens tam barbara, quæ Innocentiam erga Innocentes, Fidem erga paciscentes, Gratitude in amicos & beneficos, *Storgas* in prolem & familiæ necessarios, Humanitatem in omnes, actionesque ex his principiis emanantes non inter honesta, iusta, & approbanda numeraverit.

Atque hoc est quod contra *Seldenum*, *Hobbinmó*, aliosque eorundem sequaces defendimus fortiter. Mores scilicet populorum sæculorumque cognitorum in positis à me modo Juris Naturæ principiis non discrepare: neque, si pauci Opinionum singularitate superbientes corrupto sint iudicio, communi hominum Rationi naturæque illud, sed singulari eorum vanitati, est tribuendum.

Omissa igitur incognitarum gentium consideratione,  
dicimus

dicimus contra *Seldenum* cognitae omnes moralia à nobis recensita principia valde adprobare, mirumque in modum circa eadem congruere; non (quod ait ille) mirum in modum discrepare. Dicimus civiles, quae accedunt, Obligationis & Permissionis formulas jura Naturalia non tollere; sed (ut ex his Commentariis *infra* videri possit) asserere, atque illustrare.

Ostendimus etiam *supra* contra *Seldenum*, *Hobbiium Pufendorfium*, violari posse ab iis legem, qui ejusdem nihilominus obligationem agnoscunt, & profitentur. Regulas autem Justitiae (ex nostra Hypothesi) naturalis, gentes ex contemplatione propriae solummodo Utilitatis non esse amplexas inde constare dicimus, quod Innocentiam & Fidem, ipsi Utilitati semper prætulerint, nullamque esse Justitiam dixerint, si nulla sit, nisi quae ab Utilitate derivatur. Neque vi Consuetudinis natas has Naturae Leges aut consensus publici supponimus (quod *lib. 1. de Jure Nat. cap. sexto & septimo*, alibique supponi *Seldeno* videtur) quasi gentes ad jura, Leges, moresve ejusmodi obstringerentur, quia omnes, aut magna earum pars, aut homines singuli rationales, hos mores, vel consensu firmaverint, vel jam diu observaverint. Hoc autem affirmamus & asserimus (ut *supra* videre est) caelitus delapsas has in corda hominum esse Leges; signumque præclarum esse has nobis à Deo concreatas, mentibusque infixas esse de Innocentia, Fide, Gratitude, *supra*, & vulgari Humanitate leges, quod invenimus has omnium cognitarum, & non corruptarum, gentium mentibus impressas.

Neque Similitudo illa (sane non inveniusta) quam *cap. 7. eod.* Autor proposuit, in nos quoquo modo applicari potest. Dicit enim quosdam esse, qui consentiunt, 'Rectam Rationem esse Vitae normam; tamen quid recta Ratio in moribus jubeat, sicut solemus de gustibus, dissentire: perinde ac si de mensura nomine quidem tenus (veluti Pedis, Ulnæve) satis essent concordēs, de utriusque tamen quantitate mire discrepantes. Nos enim cum mensuram dicimus rectam Rationem, eandem Rationem dicimus Reverentiam summi Dei magnopere commendare, & Amorem Creaturarum communi ratione participantium. Eandem dicimus Innocentiam in socios in-

nocentes



nocentes exercendam, Fidem, Gracitudinem, *oppat*, Humanitatem, cæterasque quas definivimus virtutes, præscribere observandas, & veluti Media felicitatis acquirendæ, evitandæque miseræ maxime probabilia proponere & promulgare.

Quod autem *cap. eod.* dixit *Seldenus*, ‘Rationem, quæ tenus talis est, suadere solum & demonstrare, non jubere; nec ad Officium, nisi superioris eo qui jubetur accedat simul Autoritas, obligare, hac animadversione corrigendum censuimus. Et nos Deum rationis humanæ effectorem homini, humanæque rationi superiorem agnoscere, in eodem Deo summam & potentiam, & autoritatem; dicimus insuper Rationem ipsam satis clare ostendere providentiam divinam sic mundum ordinasse, ut Felicitas virtuti & diætarum legum observationi, infelicitas & miseria Improbitati, & diætarum legum violationi sint conjunctissimæ. Quæ cum *supra* demonstraverimus, hic non duximus repetenda. Neque sane leges quæcunque positivæ (quantum ipse assequor) alio obligant modo, nisi demonstrando pœnas peccatis, id est, miseras vitiis firmiter esse conjugatas.

Huc etiam spectant quæ habet *Cl. Seldenus, de Jure Nat. lib. 1. c. 6.* ‘An gens una aliqua gentis alterius non subjacens imperio, ideo ad morem aliquem retinendum obstringitur, quia ipsa simul, sicut cæteræ, eum tamdiu observavit? Ullamne obligationis exinde nasci posse communionem, cui singulæ earum, qui observaverint pro lûbitu suo, per cæteras nequeant contraire, fingi potest? Et paulo post. ‘Si alia obligationis causa non reperiatur præter ipsarum observationem mutuam, seu constitutionem, quid verat, quo minus ex consensu in diversam sive observationem sive constitutionem inito, jus illud quæcunque pristinum interveniens esse desinat? &c. *ib.* Quæ nostram non tangunt Hypothesin; neque alia quæ ibidem addidit, & alibi passim eodem spectantia. Neque enim nos constitutionem humani generis somniamus; nec observationem catholicam & diutinam, *Causam*, sed *Signum*, Obligationis esse affirmamus. Notitias enim tam fixas, tamque universales alii causæ, quam summi Numinis inscriptioni, adscribere non potuimus. Similiter ad illa

cap. septimi. ubi sic edisserit, 'Totam humanam Gentem in civile corpus fingatur coaluisse, ac de aliqua non solum vivendi, sed etiam Imperii, formam consensisse; adeo ut jam inter eos principes subditis præessent; pœnz insuper jus, quod sic ex nuda natum eis est ratione, violentibus præscriberetur. Certe nisi superior etiam & hic accedat Autoritas, atque Jus, ratione qualicumque singulorum superius, quo fides sic inita servanda, quo principibus parendum, quo patris standum, quo demum universi simul (ut vinculo singulorum arbitrio, & vagâ Ratione pollentiori) contringantur, qui fieri potest ut naturalis aliqua, aut quæ à singulis pro lubitu & variante ratione naturaliter solvi nequeat, Obligatio refragetur, quo minus à fide, Imperio, pactis, pœnarum præscriptione, omnibus tandem in quæ sic consenserint libere quisque & pro arbitrio recedere queat? Semper enim rectæ Rationi divinam summi Numinis auctoritatem accedere dicimus, neque ex pactione aut fide inita Jus Naturæ universalis observandum diximus, sed divinæ vindictæ metu, utque suspiciones & angores malæ conscientiæ terribiles evitemus, utque de futuro post mortem statu bene sperare valeamus.

Alia etiam contra Juris Naturæ existentiam habet *Seldenus* singularia, lib. 1. cap. item 6. Postquam in rebus publice gerendis decidendisque, Jura aliqua Naturalia non raro exerceri concesserat, hæc tamen (ut mihi videretur) falso affirmat, 'Jura Naturalia adeo Civili, positivo, atque imperativo illi, ac intervenienti admixta & involuta, & una in massa conjuncta, ut hæc ex illis secernere, ex Gentium illarum tantum Usu seu Moribus, earumque Gentium ea de re sententiam inde elicere, queat mortalium nemo. Damus enim in Juris Romani Corpore Leges Naturæ positivis esse admixtas, non tamen ita admixtas, quin quisvis sedulus lector possit Naturales à positivis secernere. Hoc enim quod quærimus sæpissime ipsæ leges notant, suamque per se produunt Originem. Ita de reg. Ju. l. 84. *Is natura debet, cujus fidem secuti sumus. Et naturalis esse æquitatis dicit Ulpianus, ut constituta ex consensu custodiantur. l. 1. ff. de constit. pecunia. Et Jure Natura æquum esse, reminem alterius detrimento esse locupletiore,*

siorem, dicit Pomponius. l. 206. ff. de Reg. Juris. *Maris & famina conjunctiones, liberorum procreations, atq; hinc educations, juris esse Naturalis ipsæ testantur leges. Instit. lib. 1. tit. 2. ff. de Just. & Jure. l. 1. & 3. & sic in aliis quamplurimis. Ne autem dixerit doctissimus Seldenus impossibile cuiquam esse Naturales leges à Positivis distinguere; quod ego sane cuivis Naturales leges intelligenti factu facillimum existimo. Nonne quo Naturali fundamento quælibet fere nitatur Juris Romani pars, ex appensis huic Hypothesi Commentariis, quilibet quasi in Typo videre possit? Plane enim ad methodum Juris Naturæ à me suppositam hisque ipsis Commentariis descriptam, partes omnes Juris Romani, quæ ad jus Naturæ spectant, aut reduxi, aut quomodo reduci possint, non obscure ostendi: quod facilius jam idem poterit alius præstare, cui plus est Otii, à me nondum observata addere, & si quæ sunt per me errata, corrigere.*

Quæ insuper habet Clarissimus Seldenus argumenta contra Juris Naturæ existentiam cum *Hobbio, Theologopolitico, & Puffendorfo* communia, in responsionibus ad eorum objecta ita considerantur, ut singulari responso opus esse non videatur.

### Num. 5. *An recte Hobbius, Hobbianique Statuerint, Statum Naturæ, Belli omnium in omnes esse Statum?*

Primum pravorum dogmatum fundamentum ponit *Hobbium*, statum hominum Naturalem, antequam in Societatem coerint, Bellum esse. Neque hoc simpliciter, sed *Bellum omnium in omnes*. Ita ut secundum ejus dictata *Hominibus inter se naturaliter Voluntas certandi per vim, verbis factisque satis declaratur*. Hæc & his similia docuit expresse, *lib. de Civ. cap. 1. §. 12. & Leviathan, p. 1. c. 13.* Ubi similia plane statuit de Naturali statu: eum scilicet esse *statum Belli; Nihil eo in statu esse injustum; Nullamibi esse Legem, sed Vim & Dolum esse Virtutes Cardinales.*

Anonymus *Theologopoliticus* ex eodem fonte definivit,  
 \* Holtem

6 Hostem esse quicumque extra Civitatem ita vivit, ut neq;  
 6 ut confederatus, neque ut subditus, imperium Civitatis  
 6 agnoscat. Hostem, inquit, Imperii non Odium, sed jus facit :  
 6 & jus Civitatis in eum, qui ejus Imperium nullo con-  
 6 trahendi jure agnoscit, idem est, ac in eum qui damnum  
 6 intulit : quippe quacunq; ratione poterit, eundem vel ad  
 6 deditionem, vel ad confederationem jure potest cogere.

Contra, *Status Naturalis non esse Bellum, nec voluntatem*  
*hominibus inesse naturaliter certandi per vim*, hinc  
 manifeste liquet, quia nullus status hominum Naturalis  
*absq; rationis usu* statuendus est ; hominesque in quocunq;  
 statu, modo *ratione utantur*, mentem sanam in corpore  
 sano conservare summopere studere censendi sunt :  
 quod studium & conatus cum *voluntate ruendi in bellum*,  
 aut cum *omnibus certandi per vim*, plane est *aversus* &  
 contrarius. Ex suffragiis Philosophorum supra recensitis  
 abunde comprobavimus, ex communi hominum sensu,  
 idem esse contumeliose vivere, atque infeliciter vivere :  
 nihilque in vita humana præstabilius, sanius, tutius, ju-  
 cundius (sive mentem humanam, sive corpus spectes) in-  
 veniri posse, Justitia, Veritate, Gratitude, *spēs*, Hu-  
 manitate, cæterisque Virtutibus, quibus quis Deo se re-  
 gendum permiserit, sibi que simul, cæterisque (qui ejus-  
 dem secum Naturæ sunt participes) hominibus Amorem,  
 studium, curamque impenderit. Quæ si vera sint, conci-  
 dit plane dogma *Hobbianum*, nec *Status Belli omnino in*  
*omnes, cum voluntate certandi cum omnibus per vim*, erit  
 status omnium rationalium Naturalis. Nemo enim ratio-  
 nalis omnia facere in omnes quantumvis contumeliosa, ad  
 sanitatem, quietem, Tranquillitatem, & Gaudium men-  
 tis, conducere judicabit : imo neque ad corporis humani  
 & ad vitæ hujus temporalis conservationem. Conserva-  
 tionem utriusque partis, corporis scilicet animique, eorun-  
 demque felicitatem aptius mutuâ charitate procuraverit,  
 bonos sublevando, suam felicitatem simul cum communi  
 querendo, nec aliis bellum, quam manifestis pacis hu-  
 manæ hostibus, inferendo. Sic (quod mentem spectat)  
 conscientiæ horrores & malas futuræ vindictæ suspiciones  
 effugerit, & animi Tranquillitate summâ, & gaudio  
 (quale supra descripsimus) fruatur : & (quod ad corporis

sui Tutelam attinet) sic Dei hominumque omnium rationalium opem & auxilium, in sui defensionem potenter sollicitaverit. Quin & ipse *Hobbius* fatetur Injuriis neminem corpus suum vitamque conservare sperare posse; Bellumque ipsum Conservacioni hominum adversum esse statuit, *De Cive. c. l. §. 13, 15.* Naturamque ideo dicere pacem esse querendam. Quod si secundum *Hobbius* Bellum sit *Voluntas certandi per vim, & Natura*, secundum ejusdem dictata, *dicet pacem querendam*; aut *Natura* sibi ipsi contradicit, & contradictoria simul vera sunt, aut non est verum Homines Naturaliter velle certare per vim; sed potius velle sui conservationem per pacem, & mutua charitatis officia procurare. Adeoque status Naturalis pacis, non belli, dicendus fuerit. Quin & alibi non diffitetur legem Naturæ eandem esse cum morali lege: 'Percipiente ratione pacem esse Bonam, sequitur, *inquit*, eadem ratione omnia media ad pacem necessario Bona esse: ideoque Modestiam, Æquitatem, Fidem, Humanitatem, Misericordiam, Virtutes scil: ad pacem necessarias esse bonos mores: *Cap. 3. De Cive. §. 31.* Quod si lex Naturalis pacem requirat, Modestiam insuper, Æquitatem, Fidem, cæterasque Virtutes ad pacem necessarias, sane eodem tempore bellare velle, aut certare per vim, Humana non poterit sine contradictione Natura.

Demus (quod verissimum est) aliquos esse improbos, & Legum Naturæ ad Justitiam & pacem homines disponentium temeratores: contra hos justum esse Bellum non diffitemur: qui cum (*Hobbius* ipso fatente) male sanâ ratione utantur, durum nimis esset totum Humanum genus hujusmodi incusare insaniz, malosque esse præsumere: eos autem palam, aut ex insidiis adoriri, aut trucidare, qui nulla adhuc animi in pacificos & modestos malefici signa dederunt, omnes injustum & inhumanum esse uno ore pronuntiant. Malefici sane à suo ad indemnitatem jure excidunt: idque *Cainus* de seipso factus conquestusque est: adeoque jam quemlibet justè potuisse in vitam suam insurgere. Non tamen ista suspicio timore eum tenuit, priusquam Homicidii reus perageretur. In Naturam igitur piam, & communem omnium parentem, inque Deum ipsum Naturæ autorem, contumeliosi mihi videntur *Hobbius*

*biæ & Hobbianæ*, dum primam & originariam hominis naturam Homicidam, fœdissimam, furem, adulteram, inhospitalem, truculentam, & plane exlegem esse calumniatur. *Nisi homines*, inquit, *Naturaliter tales essent, quorsum clauduntur Noctis & obserantur Domus? Quorsum sclopetis aliisque bellicis instrumentis defenduntur?* Respondemus nos instrumentis securitatis, imo etiam bellicis aliquando opus esse, Naturam hominis etiam pacificam existente, quod in tanta hominum multitudine, non pauci sint qui leges Naturæ non curant animadvertere, quibus ad Innocentiam, Fidem, Gratitude, Humanitatem, & cæteras virtutes arctissime obligamur; qui habent, sed non utuntur communi hominum ratione, qui nolunt in se descendere, ipsosve se (ut divinum monuit Oraculum) cognoscere; qui, quid decet, quid honestum est, quidve suam reverentiam interest, ex propriis judiciis non curant investigare, atque intelligere; quod non pauci sint, qui non consulto vivunt, sed ex tempore & fortuito; qui consopiant & captivas pervertam voluntatem detinent de Justo & Injusto Notitiam, quas ad vitam formandam Hominibus naturæ Autor insevit. Ne igitur amplius Naturam Deumque incusent, sed propriam potius ignaviam; & in se consulendo pigritiam vel obstinatam liberæ voluntatis arrogantiam sibi ipsis exproberent. *Plura v. infra. cap. 3.*

Illud autem hic nullo modo prætereundum est, male supponere Philosophum *Malmesburiensem*, cap. 8. *De Civitate*, §. 1. aliosque ejusdem sequaces, *Homines scilicet in statu Naturali, fungorum more à terra simul ortos, & adultos sine omni unius ad alterum obligatione*. Hæc enim Hypothesis speciem rerum supponit veritati maxime contrariam. Si enim de præsentis statu Quæstio sit, certissimum est ex parentibus jam adultis oriri & procreari filios filiarumque (prolem scilicet suæ conservationis procurandæ impotem) quæ nec per vim certare, quæ nec *Hobbianum* bellum gerere, nec pacationes sibi tuendo conficere novit. Sic autem ex Dei Opt. Max. providentia res se habet; ut donec adoleverit, ex Naturalibus parentum *separatis*, quæ sensum obligationis continent, proli Conservatio procuretur. Non docuit infantes Natura Bellum, vel pacem facere; Matrimonia sugere absque aliâ docuit magistrâ. futuri

futuri cum prole Belli sollicita prius conditiones pacis infantanti proponit, sed statim à Natura impellitur, ut Matrem sugenti præbeat, & uterque parens ut, quem procreaverint, ament, & donec adoleverit, defendant, & necessaria ad victum cultumque suppeditent. Proles autem postquam adoleverit, ingenita sibi à Natura Gracitudinis, aliarumque virtutum semina adlescere etiam in præcordiis sentit; quibus vicem parentibus rependere, eosque ad senectutem declives erigere, & sustentare, suaque omnia omnibus permittere, impelluntur. Sic ex *soyãs* naturalibus, aliisque nocitiis Deo providente insitis, rerum Natura conservatur. Si autem non de præsentis sed de *primo rerum statu* quæstio sit, Recte animadvertit *D. Ambrosius* (*Lib. I. Offic. c. 28.*) Placita Stoicorum (addo Academicorum, Peripateticorum, aliorumque veterum Philosophorum hoc in argumento) à S. Scripturis plene comprobari, ‘ Homines, *scil.* hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint. ‘ Hominem, *inquit Ambrosius*, hominis causâ generatum in libris *Mosis* reperimus; dicente Domino, non est Bonum esse hominem solum: faciamus illi Adjutorium simile ipsi. Ad Adjumentum ergo Mulier est (data viro, quæ generaret, ut Homo Homini adjumento foret: Ergo secundum Dei voluntatem invicem nobis auxilio esse debemus, certare officii, ac velut in medio omnes utilitates ponere, & ut verbo Scripturæ utar, adjumentum ferre alter alteri, vel studio, vel officio, vel pecunia, vel operibus, vel quolibet modo, ut inter nos societatis augeatur gratis, nec quisquam ab officio vel periculi terrore revocetur. &c. *ib.* Sic *Ambrosius*. Sane inter primos Parentes non *Belli status*, sed *Amoris conjunctissimi*, supponi debet. Sic enim ex homine formata est Protoplasti Uxor, prima viventium Mater, ut summo desiderio in virum ferretur; nec potuit *Adamus* carnem suam odisse, nec cum filiis suis contra inditas *soyãs* hic aut illa potuit Bellum gerere. Filii parentibus Bellum intendere non poterant, quibus Naturam suam & Conservationem debebant. ‘ Hoc, *inquit, S. Johannes*, est mandatum quod à principio (*sem mundi primordio*) audivistis, ut amemus mutuo. Non ut *Cainus*, qui, cum à malo esset, fra-

fratrem suum interemit. v. 1 *Job.* 3. 11, 12. 2 *Job.*  
 5, 6. *Cainus* sane hic nigro notatur, hominum malefico-  
 rum prototypus. Hic cum appetitum irascibilem rationi  
 insurgere est passus, in primum lapsus est homicidium,  
 ita tamen, ut testetur scriptura ipsum, ob hoc facinus, à  
 conscientia sua (quam nullam esse clamant nostri temporis  
 Athei) vehementer flagellatum. Ad Historiam igitur *Ge-  
 neseos*, quoties de primo statu quaestio vertitur, non ad  
 vanas (& quas novimus falsissimas) Hypotheses recurren-  
 dum. Quin & de indole, & egregia, pæneque dixeram  
 divinâ, humani ingenii conditione, est inquirendum, ut  
 captus vitæ & semina invitamenta que virtutis colligantur.  
 Non autem abs re prorsus monet *ἄνωγκον* noster inter  
 J, Ctos *Hopperus*, ut ad hujusmodi cognitionem quis per-  
 veniat, & Naturam Humanæ indolis recte exquirat, opus  
 esse, ut in universum mundum, qui omnia continet & co-  
 ercet, Homo intueatur. 'Ea propter, inquit, summus  
 ' ille Legislator *Moses*, & (ut *Paganus* dicere solet) *Ho-*  
 ' *merus* Philosophorum *Plato* (quos ambos secutus & in-  
 ' terpretatus est *Judæus Philo*) suam legislationem orsi sunt  
 ' ab ipsius orbis & Naturæ principatu. Quin, ut inquit  
 ' *Autor*, altius attollenda est Cogitatio. Nam cum Dei  
 ' Opt. Max. effigiem, dedicatam in nobis & quasi conse-  
 ' cratam, habeamus, cui dubium esse potest, quin, si qui-  
 ' dem & nos & Mundum hunc intelligere velimus, ad  
 ' ipsum fabricatorem & rerum omnium opificem Deum  
 ' ascendere debeamus? Cujus forsân Ideæ consignatæ in  
 ' animis nostris efficiunt perpetuas illas commendationes  
 ' ac præscriptiones Naturæ, quæ Anticipationes & com-  
 ' munes Noriones vocari solent. Et hæc est causa cur  
 ' *Moses*, *Plato*, *Zalencus*, *Charondas*, & alii ab iis Theo-  
 ' logi, & veri rerump: fundatores libros suos ordiantur ab  
 ' ipsius Boni & divinæ Mentis explicatione. Ita *Hopperus*  
 in egregio illo de *Juris arte libello*. Sane, si de divina  
 mente conjectura facienda sit, Quid ni putemus Deum  
 prosperitatem Creaturæ suæ velle, & amare, non odisse  
 quæ fecerit? Prosperitas autem Creaturæ, non ex Bello,  
 sed ex pace, debet & solet provenire. Et sane quisquis  
 in hujusmodi disquisitione ad veram *Geneseos* Historiam  
 recurrerit, Atheismum tam Epicureorum mundum ex sor-  
 tuito



tuio Atomorum coitu constituentium, tam Aristotelico-  
rum magistrum non recte intelligentium, & infinitas vi-  
cissitudines generationum supponentium, cito discutiet ;  
nec facile (quod facit *Hobbius*) supponet unquam homines  
fungorum more ortos, aut ex meteoro adultos, cœu ranas  
ex imbre in terram decidisse ; adeoque Bellum justum  
esse omnium in omnes, Nullas inesse animis de Justo &  
Injusto Notiones, Utilitate omnia metienda esse, Nec  
posse Naturam Justo iniquum discernere. Rectius sanò  
Antiquiores, qui Auream primam finxerunt ætatem,

— *Qua vindice nullo*

*Sponte sua sine Lege Fidem, Reclamq; colebat.*

*Pana motusq; aberant: &c.*

*Non Galea, non Ensis erat, sine militis usu*

*Mollia secura prægebant utraque Gentes.*

Sic *Ovidius*. Sic *Plato*, ' Sine bello, sine seditione, sine  
' contumelia, sine injuria, sine æmulatione, sine invidia,  
' primos hominum fuisse censuit ; probiores tum, simplici-  
' ciores, fortiores, moderatiores, & in omnibus justiores.  
' Ubi cupiditas, æmulatio, invidia irrepserunt, injuriæ  
' extortæ : inde natiæ leges, & Magistratus Custodes Legum :  
' His primum pauca, deinde Indies pro multiplicatione  
' injuriarum hominumque jus & fas contemnentium, plu-  
' res natiæ sunt. Si sacras consulamus Scripturas, Deus  
sane, ut modo monui, Naturæ autor est ; is creavit Ho-  
minem rectum, divinum plane Animal, ad imaginem  
formatum & similitudinem suam, communibus Naturæ  
præsumptionibus de Justo & Injusto eruditum. *Adamo*  
Deus non solum in Corpus suum & membra dominium de-  
dit, sed eidem præesse dedit universa terra, & animalibus  
quæ moventur supra terram &c. A protoplasto ad poste-  
ros translata sunt Dominia, aut per assignationem paren-  
tum, aut per pacta, & mutuam consensum, aut per oc-  
cupationem aliosve acquirendi modos. Cum enim Deus,  
in quo originarium omnium rerum erat dominium, res  
omnes creatas *Adamo* commisit, ita tamen commisit, ut  
usui suo & filiorum cederent ; nulli autem usui esse pote-  
rant, nisi constituta supponuntur dominia, quibus ad Pro-  
pios

prios & privatos Usus poterant accommodari : Nulli, inquam uti essent res, nisi homines possent rebus à Natura datis pacifice uti, fruique ; quod absque aliquali dominiorum constitutione & Legum Naturæ de Innocentia, Fide, Gratiudine, &c. Observatione fieri nullo modo poterat. Conclusionis igitur loco adversus eos qui *statum Naturæ statum esse belli, Dolorem, & vim naturaliter virtutes esse cardinales* statuerunt, communem adhuc antiquorum & firmissimam opponam Hypolepsin, quam sic enuntiavit *Seneca*, 'Omne hoc quod vides, quo divina & humana conclusa sunt, unum est. Membra sumus corporis magnæ Naturæ nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret. Hæc nobis Amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit. Illa æquum iustumque composuit, ex illius constitutione miserius est nocere, quam lædi : ex illius imperio paratæ sunt ad juvandum manus, istæque Versus & in pectore, & in ore est.

'Homo sum, humani nihil à me alienum puto. *Sen. Epist. 95.*

**Num. 6. Principia Moralia Anonymi Theologopolitici cum veterum doctrina comparantur, præsertim in hac Quaestione, An homini Naturaliter competat jus, ex legibus Appetitus non rationis, vivere ?**

Hæc nova sunt Theologopolitici dogmata, *Unumquodq; Individuum jus habere ad omnia quæ potest : Et jus uniuscujusq; consensu se extendere, quousq; ejus determinata potentia se extendit.* Harum & similium conclusionum fundamentum ponit, *Legem summam naturæ esse, ut unaquæq; res in suo statu, quantum in se est, conetur perseverare, idq; nulla alterius sed tantum sui habitâ ratione.* Quod ipsum fundamentum infirmum falsumque esse multoties diximus, Naturamque Hominem instruxisse, ut suam conservacionem, Utilitatem, felicitatemque simul cum communi profequatur.

Deinde

Deinde asserit, ' Nullam ponendam esse differentiam  
 ' inter Homines & reliqua naturæ Individua ; neque inter  
 ' homines ratione præditos, & inter alios qui veram ratio-  
 ' nem ignorant ; neque inter fatuos delirantes & sanos.  
 ' Quicquid, *inquit*, unaquæque res ex Legibus Naturæ suæ  
 ' agit, id summo jure agit : nimirum quia agit prout ex  
 ' natura determinata est, nec aliud potest. Quate inter  
 ' homines quamdiu sub Imperio solius naturæ vivere consi-  
 ' derantur, tam ille qui rationem nondum novit, vel qui  
 ' virtutis habitum nondum habet, ex solis legibus Appe-  
 ' titus summo jure vivit, quam ille qui ex legibus ratio-  
 ' nis vitam suam dirigit. Hoc est, sicut sapiens jus habet  
 ' ad omnia quæ ratio dicitur, sive ex legibus Rationis viven-  
 ' di : sic etiam ignarus & animi impotens summum jus ha-  
 ' bet ad omnia quæ Appetitus suadet, sive ex legibus Ap-  
 ' petitus vivendi. Nos contrarias imprimis exponamus  
 veterum sententias ; deinde rationes, quas suæ sententiæ  
 hic atque illic interponit, postea facilius confutabi-  
 mus.

*Socrates, Plato, Aristoteles, Chrysippus*, alique vete-  
 res omnes διττὴν ἢ, id est, duplicem in anima humana  
 Naturam agnoverunt, partem scilicet : alteram rationalem,  
 sive Rationem ipsam Gubernatricem homini datam ; al-  
 teram concupiscibilem affectum scilicet sensitivum, ἰσθητὴν (ut  
*Plutarchi* verbis utar, in *Comment. de virtute morali*) νοεῖον  
 καὶ διπλὸν, ἢ ἀλογον, ἢ πολυπλανές, ἢ ἀτακτον. Nemo ta-  
 men unquam, irrationali, sensitivo, concupiscibili & in-  
 ordinato affectui parendum unquam, ante hunc diem cen-  
 suit. Nec mirum est politicum novatorem subterfere no-  
 men, qui talia in Philosophiam introducere conatur mon-  
 stra. *Homo præstantior seipso erit, si deteriorem partem ma-  
 jiori habeat Obedientem.* Sic *Plutarchus* ex sententia *Pla-  
 tonis, de Leg. 1.* Qui vero intemperanti & brutæ parti pa-  
 titur obsequi principem facultatem, is seipso inferior, is  
 incontinens, & secus quam Natura postulat affectus di-  
 citur. Natura enim vult ut Ratio, quæ divina est, im-  
 peret brutæ parti ; quæ ex ipso corpore ortum habet, id-  
 eoque in illud demersa & contemperata similis ejus fit,  
 corporeisque referta est affectibus. v. *Plutarchum in Com-  
 ment. de Virtute morali.* Is virtutem definiit, quod sit  
 facultas

facultas circa brutam animæ partem versans, quod ultra vel citra modum est appetitionis auferens, unumquemque animi motum ad mediocritatem rectitudinemque perdu- cens, quæ fortitudinem medium facit inter timiditatem & audaciam, & justiciam facit, ut in contractibus neque plus justo tribuat; neque minus. Puram putam Intempe- rantiam esse asserit & perfectum Vitium, cum Affectus Appetitum ad turpia ducit, & recta Ratio male judican- do turpibus cupiditatibus assentitur, & sensum peccati perdit; eamque Differentiam inter Incontinentiam & Intemperantiam ponit, quod Incontinentis vincatur Ratio à perturbatione; Intemperantis ne pugnet quidem. Ille cupiditates sequitur, interim iis contradicens; hic eas ducit consentiens. Hic gaudet suis peccatis; ille ægre fert. Hic volens ac sponte ad turpia fertur; ille invitus honestatem prodit. *Anonymus* contra nullum Vitium, ne- dum summum; definiit Intemperantiam; Affectum iuste posse Appetitum quo lubet ducere; nihil Natura turpe esse; adeoque apud Cordatos, si voluptates sequan- tur, neque peccatum esse, neque sensum peccati esse de- bere. Philosophi aurigam *Rationem* iumenta animi (infe- riores scilicet facultates) moderantem posuerunt, & summa ope habenas prementem. Si, inquit *Ambrosius*, *Appetitus Rationi obediat, facile id quod deceat in omnibus Officiis con- servari potest.* Sic recentes, sic Antiquiores, quotquot sapiunt, Christianorum Philosophi. *Anonymus* ille contra *Theologopoliticus* *Rationem* è sella detrudit, punicea (ut *Simonidis* phrasi utar) de manibus excussit loræ.

*Augustinus* (contra *Julianum* Pelagianum, qui omnium sensuum voluptates admittendas censuit, *lib. 4. c. 15.*) sic edisserit, distinguendum esse inter Vivacitatem, Utili- ratem, Necessitatem, & Libidinem sentiendi. Honestum esse modum asserit sumendorum alimentorum, quo ani- mali Corpori necessaria præbentur, & modus naturalis nullatenus excedatur. Cum ad Usus ventum fuerit neces- sariæ Voluptatis, per quam reficimus Corpus, Concu- piscentiam dicit nos non finire modum necessitatis sentire, aut limitem procurandæ salutis, sed abscondere & transire rapiendo se ad alia, si quæ adsunt, delectabilia; putanti- bus nobis satis non esse quod satis est, dum libenter Con-

U

cupiscentiæ

cupiscentiæ provocationibus ducimur, existimantes nos agere negotium valetudinis, cum agamus potius Crudelitatis. Addit amatorem spiritualis boni causâ sobolis conjugatum malle sine cupiditate aut magna vi Voluptatis filios procreare; quod nisi esset, Philosophia gentium (quæ est Amor sapientiæ) Christianâ esset honestior. Deinde ex *Ciceronis Hortensio* hæc citat. ‘An vero, inquit, Voluptates Corporis expetendæ, quæ vere & graviter à *Platone* dictæ sunt illecebræ esse atque escæ malorum? Quæ enim confectio est Valetudinis, quæ deformatio coloris & corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur & eliciatur Voluptate? Cujus motus, ut quisque est maximus, ita est inimicissimus Philosophiæ. Congruere enim cum Cogitatione magna Voluptas Corporis non potest. Quis enim cum utatur Voluptate eâ, quâ nulla possit major esse, attendere animo, inire rationem, cogitare animo quicquam potest? Quis autem tantus est gurgis, qui dies & noctes, sine minimâ temporis intermissione, velit ita moveri suos sensus, ut moventur in summis Voluptatibus? Quis autem bona mente præditus non mallet nullas omnino nobis à Natura Voluptates datas? Hæc *S. Augustinus* ex *Cicerone*. Deinde addit. Hæc ille dixit, qui nihil de primorum hominum Vitâ, nihil de Corporum resurrectione crediderat. Erubescamus igitur veris disputationibus impiorum qui didicimus in verâ veræ pietatis sanctaque Philosophia, & contra spiritum carnem, & contra carnem concupiscere spiritum. Sed hoc *Cicero* nesciebat, & tamen Carnis concupiscentiæ non favebat. Sic Patres semper, sic Theologi juniores. Nisi forte reclamet hic Judæo-Christianus *Theologopoliticus*, aut Theologiæ politicæ inter Romanæ Ecclesiæ Casuistas magister *Escobarus*. v. pag. 136. Plura huc spectantia videri possunt, *supra*, cap. 1. de *Comparatione finium*. Sed ad Philosophos redeamus Christianæ doctrinæ ignaros.

Et sine veterum sententiam paucis sic optime expressit *Cicero*. ‘Duplex, inquit, est vis animorum & Naturæ. Una pars in Appetitu posita est, quæ hominem huc illuc rapit: Altera in Ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumque sit. Ita fit, ut Ratio præsit,

‘Appetitus

Appetitus vero obtemperet. Efficiendum autem est, ut  
 Appetitus Rationi obediant, eamque neque propter te-  
 meritatem præcurrant, neque propter pigritiam aut  
 ignaviam deserant, sintque tranquilli omnique perturba-  
 tione animi careant. Ex quo elucebit omnis constantia,  
 omnisque moderatio. Nam qui Appetitus longius eva-  
 gantur, & tanquam exultantes sive cupiendo, sive fugi-  
 endo, non satis à Ratione retinentur, hi sine dubio finem  
 & modum transeunt; relinquunt enim & abjiciunt Obe-  
 dientiam, nec rationi parent, cui sunt subiecti lege Na-  
 turæ. *De Offic. 1.* Quibus non inferiora sunt *Aristotelis*  
 illa, ubi  $\Theta\epsilon\acute{\iota}\omega\upsilon\ \eta$ , quod Hominum menti conascitur, ex-  
 plicat. 'Si, inquit, comparata cum homine mens est  
 quippiam divinum; erit & Vita secundum mentem ad  
 vitam humanam comparata divina: neque vero illos au-  
 dire par est qui admonent, homo cum sis humana sapere,  
 & cum sis mortalis ea quæ sunt mortalia curare; verum  
 adniti quantum licet à mortalitate se vindicare,  $\chi\ \acute{\alpha}\ \pi\alpha\ \nu\ \alpha$   
 $\sigma\omega\iota\upsilon\ \sigma\omega\iota\varsigma\ \tau\acute{\omicron}\ \zeta\eta\upsilon\ \chi\ \tau\acute{\omicron}\ \kappa\epsilon\lambda\eta\pi\sigma\epsilon\upsilon\ \delta\epsilon\ \acute{\epsilon}\nu\ \alpha\upsilon\tau\acute{\omicron}\delta$ . Omnia  
 scil: agere, ut secundum eam partem, quæ in nobis optima  
 est & Nobilissima, vivatur. Ita *Aristoteles. Eth. lib. 10. c. 7.*  
 Partem autem principalem Animam esse asserit; quæ  
 quamvis mole parva sit,  $\delta\upsilon\ \nu\delta\mu\omega\ \tau\alpha\mu\epsilon\ \&\ \eta\mu\iota\sigma\tau\eta\ \pi\omicron\lambda\upsilon$   
 $\mu\acute{\alpha}\lambda\lambda\omega\ \upsilon\sigma\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\eta\ \pi\acute{\alpha}\nu\ \tau\omega\ \nu$ , potentia & dignitate cæteris omnibus  
 antecellit.  $\Delta\acute{\omicron}\xi\eta\iota\ \delta\ \acute{\omicron}\nu$ , sic egregie ibidem edisserit Phi-  
 losophus,  $\chi\ \delta\iota\epsilon\sigma\ \Theta\ \acute{\epsilon}\eta\ \tau\acute{\omicron}\tau\omicron$ ,  $\acute{\omicron}\pi\eta\ \tau\acute{\omicron}\ \kappa\omega\epsilon\iota\omega\ \chi\ \acute{\alpha}\mu\eta\eta\omega\ \nu$ .  
 "Απορον ἐν γνοίτ' ἄν, εἰ μὴ ἢ αὐτῷ βίον αἰετοῦ, ἀλλὰ τινὸς  
 ἄλλου. Id videtur quisq; esse, quod optimum & principale  
 in se est. Absurdum igitur fuerit, si quis non suam (id est,  
 propriæ Naturæ incongruam alienæ congruam). Naturam  
 elegerit. Id autem faciunt, qui proprias homini virtutes  
 vilipendentes contraria præferunt Vitiæ. Sic qui Injuri-  
 am Justitiæ anteferunt,  $\chi\ \tau\acute{\omicron}\ \lambda\epsilon\omicron\ \nu\tau\acute{\omicron}\ \delta\epsilon\iota$ , secundum leoninam  
 Naturam vivere volunt: Qui Luxuriam, quæ in Venere  
 est, Continentiæ prætulerit, is  $\chi\ \tau\acute{\omicron}\ \tau\epsilon\gamma\chi\acute{\omega}\ \delta\epsilon\iota$  vivere  
 recte dicitur. Ita in cæteris omnibus Vitiis semper in-  
 est  $\delta\eta\epsilon\iota\omega\ \delta\epsilon\iota\ \eta$ , semper aliquid belluinum iis adhæret. Si-  
 cut enim Sapientiâ & Virtute  $\sigma\omega\iota\varsigma\ \tau\acute{\omicron}\ \Theta\epsilon\acute{\iota}\omega\ \nu$  aspiramus:  
 sic Appetitu vitiorum sordibus depravato in Brutorum  
 fere Naturam degeneramus.

Egregie sane *Beethius*, libro 4. de *Consolatione Philosophiæ*, Improbos, inquit, fuisse homines adhuc ipsa humani corporis reliqua species ostentat. Quare versi in malitiam humanam quoque amiserunt Naturam. Sed cum ultra homines quemque provehere sola probitas possit, necesse est, quos ab humana conditione dejecit, infra hominis meritum detrudat Improbitas. Evenit igitur ut quem transformatum vitiis videris, hominem æstimare non possis. Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? Lupi similem dixeris. Ferox atque inquires linguam litigiis exercet? Cani comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exquetur. Iræ intemperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pavidus & fugax non metuenda formidat? cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum vivit. Levis atque inconstans studia permutat? Nihil ab avibus differt. Fædis immundisque libidibus immergitur? Sordidæ suis voluptate detinetur. Similiter secundum *Platonem*, *Aristotelem*, *Ciceronem*, *Senecam*, aliosque veteres, qui à Sapientia & Virtutis studio deficit, quæ menti humanæ summe conveniunt, is ab humana deficit Natura & beluinam induit; & proinde ea felicitate excidit, quæ maxima in hac vita possit homini competere. Quæ omnia hoc compendio expressit Philosophus. τὸ οἰκῆον ἐλάττω τῆ φύσει κρείττον καὶ ἡδίστον ἐστὶ ἐλάττω. καὶ πᾶς ἄνθρωπος δὲ ὁ κατὰ τὸν βίον, ἄπειράκις ἂν τοῦ ἄνθρωπου, ἔτῃ ἀρετῆς καὶ εὐδαιμονίας. *Quod cuiusque proprium est Natura, id optimum cuiusque & jucundissimum. Ergo & Homini ea vita quæ menti convenienter traducitur, optima est & jucundissima. Quoniam homo maxima ex parte mens est, ergo quæ secundum mentem traducitur vita, ea est omnium beatissima.*

Et sane præposterus ille ac impudens sui Amor (qui unicum est Morale *Theologopolitici* Principium) ex quo, sine omni honestatis aut Officii in alios respectu, in actiones quascunque appetitu ducti sensitivo ferimur, non solum à sapientibus passim vitio vertitur, sed tanquam Vitiiorum pœne omnium Caput & Fons merito reprehendi solet: ut partim ex generalibus quæ hic arponam, partim ex Testimoniis ad Speciem, quæ infra videri possint [cap. x.] ubi cæteræ

ceteræ virtutes cum philautia comparantur, clare est cer-  
 nere. ‘ Omnium, inquit Plato, maximum quiddam ma-  
 lum in multorum animis est innatum, cujus quidem  
 (cum facile sibi ignoscant) Remedium nullum excogi-  
 tant. Est autem hoc quod dicere solent, *Quod natura*  
*sibi quisque Amicus est.* Recteque est, id ita se habere ;  
 sed revera nimius in seipsum Amor omnium peccatorum  
 semper omnibus est causa. Occæatur quippe circa ama-  
 tum, qui amat, cum seipsum magis quam veritatem ho-  
 norandum putat, quid justum, bonum, aut pulchrum  
 sit, male judicat. Ita *Plato. lib. 5. de Leg.* A Ratione  
 igitur & vera Philosophia Amor ille sui regulari debet,  
 quæ nobis à Natura commendatur, cujus Distinctio Virtu-  
 tum ipsam à Vitiis distinguit. Sic *Demetrius apud Stoba-  
 num.* ‘ Ne capias, inquit Continentia, unde non decet,  
 ne comedas, ne bibas ; sustine, tolera, denique moriari  
 potius quam quicquam indecori committas. ‘ Iuxuria  
 vero sic suadet : Ede, cum liber, quodcunque tibi sua-  
 vissimum fuerit. Placetne vicini tui Uxor ? Miscere  
 cum ipsa. Pecuniis eges ? accipe mutuo. Mutuatus  
 non potes restituere ? nihil reddito. Non credit ti-  
 bi amplius ad mutuo dandum ? Rapito. Fortitudo in  
 bello permanere jubebit, & ordinem suum conservare.  
 Sed ingruunt tela ; Sustinendum est. At vulnerabor ; tole-  
 rato. Sed moriar ; Morere potius quam relinquis aciem.  
*&c. Serm. 6. de Timiditate.* ‘ Occurrit, inquit *Aristote-  
 les,* Dubitatio, Utrum seipsum maxime amare oporteat,  
 an alium quenquam ? Solent enim vulgo objurgari, qui  
 sui sunt amantissimi, ac quasi ea res cum turpitudine con-  
 juncta sit, *φιλανθια*, id est, *sui amantes* appellantur. Vi-  
 deturque homo improbus omnia sui causa agere ; eoque  
 magis quo sit vitiosior. Itaque eum criminantur ac ac-  
 cusant, quod nihil agat suis rationibus & commodis alie-  
 num. Vir bonus autem omnia propter Honestum agit ;  
 & quo sit melior, eo magis propter honestum ; & amici  
 causa suum commodum negligit & prætermittit. *Ethic.*  
*Nicom. l. 9. c. 8.* Quæ plura contra vitiosam *φιλανθια* edisse-  
 rit, heic omittimus, cum opus sit ea in capite *de Compa-  
 ratione Officiorum* repetamus.

• Inter recentiores de Duplici sui Amore, cœlesti & ter-

reno,



reno, rationabili & enormi, ex *Platonis* veterumque sententia scienter edisserit non semel à nobis commendatus *Joach. Hopperus*. ‘Divinus, inquit, Amor est & coelestis, qui ad Liberalitatem, Beneficentiam, Pietatem, Charitatem patriæ, benemerendi referendique Officium, & ad participandum alium cum alio nos invitat, omniumq; communitatum & consociationum inter homines causa est & quasi vinculum. Amor terrenus homines in sui Admirationem rapiens, omnem confestim Amicitiam dirumpit, & humana pariter ac divina pervertit; inferiorem animi partem illecebris voluptatum & libidinum titillatione pertentat, & à virtute detorquet; superiorem irarum flammis, & contentionibus, ac Ambitionibus honorum accendit; utramque ita opum & pecuniarum cupiditate contrahit & inflammat, ut Homines nullius amplius conjunctionis & Amicitiae memores, eos quos tutari debent desertos esse patiantur, & nihil amplius studii, operum, facultatum in medium afferentes in illo se solum collocent, ut cuique suum detrahere, sui emolumentum gratia, & omnes omnium Utilitates ad se traducere, & ad Usus suos adjungere possint. *Lib. 1. De Juris arte, Tit. de universalibus principiis.*

Coronidis loco egregium illud *Mori* nostri *Cantabrigiæ* suffragium apponam. ‘Tam, inquit, clare mihi constat, ut nihil dissimulem, diviniorem legem nobis inesse quam Animalem, rectamque rationem illam legem esse, qua nihil hominibus à Deo Immortali dari potest perfectius aut divinius; qua monemur & obligamur propria commoda publico bono semper posthabere; nec privatam cuiusque utilitatem aut voluptatem mensuram facere humanarum actionum. Qui vero sacrosanta hac lege jure se exsolutum putat, audacter enuntio nullum animal per totam rerum Universitatem isthoc homine reperiri posse turpius, vilius vel abjectius; nec quenquam esse, qui magis haberi mereatur humani generis communis pestis & Opprobrium. Ita *Morus, Enchir. Eth. lib. 3. cap. 2.*

Facta jam novi veterisque dogmatis comparatione, ad argumenta *Politici* expendenda transeamus. Imprimis igitur constabit falsum esse ex communi Hominum suppositione, *Hominem qui ex appetitu sensitivo vivit, vivere pro-*

ut ex natura determinatus est, nec aliud illum posse. Natura enim Hominibus Rationem indidit appetitui imperatricem; ejusdem rationis ductu non ad Luxuriam & noxam, sed ad temperantiam, justitiam, & æquitatem nos composuit: Hominemque aliud posse quam Appetitum sensitivum sequi, nec ita naturaliter determinari ad Vitia, quin ratione gubernatrice possit ad Virtutem reduci, uno ore consenserunt, qui Naturam humanam contemplati sunt, Philosophi. Imo nec Theologi omnes in moralibus impotentiam naturæ incusant. Minime autem omnium hoc debebat facere *Theologopoliticus*; qui *lumen Naturale non virtutes solummodo morales, sed etiam in ipsa Religione qua veram & æternam salutem speitent, docere posse & solere* contendit. *Tract. sui cap. 4. & 5.*

Aliud adhuc argumentum, quo improbum suum tuetur dogma, est ejusmodi. ‘Omnes, inquit, ignari omnium rerum nascuntur, & antequam veram vivendi rationem noscere & virtutis habitum acquirere possint, Magna ætatis pars, etsi bene educati fuerint, transit; & nihilominus interim vivere tenentur, seque quantum in se est conservare; nempe ex solo Appetitus impulsu; quandoquidem Natura iis nihil aliud dedit, & actualem potentiam ex sana vivendi ratione denegavit. Quapropter non magis ex legibus sanæ mentis vivere tenentur, quam felis ex legibus naturæ leoninæ. Ut egregiâ hanc conclusionem stabiliat, ‘Hominem non magis ex legibus sanæ mentis vivere teneri, quàm felis tenetur vivere ex legibus naturæ leoninæ; hæc proponit falsissima præmissa. 1. Naturâ hominibus vivendi potentiam ex sana ratione denegasse. Quid sibi velit *per actualem potentiam* nescio; potentiam sane habet secundum rationem sanam vivendi, quam poterit, ut consentiunt plerique, libere, si velit, in actum deducere. 2. Falsum præmittit, Naturam hominibus nihil aliud dedisse, quam solum Appetitus sensitivi impulsu: fatentur enim sani omnes & sapientes, Naturam etiam Rationem hominibus impertisse, quæ Appetitui sensitivo imperaret. 3. Recens natos teneri vivere & se conservare. 4. Magnam ætatis partem transire, antequam veram vivendi rationem noscere possint. Quæ item falsa sunt. Vitam enim Infantium & recens natorum non fidei

sunt,

luz, sed parentum fidei commisit Naturæ Autor: quibus etiam Naturales inſevit *coſyās*, quos etiam videmus per totum terrarum orbem non ſuis viribus, ſed cura parentum, ubique conſervari & defendi. Iidem parentes ex iisdem *coſyās* curant, ut ſit in filiis à ſe natis mens ſana in corpore ſano; & donec ex ſe adoleſcat vera reſtaque ratio, quæ ex ipſa infantia proficit ſemper, magis magisque indies matureſcit, ad ſalubrium rerum patientiam liberos cogunt, & ſalubria iisdem inculcare ſolent ſtudia. Hoſ proli neceſſarios affectus creavit in parentibus benignus Naturæ humanæ autor, educator, & deſenſor, ſummus Deus, Opt. Max. Ex tot falſis igitur præmiſſis non mirum eſt ſi falſiſſimam audax Philoſophus eliciat concluſionem, mirum tamen non interim animadvertiſſe, ſe maniſeſtè contradiccionis reum, qui Hominem rationalem conceſſerit eum qui ſolo irrationali & bruto appetitu, nullatenus ex Ratione (à qua tamen denominatur Rationalis) gubernetur. Ego ſane tam crediderim Hominem ideo creatum ut Beſtiis inſerviret, quam credam Rectam Rationem, nobilem illam & imperatricem in homine facultatem, ideo nobis à Deo inſitam ut à brutis affectibus abriperetur, & concupiſcentiis obediret.

Sanctum etiam Apoſtolum in partes ſuas trahere voluiſſe viſus eſt. *Is, inquit, ante Legem, hoc eſt quandiu homines ex Natura imperio vivere conſiderantur, nullum peccatum agnoſcit.* Edat jubemus quem innuit Textum, & facile reſpondebimus. Neque enim ſibi ipſi contradixiſſe credendus *ſubinde*, qui expreſſe contendit omnes omnino homines, inexcufabiles eſſe & peccato obnoxios, eoſque qui ſine lege peccarunt, id eſt contra humanam rationem & rectam conſcientiam, eos ſine lege latè perituros.

**Num.7. Sententia Veterum iis Adverſariis qui non per ſe colendas eſſe Virtutes volunt, ſed ex Utilitate Officia metiuntur.**

Sane veterum omnium Philoſophorum ſententiam iis adverſari, qui Officia omnia Utilitate metienda affirmabant, ex uno *Cicerone* abundè confirmari poterit. *Hope-*  
(lum)

6 stum (Ita Cicero de Fin. 2.) id intelligimus, quod tale  
 7 est, ut detracta omni Utilitate, sine ullis præmiis fru-  
 8 ctibusque per seipsum possit jure laudari. Quod quale  
 9 sit non tam definitione quam communi omnium judicio,  
 10 & optimi cujusque studiis atque factis, intelligi possit;  
 11 qui permulta ob eam unam causam faciunt, quia decet,  
 12 quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consecutu-  
 13 rum Emolumentum vident. Homines enim, etsi multis  
 14 aliis, tamen hoc uno à Bestiis plurimum differunt, quod  
 15 Rationem habeant à Natura, mentemque datam & acrem  
 16 & vigentem, celerrimeque multa simul agitantem, &  
 17 (ut ita dicam) sagacem, quæ & causas rerum & conse-  
 18 cutiones videat, & similitudines transferat, & disjuncta  
 19 conjungat, & cum præsentibus futura copulet, omnemque  
 20 complectatur vitæ consequentis statum. Eademque ratio  
 21 facit hominem hominum appetentem, cumque Naturâ  
 22 sermone & usu congruentem, ut profectus à Charitate  
 23 domesticorum longius currat, & se implicet primum ci-  
 24 vium, deinde omnium mortalium societate, atque (ut  
 25 ad *Archytam* scripsit *Plato*) non sibi se soli natum me-  
 26 minerit, sed patriæ, sed suis, ut perexigua pars ipsi re-  
 27 linquatur. His initiis inducti omnia vera diligimus, id  
 28 est fidelia, simplicia, constantia: tum vana, falsa, fal-  
 29 lencia odimus, ut fraudem, perjurium, malitiam, inju-  
 30 riam. Eadem ratio habet in se quiddam amplum & ma-  
 31 gnificum, ad imperandum, magis quam ad parendum  
 32 accommodatum, omnia humana non tolerabilia solum sed  
 33 & levia ducens. &c. *ib.* Et paulo post, de *Epicuro* ver-  
 34 ba faciens, 'Philosophus, *inquit*, nobilis à quo non so-  
 35 lum *Grecia & Italia*, sed etiam omnis *Barbaria* commo-  
 36 ta est, Honestum quid sit, si id non sit in Voluptate, ne-  
 37 gat se intelligere: nisi forte illud quod multitudinis ru-  
 38 more laudatur. Ego autem hoc turpe esse sæpe judico.  
 39 Et si quando turpe hoc non sit, tamen non esse non tur-  
 40 pe, quod id à multitudine laudetur. Quod si sit ipsum  
 41 perfectum & laudabile (quod multitudinis rumore lau-  
 42 datur) non ob eam causam tamen illud dicit Honestum  
 43 esse, quia laudetur à multis; sed quia tale sit, ut vel si  
 44 ignoarent id homines, vel si obmutuissent, pulchritu-  
 45 dine suâ tamen esset specieque laudabile. Itaque idem,

(Epicurus scilicet) naturam victus, cui resisti non potest, dicit  
 a ioco non posse iucunde vivi, nisi etiam honeste.  
 Quid nunc honeste dicit? idemne quod iucunde?  
 Ego ita; non posse honeste vivi nisi honeste vivatur. An  
 nisi populari fama? sine ea igitur iucunde negat posse vi-  
 vere? Quid turpius quam sapientis vitam ex inipienti-  
 tium sermone pendere? Atque ejusdem generis addit  
 ibidem Cicero, quibus probavit, aut in explicabilem esse  
 Epicuri doctrinam, aut honestum aliquod illum sapius po-  
 nere, quod sit per se sua vi, sua natura, sua fonte lauda-  
 bile. Deinde non ita multo post, praeclaras honesti spe-  
 cies sive instantias ponit, quibus eandem confirmet do-  
 ctrinam. Finge, inquit, non solum collidum eum, qui  
 aliquid improbe facit, sed etiam praepotentem, ut Mar-  
 cus Crassus facit, qui tamen solet uti suo bono; ut ho-  
 die est noster Pompeius, cui recte facienti gratia est ha-  
 benda: esse enim quamvis velit iustus, iniquus poterat  
 impune. Quam multa vero injuste fieri possunt, quae ne-  
 mo possit reprehendere? Si te amicus tuus moriens ro-  
 gaverit, ut hereditatem reddas suae filiae, nec usquam id  
 scripserit, ut scripsit Fadus, nec cuiquam dixerit: Quid  
 facias? Tu quidem reddes. Ipse Epicurus fortasse red-  
 deret. Sed ego ex te quaero, quoniam idem tu certe  
 fecisses; Nonne intelligis eo majorem vim esse Natu-  
 rae, quod ipsi vos, qui omnia ad vestrum commodum &  
 voluptatem referatis, tamen ea faciatis, e quibus appa-  
 reat non voluptatem vos sed officium sequi? Plusque re-  
 stant naturam quam rationem pravam valere? Si scie-  
 ris, inquit Carneades, aspidem occulte latere usquam, &  
 velle imprudentem aliquem super eam assidere, cuius  
 mors tibi emolumentum futura sit, improbe feceris, nisi  
 monueris ne assideat; sed impune tamen, fuisse enim  
 quis arguere possit? Sed nimis multa: perspicuum est  
 enim nisi veritas, fides, iustitia proficiantur a natura,  
 & si haec omnia ad utilitatem referantur, virum bonum  
 non posse reperiri. Sed de his rebus satis multa in nostris  
 de rep. libris sunt dicta a Laelio.

Opiniones sine Epicureorum, qui utilitatis & voluptatis  
 causa omnia faciendi statuebant, semper communi ho-  
 minum existimatione sunt condemnatae. Quas etiam hoc  
 ipso

ipso argumento, eodem secundo de Fin. sic redarguit Cicero,  
 ' Dic in quovis conventu te omnia facere ne doleas : si ne  
 ' hoc quidem satis ample, satis honeste dici putas ; dic te  
 ' omnia & in illo magistratu, & in omni vitâ Utilitatis  
 ' tuz causâ facturum, nihil nisi quod expediat, nihil de-  
 ' ni que nisi tuâ causâ. Quem clamorem concionis, aut  
 ' quam spem consulari ejus, qui tibi paratissimus est, fu-  
 ' turam putes ? Eamne rationem sequare, qua tecum ipse,  
 ' & cum tuis utare, p. ostendi autem, & in medium pro-  
 ' ferre non audeas ? At vero illa, quæ Peripatetici, quæ  
 ' Stoici dicunt, semper tibi in ore sunt in judiciis, in Se-  
 ' natu. Officium, Dignitatem, Æquitatem, Fidem, recta, ho-  
 ' netta, digna imperio, digna populo Rom. &c. loquens. Si  
 ' vultum tibi, si incessum fingeres, quo gravior viderere, non  
 ' esses tui similis. Verba tu fingas, & ea dicas quæ non  
 ' sentias ; aut etiam ut vestem, sic sententiam habeas ali-  
 ' am domesticam, aliam forensem ; ut in fronte Ostentatio  
 ' sit, intus veritas occultetur, vide quæso rectumne sit.  
 ' Mihi quidem ex veræ videntur opinionones, quæ honestæ,  
 ' quæ laudabiles, quæ gloriosæ, quæ in senatu, quæ apud  
 ' populum, quæ in omni cætu concilioque proferendæ  
 ' sint, ne id non pudeat sentire, quod pudeat dicere.  
 Deinde aliud ex communi Amicitiz Notione deducit, quæ  
 notat *amicum amandum esse propter ipsum* ; *Amareq;* esse  
 bene velle amico, etiam si ad se nihil redeat : nihilque ab-  
 surdus pronuntiat, quam manere tamdiu solummodo A-  
 micitiam, quamdiu sequetur utilitas ; Utilitatemque A-  
 micitiam constituere plane & tollere.

De Stoicorum sententia sic Cato apud Ciceronem, de Fi-  
 nib. 3. ' Placet his, inquit, quorum ratio mihi probatur,  
 ' simulatque natum sit Animal, ipsum sibi conciliari &  
 ' commendari ad se conservandum, & ad suum statum, &  
 ' ad ea quæ sunt conservantia ejus status diligenda : alie-  
 ' nari autem ab interitu, iisque rebus quæ interitum vide-  
 ' antur afferre. Pertinere etiam ad rem arbitrantur intel-  
 ' ligi, Naturâ fieri ut liberi à parentibus amentur ; à quo  
 ' initio profectam communem humani generis societatem  
 ' persequimur. Quare ut perspicuum est natura nos à do-  
 ' lore abhorrere ; sic apparet à natura ipsa impelli, ut,  
 ' quos genuerimus, amemus. Ex hoc nascitur, ut etiam

communis hominum inter homines naturalis sit com-  
 mendatio; ut oporteat hominem ab homine, ob id ip-  
 sum quod homo sit, non alienum videri. Ut enim in  
 membris alia sunt tanquam sibi nata, ut oculi & aures;  
 alia etiam cæterorum membrorum usum adjuvant, ut  
 crura, ut manus; sic immanes quædam bestię sibi solum  
 natę sunt. At illa quę in conchâ parulâ pinna dicitur;  
 isque qui enatat e chonchâ, quique quod eam custodiat  
 Pinnoceres vocatur, in eamque cum se recipit inclu-  
 ditur, ut videatur monuisse, ut caveret. Itemque for-  
 micę, Apes, Ciconię, aliorum etiam causâ quædam fa-  
 ciunt. Multo magis est hæc conjunctio hominis: ita-  
 que natura sumus apti ad Cætus, Concilia, Civitates.  
 Mundum autem censent regi Numine Deorum; eum-  
 que esse quasi communem urbem, & civitatem homi-  
 num & Deorum: & unumquemque nostrum ejus mun-  
 di esse partem. Ex quo illud naturâ consequitur, ut  
 communem utilitatem nostrę anteponamus. Ut enim  
 leges omnium salutem singulorum salutem anteponunt; sic  
 vir bonus & sapiens, & legibus parens & civilis officii  
 non ignarus, utilitati omnium plus quam unius ali-  
 cujus aut suę consulit. Nec magis vituperandus est  
 proditor patrię, quam communis utilitatis aut salutis  
 desertor, propter suam utilitatem aut salutem. &c. *ib.*

Cicero item (*Epistol. famil. lib. 7. epist. 12*) sic C. Trebatio  
 Epicureo facto principiorum Epicuri infociabilitatem ex-  
 probat. "Indicavit mihi Pansa meus Epicureum se esse  
 factum. O castra præclara! &c. Sed quonam modo jus  
 civile defendes, cum omnia tuâ causâ facies, non ci-  
 vium? Ubi porro erit formula fiducię, **INTER BO-  
 NOS BENE AG!ER?** Quis enim est bonus qui fa-  
 cit nihil nisi suâ causâ? Quod jus statues *communi di-  
 vidundo*? Cum commune nihil possit esse apud eos,  
 qui omnia voluptate suâ metiuntur. Quomodo autem  
 tibi placebit *Jovem lapidem* jurare? cum scias *Jovem*  
 iratum esse nemini posse? Quid porro fiet populo *Ulu-  
 brano*, si tu statueris *πολιτείας* non oportere?

Contra autem eorum Hypothésin, qui Nuntias esse leges  
 asserunt, nisi conditas; Condi autem non posse, donec de  
 legislatore aliquo deputando conventum fuerit: Ipsas  
 etiam

etiam communi civium consensu conditas leges, nullam vim obligandi habere præter eam solam quam à publico nactæ sunt gladio : Nullasque esse naturæ leges, quæ æp justitiam, æquitatem, fidem obligent, & cætera hujusmodi defendunt paradoxa ; quod hac tempestate fecit *Hobbius*, & *Hobbiani* adhuc faciunt ( vid. *Leviathan*, p. 1. c. 13. & alibi passim ) & olim tortè *Epicurus* tuebatur, *Marcus* apud *Ciceronem* ( *de legib.* 1 ) quasi expressè edisserit. ‘ Si Justitia, inquit, sit obtemperatio legibus scriptis, institutisque populorum, & si, ut iidem dicunt, utilitate omnia metienda snt ; negliget leges, easque perumpet, si poterit, is qui eam rem fructuosam sibi putabit fore. Ita fit ut nulla omnino sit Justitia, si neque natura est ; & ea quæ propter utilitatem constituitur, utilitate eâ sublata convellitur. Et paulo infra : Si, inquit, populorum jussis, si principum Decretis, si sententiis judicum, jura constituerentur ; jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur. Sequitur igitur, ut conclusa jam mihi hæc sit omnis Ratio & jus : Omne honestum sponte suâ esse expectandum, & per propterque se colendas virtutes. [ Hic obiter notandum philosophos generaliter, exceptis saltem *Stoicis*, quoties per se colendas virtutes dixerunt, eas non propter adjunctas in hac vita utilitates, honores aut divitias, colendas intellexisse, sed propter Bonum Virtutibus ipsis intrinsicum, propter voluptatem puta ipsis propriam & semper iis per totam usque vitam coherentem, & bonam de futura post hanc vitam felicitate in ipsa morte spem. ] ‘ Ubi sancta Amicitia ( sic ibidem expatiatur *Cicero* ) si non ipse Amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur ? Qui etiam deserendus est & abjiciendus desperatis emolumentis & fructibus ? Quod si amicitia per se colenda est, Societas quoque hominum, & Equabilitas, & Justitia per se expectanda. Quod ni ita est, Justitia nulla est. Id enim injustissimum ipsum est, Justitiæ mercedem quærere. Quid verò de Modestia ? Quid de Temperantia ? Quid de Continentia ? Quid de verecundia, Pudore, Pudicitiaque dicemus ? Infamiæ metu non esse petulantes, an legum,



gum & Judiciorum? Innocentes ergo, & verecundi sunt, ut bene audiunt; & ut rumore bonum colligant, erubescunt, & pudet impudica loqui? Ac meistorum Philoſophorum pude, qui nullum vitium vitare nisi Judicio ipſo mulctatum putant. *Cicero ibidem.* Nemo Justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeat timent; aut qui ea quæ sunt contraria æquitati anteponit. *Off. 1.* Error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile visum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto: hinc sicæ, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur; hinc furta, hinc peculatus, expilationes, direptiones soliorum, & Civium; hinc opum nimiarum potentia non serena, &c. *Lib. 3 de Off. p. 116.*

— Ambigua si quando citabere testis,  
 Incerteque rei, Phalaris licet imperes, ut sis  
 Falsus, & admoso dislet perjuriam lauro;  
 Summum crede nefas Animam præferre Pudori,  
 Et propter Vitam vivendi perdere causas.

Juvenalis Satyr. 8.

Polybius ωὶ, inquit, δαξῦν οἱ γράσοι ἤ ἀνδρῶν, ἔχοντι ἔχ' ἡστ' ἰδίας παύσας ἔστιν ποσὶν τῶ καὶ δίκων. *Polyb. lib. 4.* Idemque ex Philoſopho Pythagorica affirmat *Iamblichus.* Nemo usquam, imo neque *Hobbius* ipse, legum justitiæ & Rerump. bene constitutarum commoda atque utilitates insignes melius expressit, quam *Calcidensis* ille Philosophus: nemo melius *Ἀναρχίας* pericula & incommoda delineavit. v. *Protrept. c. 18.* Animadvertit tamen eximius veteris Philosophiæ Myſta Justitiæ cæterarumque virtutum Appetibilitatem ab adjunctis externis hujusmodi commodis non prorsus dependere: sique etiam horum ratione desiderari deberent, & studiis gnaviter excoli, pulchriorem & intimiorem esse Amabilitatis virtutum & desiderii causam: *χαρὶς ἢ τῶν, inquit, αὐτῶν δι' αὐτὸ ἀρετῶν ἐστὶ τὸ δίκαιον, καὶ οὐστ' ἔχον αὐτὸ ποσὶν, καὶ μὴ ἐν ἑν ἡστ' ἔχον τῶν, καὶ ἔλαττόματα πνα συμβαλῶν ἀνθρώπων, δικαιομερῶν ἀξίων.* *Iambl. Protrept. cod. cap.* Sine his ipsa, inquit, per se appetibilis est Justitia. Quippe natura ipsa ad eam nascitur,

um. Atque ideo, licet nihil extrinsecus adquiratur, accidantque humana aliquot dispendia, juste tamen facere debet. Concluditurque, cap. proxime sequenti, perpetuam Monarchiam (si cui competat) cum potestate omnia ad libitum faciendi, sine Justitiæ sensu, cum externis Justitiæ, iisque maximis, quæ supponi possunt, commodis, reverà malum esse, & vitæ statum despiciatū habendum. V. cap. 19. ib.

**Num 8. Ubi disquiritur, quanam inter veteres Philosophos & Novatores de Fine & Principiis Actionum Moralium, sit discrepantia: contra Novatores legum Naturæ existentia defenditur: Antiquior Carneadis, recens Thomæ Hobbii, Anonymi Theologopolitici, aliorumque Hobbianorum Hypotheses convelluntur.**

Convenit puto inter omnes tam veteris quam novæ Philosophiæ professores, bonum verum vere finem esse actionum omnium, & proinde Moralium. *Bonum & finis* (ut Peripateticorum scholis dici solet) convertuntur. Bonum verum & quod cogitari potest summum, in fruitione ejus quod volupe est, & quod Naturæ convenit, & in mali absentia, consistit. Status enim tranquillitatis & Indolentiæ, hoc est, mali absentia & perpetuæ plenæque voluptatis fruitio, non solum beatitudinis humanæ flos est & fastigium, sed omnis omnino quæ homini competere poterit felicitatis *Σύνησις* & complexio. Quicquid igitur aut ad indolentiam facit aut ad voluptatem, rationem boni habet.

Indolentiam hanc voluptatisque fruitionem nulli naturaliter competere nos cum veteribus asserimus, nisi qui practica Naturæ dictamina sit securus, huic autem omnium maximè competere. Dicimus nos naturam nobis notiones aliquas ingenerasse ita homini connatas, ita menti insitas,

ut earum homo rationalis (si recte perpendat) non alium possit agnoscere autorem, quam ipsum sui ipsius conditorum. Has dicimus adeo nobis in practicis esse conspicuas, quam sunt in speculativis illæ, *Quodlibet est, vel non est: Non entis nulla sunt actiones*; Ita ut quemadmodum harum veritatem statim re proposita, sic illarum honestatem, cognoscamus: dicimus notiones hasce directrices morum, hæc practica principia honestarum actionum esse normas, per quas ad finem voluptatem, tam in statu quam in motu positam, recta contenditur.

Hæc si suo sensu interpretari Novatores permittamus, non magnam fortean litem movebunt. Ultra sanè intra utriusque partis dogmata pax fieri & Amicitia nequit. Unicum quippe statuunt Originarium Naturæ dictamen, ut sibi quisque singulari facto, se scilicet conservando, proficit. Et proinde tales morum Hypotheses delineant, quibus neminem ad aliud obligari volunt, quam quod ab unico hoc *sui conservationis principio* derivari possit. Ita ut lædere Innocentes, fidem frangere, prolem destituere, ingratum se ferre, factu sint honestiora, quam à noxa inferendâ abstinere, aliudve facere, aut à quopiam cedere, quo ipse incommodetur.

Volunt semper id quod nostrâ interest Officio cuicunque in alios præponi; Naturamque ipsam sive naturalem conscientiam (quam ceu fictam quandam Chimæram, magis obstinatis indoctorum opinionibus receptam, quam realiter uspiam existentem, contra communem hominum sensum audacter pronuntiarunt) nihil dictare propter se bonum vicini causâ faciendum, nec primo dictare alterius hominis gratia à quopiam esse abstinendum maleficio. Sane mihi videntur paradoxam illam sententiam amplexi, quam Epicureis adscribit Antiquitas: quorum mentionem faciens *Galenus*, ubi de Naturalibus facultatibus scribit, *Lib. 1. cap. 12.* 'Ex eorum, inquit, sententiâ nulla est intelligentia animæ congenita, nec ulla omnino ratio est rerum justarum injustarumque, honestarum & turpium; sed sensu & per sensum fieri dicunt in nobis omnia. Aut forte *Carneadis* Cramben magnâ ex parte recoxisse honori sibi fore censent; qui primus post *Epicurum* audaci nimis, sed sceptica (ingenii ostentandi causâ) disputatione sustinebat, 'Jus Naturale esse nullum; sed jura sibi homines,

' pro Utilitate sanxisse, omnes & homines & alias animan-  
 ' tes ad Utilitates suas naturâ ducente ferri; & proinde  
 ' aut nullam esse justiciam, aut (si sit aliqua) summam esse  
 ' stulticiam: quoniam sibi noceret, alienis commodis  
 ' consulens. Ita Disputationis capita recensuit *Lactanti-*  
*us, lib. 5. c. 18.* Quam (ut creditur) disputationem Romæ  
 habuit vir doctus, Academicâ utens disserendi libertate,  
 non ex animo disputans. Quod advertisse videtur *Quinti-*  
*lianus, lib. 5. c. 1.* ' Neque, *inquit*, Academici cum in  
 ' utramque disserunt partem, non secundum alteram vi-  
 ' vunt. Nec *Carneades* ille qui Romæ, audiente *Catone*  
 ' Censorio, non minoribus viribus contra Justiciam dicitur  
 ' disseruisse, quam pridie pro justitia dixerat, injustus ip-  
 ' se vir fuit.

Quod autem reverâ sint præter *φιλανθρίαν*, Utilitatem,  
 aut sui Conservationem, morum principia, prima & origi-  
 nalia, naturalisque conscientiz, quæ nos primo obligent,  
 Anticipationes & distamina practica (qualia nos infra  
 describimus) argumento est primo. Quod nisi ejusmodi  
 essent principia sentiret homo sibi licere, & ad viri boni &  
 sapientis Officium spectare, ob procurandam suam utili-  
 tatem voluptatemve, horum inem spoliare, rapere, occide-  
 re innoxium. Hac morum stante Hypothesi, damnandum  
 dare, & non dare quodcumque & cuicumque, facinora es-  
 sent æque per se licita & ad praxin indifferentia: qui pro-  
 lem occideret suam, & qui educaverit, æque uterque jus-  
 tus, æque Naturæ legibus absolutus: Ingratus & fidem  
 violans nihil se contra honestatem aut bonos mores facere  
 imo corde exultinaret, si impune hujusmodi patrari possint  
 facinora; sin commoditas inde emerferit, haberet cur se  
 sapientissimum & optimum censeret. *Prosperum & felix*  
*scelus* non solum *vocaretur virtus* (quod pro vitio temporum  
 & assentatorum adulatione sæpius contigit) sed revera vel  
 ingens scelus, eo quod prosperum ac *felix* sit, virtus eva-  
 deret.

Multos tamen esse comperimus, qui non timent poenam,  
 aut consecuturum aliquod sibi ob male facta dispendium,  
 aliunde quam per cognitiones ab his notionibus derivatas,  
 quibus tamen inhonesta censentur, & propter malas &  
 suspectas consequentias molesta sunt cogitatu, incentu,  
 factu, hujusmodi flagitia. Y. Nemo

Nemo Deum timere potuit puniturum ob commissâ, quæ nullâ ipsius lege sunt prohibita, quæque credit Deum permisisse, atque inter honesta reputasse. Cur metuat quis, ne propter itiusmodi facta puniatur, cui non subolet se quoquo modo esse ad contraria obligatum? Nemo Gentilium naturæ lumine potuit percipere Deum quicquam velle, nisi illud noverit ex anticipationibus naturalibus, sive di&minibus conscientiæ, & sensu legis cordibus divinitus inscriptæ.

Ex quibus præmissis fidenter satis quis posset concludere, quod potenz a Deo inferendæ metus hunc Obligationis sensum, eorum saltem mentibus imprimere nequivit, qui nullas naturæ de Innocentiâ, fide, gratitudine leges Originarias, & quæ non ab utilitate deriventur, perceperunt.

Plurimi tamen sunt qui Vindictam timent Divinitus, humanam non reformidant. Sæpius enim ita astutè, ita subdole patrat scelus, ut lateant nihilominus sceleris auctores. Sæpe per fugam ultionem evitant, qui copiis & militum satellitio sunt destituti. Potentiores vero, quibus (ut de *Pompeio Magno* rectè dixit *Cicero*) si rectè fecerint gratiæ sunt habendæ (esse enim quamvis velint iusti, iniqui poterant esse impune) supra vindictam sunt; & si non corrupto iudice, saltem bello se tuentur, & à noxa vindicant. Ita mille artes rationesque sunt, quibus humana eluditur vindicta.

Conscientiæ autem verbera cum & humiles, qui latere poterunt & subterfugere vindictam, Regesque & hominum potentissimi sentire soleant (ut ex omnium temporum historia notum est) mentem humanam ex conscientiæ lumine & notitiis innatis ab huiusmodi nequitiiis deterreri, validissimum mihi videtur argumentum.

Secundo, sic ab absurdo contrario argumentamur. Si nulla sit, nisi quam fecerit utilitas, ad iusticiam Obligatio, nullus existere possit casus, in quo quis ad aliquid omnino necessariò obligetur. Nemo enim necessariò obligatur ad utilitatem suam. Quia iuste quisque poterit ab ea recedere & iuri suo commo&isque propriis quibuscunque pro arbitrio renuntiare, ut *infra* conclusum videri possit. Si autem commodis suis renuntiare quis possit, nec ad aliud obligemur quam ad commoda, ergo omnia, ad quæ obligamur,

obligamur, abjicere & vilipendere fas est & possibile; Naturæque lex, quæ indispensabilis dici solet, non alium nectit nodum, quam qui à quopiam pro libitu solvi & laxari possit. Nec qui à propriis cessit bonis, quamvis imprudens fortean, injustus aut impius usquam audit.

Tertio, nulla mihi suppetit ratio, cur Ethnicis minds fidem adhiberem, sensum horum dictaminum à *φιλανθρία* distinctum in se fatentibus. Neque enim dubitavit Apostolus, *spiritum hominis qui in eo est, ea cognoscere quæ hominum sunt*: præsertim cum nullum omnino urgeant argumentum, quo se tueantur, quibus adversaria placet sententia. Volunt omnia morum phænomena per Utilitatem debere resolvi, etiam remotâ conscientiz ex innocenter, fideliter, aliasque julte factis voluptate. Ego autem non capio, quo modo Titio non sit commodum, cum certissimè latere possit, Patrem ire occisum, adeoque ex ista Hypothesi honestum; ut sic in hæreditatem succederet: sic enim bona jure optimo appetibilia citissime acquireret. Cum autem hujusmodi facta non sinat mens, aut saltem sine dolore non sinat, abundè liquet, tam aliis quàm mihi ipsi à Conscientiâ esse consultum; eâque ratione, in unoquoque posita esse à naturâ dictamina, ut non modo officia sui gratiâ faciendâ, sed in humani generis commodum, eadem effectrice, instituantur. Qui enim nos, ad felicitatem propriam ut ordinaremus actiones, instruxit, idem naturæ Genius & Pater non quoquo modo eam indipiscendam voluit; verùm sic ut omnium utilitati hæc Institutio conduceret. Non privatam hominibus commendavit beatitudinem, sed privatam communi conjunctam. Voluit (ut *Ciceronis* verbis utar) *ut eadem sit Utilitas uniuersusque & uniuersorum*, unaque contineantur omnes & eadem lege naturæ, quæque taliâ contineat placita, qualia modo describimus. Qui enim finem præmonstravit, etiam viam ad propositum finem constratam, à quâ quicumque aberraret consequi non possit scopum (illustres de justo & injusto anticipationes inferendo, & suspicionem futuri iudicii ingenerando) visus est indicare.

**Num. 9.** Samuelis Puffendorffii, *Professoris in Jure naturæ apud Regem Sueciæ, fundamenta Ethica examinantur; cum veterum Hypothesi, tam a nobis, quam a doctissimo Cumberlandio explicata & confirmata, comparantur.*

Veteres (si recte intelligo) quoties ab uno aliquo principio Universitatem Officiorum deducere voluerunt, studium Boni communis simul cum privato conjuncti primum illud atque universale principium posuerunt. Ita Cicero, *de Offic.* 3. 'Unum, inquit, debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusque & universorum: quam si ad se quisque rapiat, dissolvitur omnis humana consociatio. Atque si etiam hoc natura præscribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam quod is homo sit, consultum velit, necesse est secundum eandem naturam omnium Utilitatem esse communem. Quod si ita est unâ continentur omnes & eâdem lege Naturæ. Idque ipsum si ita est, certe violare alterum jure Naturæ prohibemur. Hanc veterum Hypothesin secutus noster noviter *Cumberlandius* eandem secundum Naturam esse nervose demonstravit; validissimis enim argumentis comprobavit communem felicitatem, simul cum privatâ bonorum omnium Beatitudine, ex observatis communibus de Innocentiâ, fide, Gratitude, *φιλανθία*, & cæteris ex nostra Collectione principiis posse, aliter vero non posse obtineri. *Hobbius* contra à studio non Boni communis, nec communis cum privato conjuncti, imò nec universaliter ex studio boni privati, sed à studio boni privati singularis, sui scilicet conservandi, omnia Naturæ Officia deduci voluit. Obscurus est qui jam ultimo scripsit *Puffendorffius*, utri eorundem inhæreat Hypothesi: Latiora enim fere ponit *Honesti Phenomena*, quam quæ à sui conservatione possent deduci, aut per eam resolvi;

& cæ

& tamen videtur principiis magnâ ex parte *Hobbiano* inhzere. Ego cum tam ex naturæ ipsius humanæ contemplatione, quam ex Sacris Divinarum literarum, aliorumque doctorem scriptis, in ea sim sententiâ, ut leges Naturæ singulares de Innocentia, Fide, Gratitude, &c. primario innasci conscientis hominum crediderim, non anxie putavi contendendum, ut, si fieri possit, omnes Naturæ leges ex uno deducantur principio. Videmus enim Idiotas indoctosque viros honesta esse, quæ nos proponimus, sponte suâ, idque statim, non longo argumentorum tractu compulsos, fateri. Imo si quid erravit *Puffendorffius*, causa erroris, ut mihi videtur, hæc est, quod ineruditi putaverit non omnia honestatis *Phænomena* ab uno aliquo principio derivare. Ulterius enim ut extenderet Obligationem, quam extendit *Hobbins* & vulgo Athei, socialitatem primum & purum fundamentum posuit. Quia alias si intra principium *sui conservacionis*, vel *privata utilitatis* Honestatem continuisset, Obligationem Naturalem non potuisset extendere ad confessâ Officiorum in vitâ Communi *Phænomena*; sed ubi è re essent hujusmodi flagitia, necesse habuisset statuere Innocentes esse lædendos, fidem fallendam, prolem destituendam, aut etiam extinguendam, & similia esse perpetranda. Mirum tamen est tam desultorio esse virum doctissimum ingenio, ut in uno eodemque capite ad tam diversas transiliat Hypotheses, nec in una aliquâ firmiter hæreat. *Lib. 2. cap. 3. §. 15.* ubi legis Naturalis fundamentum expiscari voluit, imprimis ponit. ‘Hominem esse animal sui conservandi studiosissimum, per se egenum, sine sui similium auxilio servari ineptum, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum, idem tamen sæpe malitiosum, petulans, & facile irritabile, & ad noxam inferendum promptum & validum. Eiusmodi animali ut salvum sit, necessarium esse ut sit sociabile. Si vero, ut *salvum sit* Animal Rationale, *sociabile* esse debeat, primum fundamentum non est sociabilitas, sed *sui conservatio Hobbiana*, quâ scil. *Homo salvus sit.*

Verum à Principio sui conservandi statim se retrahit. §. enim 16. ‘Cavendum, *inquit*, vehementer est, ne quis inde concludat, ubi quis salutem suam in tuto collocasse sibi



sibi visus fuerit, non esse quod aliorum etiam rationem  
 habeat; aut illi pro lubitu posse insultari, qui ad sa-  
 lutem meam nihil confert, vel eidem laudendae non sa-  
 tis habet virium. Hic plane *Hobbius, Theologopoliti-*  
*onum*, aliosque ejus fursuris Philosophos deserit, nec à  
 studio sui conservandi vult omnia derivari Honesti Officia.  
 Esto igitur, cum hæc sit Officiorum Phænomenon Hypo-  
 thetis Fundamentalis Naturæ Lex, quam proponit, §. 15.  
*Cuiuslibet homini conservandam esse pacificam adversus alios*  
*socialitatem*, caveat jam vir doctus, ne quæ posuit ite-  
 rum transfiliat fundamenta. Qui enim principia ponit  
 disciplinæ superstruendæ, talia ponere debet, quæ non  
 sint structuræ superædificandæ nimis angusta. Dum au-  
 tem Legum Naturæ, adeoque Ethicæ Politicæque funda-  
 mentum ponit *socialitatis appetitum*, posuisse fundamen-  
 tum visus est, moribus ad honestatem necessario (se etiam  
 iudice) spectantibus inadæquatum. Quod an verum sit,  
 exemplo ex ipsius scriptis desumpto iterum experiendum.  
 Eadem Paragrapho hanc proponit speciem. ‘Si foret, in-  
 quis, Populus aliquis internam inter se pacem & Amici-  
 tiam colens, tantisque pollens viribus, ut reliquis omni-  
 bus queat esse formidabilis, adeoque ab aliis laudendis  
 haud quicquam isto metu reprimatur, ne fors sua in ipsum  
 exempla recidant: & tamen populus in alios imbecil-  
 liores pro lubitu grassaretur, ageret, raperet, occideret,  
 in servitutem abstraheret alios, prout sibi expedire judi-  
 caret, utique ab hoc directe jus Naturæ violari dicemus.  
 Et poterat tamen ille (quod, *inquis*, supponimus) se con-  
 servare, etiamsi fors nullum jus adversus alios adhibere.  
 Sociabilitatem hic cives suppositi poterunt exercere, imò  
 & se conservare, & Utilia sibi omnia, quod supponit *Puf-*  
*fendorffius*, possibilia procurare. Si igitur sociabilitas, aut  
 sui conservatio, aut privata, vel communis populi Utilitas  
 sint leges naturæ fundamentales, aut altera solummodo ea-  
 rundem sit unica fundamentalis lex, & iusti injustique re-  
 gula; quomodo quæso populum hunc, quem supponit tali-  
 ter vixisse, jus Naturæ violasse arguet, nisi fundamenta  
 transfiliat modo à se posita, & ampliora designet Honestatis  
 Pomæria? Amplianda igitur sunt (Interpretatione saltem  
 vocabuli *sociabilitatis*) principia, atque huic Regule  
 juris

juris Naturæ (vel *Hobbio* aut *Theologopolitico* nolente) ponendæ duz hæ sunt, in Officiorum alias proclinatorum subsidium. Prima est, *Homines minus commoda magis quam aliorum animalium promoveri idoneos, adeoque salutem humanam saluti Brutorum præferri debere.* Egregium *Ætior*, quod humanior forte peregrino non denegaret ( *yclops*. Altera est, *ut homo hominem tanquam cognatum & æqualem habeat.* Quæ quidem bona verba sunt, nisi essent tenebrosa, ambigua, æquivoca: qualia jam omnes (nisi clarâ interpretatione explicentur) non solum à fundamentis philosophiæ sed à tota prorsus philosophia pronuntiant ableganda. Hic enim videri possit ad veterem & communem Hypothesin à Nobis pro modulo nostro, & à doctissimo *Cumberlandio de iensam* descendisse; quæ benevolentiam supponit universalem principiis de Innocentiâ ad innocentes extendendâ, fide servandâ, &c. humani generis commodum spectantibus, factam. Si autem talem benevolentiam supponat homini connatam & principiis ejusmodi regulatam, prima illa concidet Autoris thesis, quâ *Hobbio* secutus *Hominem dixit Animal malitiosum, petulant, ad noxam inferendam promptum*, cum nisi dictis principiis contradicat, nec malitiam & petulantiam exercere, nec noxam inferre possit. Cum enim *Homine homini pro cognato esse habendum* dixerit (quod & apud Jureperitos dici solet) quomodo poterunt naturalis hujus cognationis effectus Naturæ congruenter demonstrari, nisi distincta ponantur principia? Qualia posuerunt veteres philosophi & jureconsulti, & qualia nos ipsi ex veteribus exposuimus; quibus non solum ad sociabilitatem disponimur, sed leges ipsius sociabilitatis, tam ex placitis de Officio Originariis, quam ex doctrinâ de Officiorum comparatione, animis designantur. Nec quid per illam, quam ponit hominum inter se, *æqualitatem* sibi velit, absque ampliori interpretatione à quopiam intelligetur. Sane cum in proverbio dici soleat *Tunica pallio propior, primam Charitatem debere esse domesticam*, ipsum se quemque, prolem suam, parentes suos, consanguineos & concives, cæteris, qui passim occurrunt, hominibus in Officiis & Beneficiis præferre debere; in confesso facile erit hanc non esse planam atque intellectu facilem Regulam, *Omnes prorsus homines æquales esse, & pro æqualibus*

*aequalibus in Officiorum distributione esse tractandos.* Detur omnes cognatos esse, ac dantur (ut omnes norunt) cognitionis diversi gradus, ex quibus diversa oritur Obligatio; aliarque quamplurimæ dantur Circumstantiæ, ex quibus Officiorum diversitas prognascitur. Ideoque aut particularius de principiis iusti & iniusti est inquirendum, quod veteres fecerunt (sicut & nos ex veteribus profecimus) & honesti principia ab Utilitate distincta statuenda sunt; aut ad *Carneadem, Epicurumque* redeundum est; iustitiæque omnis pro stultitia erit reputanda, quæ non poterit ab Utilitate derivari: Fides servanda erit, quandiuv servare eam suaserit Utilitas; aliisque Circumstantiis nec Innocentia erga Innocentes, nec fides erga eos qui fidem secuti sunt, nec Gratitude erga benefactores, nec *ἔλεος* in prolem, nec humanitas in homines generaliter omnes erunt exercendæ.

Nos cum antiquioribus, ut suo loco videbitur, Philosophis, non imprimis ponimus aut supponimus hominem *animal sociabile*, ut ab hac sociabilitate leges Naturæ deduceremus: sed ex principiis communiter confessis & argumentis à priori *hominem sociabilem* concludimus & probamus; eo quod placita naturalia de *Innocentibus non ledendis, de fide servandâ, &c.* conscientiis hominum insequisset Natura, quibus obedire ad conscientiæ tranquillitatem & gaudium, ad privatam & communem utilitatem, ad dignitatem & excellentiam hominis, & ad communem hominum omnium societatem tuendam, spectare asserimus.

Cum autem præcepta hæc seu juris Naturæ placita mentibus hominum impressa esse asserimus, non tamen (quod in nescio quos affinxit *Puffendorpius*) ea statim atque usus sermonis accesserit, citra ulteriorem meditationem, abs homine posse semper exprimi uspiam diximus. Notiones has dicimus cum usu rationis tempestive emergere, cum adolescentibus adolescere, priusque communiter iusta cognosci posse, quam quæ sunt alicujus momenti in acta deduci possint. Certâ ætate tam naturale esse homini supponimus obligationes ad innocentiam, Fidem, Gratitude, proli curam, agnoscere, quam certa ætate proprium est homini pubescere. Neque tamen  
quisque

quique naſcitur pubes. Quod de cæteris artibus dixit *Seneca* ( *de benef. 4.* ) hoc ſane de Ethica naturali ſive arte recte vivendi, magnâ ex parte verum mihi videtur. Neque noſtra, *inquit*, iſta quæ invenimus dixeris; non magis quam quod creſcimus, quam quod ad conſtitutum tempus ſua corpori officia reſpondent. Nunc puerilium dentium lapſus, nunc ad ſurgentem jam ætatem & in robuſtiorẽ jam gradum tranſeuntẽ pubertatẽ, & ultimus ille dies fugienti vitæ terminum ponens. Inſita ſunt nobis omnium ætatum omniumque artium ſemina, magiſterque ex occulto Deus producit Ingenia. *cap. 6.* Parvos cum *Cicerone* fatentur ( *de Fin. 5.* ) primo ortu ſic jacere tanquam omnino ſine animo ſint; cum autem paulum firmitatis acceſſerit, & animo uti & ſenſibus. Eſt enim, *inquit*, naturâ ſic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur: ob eamque cauſam parvi virtutum ſimulachris, quarum in ſe habent ſemina, ſine doctrinâ moventur. Sunt enim prima quædam Elementa Naturæ, quibus auctis, virtutis quali carmen efficitur. Nam cum ita nati factique ſimus, ut & agendi aliquid & diligendi aliquos, & liberalitatis, & referendæ gratiæ principia in nobis contineremus, atque ad ſcientiam, prudentiam, fortitudinemque aptos animos haberemus, à contrariis que rebus alienos; non ſine cauſâ eas in pueris virtutum quali ſcintillulas videmus, è quibus accendi Philoſophi RATIO debet, ut eam quaſi Dæm Duceſſem ſubſequentem, ad Naturæ perveniat Extremum. Nam in infirma ætate, imbecillaque mente, vis Naturæ per caliginem cernitur. Cum autem progrediens confirmatur animus, agnoſcit ille quidem Naturæ vim, ſed ita ut progredi poſſit longius, per ſe ſit tamen inchoata. Intrandum eſt igitur ( *ſic recte jubet* ) in rerum naturam, & penitus quid ea poſtulet pervidendum: aliter enim noſmetipſos noſſe non poſſumus ( quod præceptum, quia majus erat quam quod ab homine videretur, idcirco aſſignatum eſt Deo. Jubet igitur nos *Pythium Apollo*, Noſcere noſmet ipſos ) Cognitio autem hæc eſt una, ut Vim noſtri Corporis animique norimus, ſequamurque eam vitam, quæ rebus ipſis \* perficiatur. Quoniam au-

Z

rem

tem is animi appetitus à principio fuit, ut ea quam perfectissima à naturâ habeamus ; confitendum est, cum id adepti simus, quod appetitum sit, in eo quasi ultimo consistere Naturam, atque id esse summum Bonum.

Et sane causa erroris in secta Novatorum maxima mihi videtur. hæc à *Cicerone* modo animadversa, quod seipfos & Animi præsertim vires novisse non curent ; & in conservanda vita attoniti, vitam interim perficere, id est ad summam excellentiam & gloriam perducere, nullatenus sint solliciti.

Neque etiam sine interpretatione admittendum est (quod asserit *Puffendorfius*, eodem capite) 'Eos contra legem genuina rectæ rationis dictamina eliciendi impigisse, qui credunt sufficiens se legis Naturalis fundamentum constituisse, si dicant honestatem naturalem consistere in concordia rationis & appetitus : cujus honestatis norma sit excellentia & dignitas humanæ Naturæ, & finis ille nobilissimus propter quem videmur à natura in universi hujus possessionem immissi. Nam si maximè sic argumenter, hæc actio congruit cum excellentia & dignitate hominis, ergo est honesta & facienda ; nondum, *inquit*, adeptus sum liquidam & distinctam scientiam, cui mens firmiter queat acquiescere ; sed in obscuro adhuc est in quonam illa excellentia consistat, & quæ causa sit cur illa homini competat.

Respondebunt antiquiores in obscuro non esse, si omnis Natura sit sui conservatrix, animam esse potiorē partem, & sapientes oportere *οὐκ ἐπιχειρῆσαι τὴν ψυχὴν*, ad id quod principale est vitam componere ; & cum Anima corpori infinitis parasangis præter, Tranquillitatem & gaudium mentis omnibus corporis voluptatibus esse præferenda. Sed nolumus hæc repetere, quæ primo de finibus capite uberius disseruimus. *Puffendorfius* forte, sicut & cæteros qui *Hobbio* succumbunt, male habet, quod pura esse de Innocentia ad Innocentes extendendâ, fide servandâ, prole procurandâ, &c. ejusmodi docuimus principi. Non negamus ad sociabilitatem, mutuumque amorem, privatam simul & communem utilitatem hæc facere, sed hæc

hæc omnia potius affirmamus strenue, hisque contendimus præcipue effici (*Ciceronis verbis liceat uti*) *ut eadem sit utilitas uniuscujusque & singulorum.* Intutum tamen censuimus hæc in sola utilitate, aut sui conservatione, aut in sociabilitate ipsa fundare, articulationemque à Conscientia dissecare, ne sic bis peccaremus, & Naturam non sequendo, & Officiorum regulas decubrando.

Sane si, ut prius monui, *Hobbiani* eadem plane nobiscum observarent, sed ex diverso principio, illi scil. ex utilitatis solius, nos ex utilitatis cum honestate conjunctæ consideratione, non multum interesset quæ morum Hypothesis vulgo reciperetur: verum cum sociabilitas præfata non stabilit Innocentiam aut cæteras virtutes, ea amplitudine qua stabilit eas Naturalis Conscientia, nec utilitas eadem ulterius statuatur, quam quousque utiles sint futuræ honestæ actiones, nos præcis adhuc ad hæremus, qui Innocentiam, Fidem, Grati tudinem, *σεπας*, Humanitatem per se Honesta esse definierunt.

**Num. 10. De juris Naturæ fontibus. Quod Societatis appetitus & custodia Naturalis Juris fontes unici non recte statuantur.**

Nos cum veteribus Juris Originem à Deo deduximus, cujus instituto & voluntati se opponere nequimus sine vindictæ nobis infecuturæ gravi suspicione & metu. Hoc enim est *διουμαχία*, quisquis autem *διουμαχίας* aggreditur, is difficillimum sibi constituit Bellum. Naturæ enim secundum Stoicos, *ὁρθὴ ἀλήθεια* apud Pythagoræos, Judicio recte formato apud Recentiores, & Deo obedire una res eademque est. A Deo enim Naturæ nostræ conditore recta Ratio est actorum omnium ab ipso conditore designata arbitras, adeoque ejus placitis & principiis non obedire, est Deo ipsi non obedire: quod homini periculosissimum & merito præ omnibus formidandum: cum contra Deo, Naturæque obsequi, voluptate de præsentibus, & bonâ spe de futuro nos

impleat; quæ quidem voluptas & bona spes res videntur communi hominum iudicio magnopere expetendæ.

Sunt qui juris universi originem à societatis in homine cupidine derivari volunt; quæ cupiditas vel ab impatientia solitudinis, vel à periculi metu oriri dicitur.

Quod Natura hominis solitudinis sit impatiens, apud Ciceronem noto de Amicitia libello, non invenisse differitur. 'Si quis, inquit, asperitate & immanitate Naturæ Timonem *μωνοθρητος* imitaretur, pati tamen is non possit, ut non aliquem acquirat, apud quem evomat virus acerbitatis suæ. At ut hoc maxime judicaretur, si quid tale possit contingere, ut aliquis Nos Deus ex hæc hominum frequentia tolleret, & solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas Natura suppeditat, abundantiam & copiam, hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet: quis tam ferreus esset, qui eam vitam ferre posset? Ubi recenset etiam illud ab *Archysa Tarentino* dici solitum, 'si quis cælum ascendisset, naturamque mundi & pulchritudinem siderum prospexisset, insuavem eam admirationem ei fore, quæ jucundissima fuisset, nisi aliquem, cui narraret, habuisset.

Hic autem ut mihi videtur societatis appetitus nequit esse fons dictarum notionum, neque hujus desiderii impletio finis iudiciorum rectè conformatorum de nemine lædendo; fide servanda, gratiis referendis, & similibus: Dictamina enim actiones juxta præceptum eliciendas uniuersaliter indicant.

Satisfieri autem huic appetitui possit, etiam si unam solummodo regionem aut Rempub. bene à te factis tibi demerueris. Pirata & conjurati Latrones suas sibi habent societates, inter quos possint magnanimitè à se gesta enarrare quotidie facinora; & proinde isti satisfacere poterunt cupidini; Conscientiis tamen suis & Dictaminibus & iudiciis de Honesto, quod multi de seipsis facti sunt, non satisfaciunt. Quod quidem liquidissimum videtur argumentum, non ad hunc solum finem formati in nobis hæc iudicia practica. Porrito enim Fine nihil ultra requiritur in mediis quæ ad Finem ordinantur.

Alii necessitatem communem necessitudinis, quæ hominibus

minibus intervenit, statuunt esse causam, atque ab Indigentia singularium omnes hominum societates unice emanasse: deinde à societatum judicata necessitate iudicia de Moribus provenisse. Quasi communes à nobis explicandæ statim *Ætates* ad societates instituendas homines haudquaquam reudidissent aptiores: Sed societatum Institutio practicarum Notionum existentiz præbuisse Originem. Huiusmodi enim Justitiz depingunt profaniam; quasi Abavia imprimis genuisset metum Indigentia; Metus Avia genuisset Societatem; Societas ejusque Custodia genuisset distamina de Officiis, adeoque matrem se Juri Naturali pulchre comprobasset.

Hanc Genealogiam falsi arguit *Cicero*, apud quem *Laelius* hunc in se suscipit controversiam. Num propter Imbecillitatem & Metum desideranda sit Amicitia, ut dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet? An esset hoc quidem proprium Amicitiz, sed antiquior, & pulchrior, & magis à Natura profecta alia causa esset? Concludit autem in tam celebri quaestione; A Natura & virtute potius, quam Imbecillitate eam esse ortam; quodque Amicitia non sit consecuta utilitatem, sed utilitas Amicitiam. Quis enim, inquit, est, qui velit, ut neque diligat quemquam, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere copiis omnibus, atque in omnium rerum abundantia vivere? Videantur in eximio de Amicitia libello, necnon apud *Lactantium*, lib. 6. cap. 10. illustria argumenta. Ubi ingenia hominum indigna esse asserit, qui cum viderent mutis quoque Animalibus ingenitam esse rationem conveniendi, periculi fugiendi, cubacula sibi & latibula parandi; Homines autem ipsos existimaverint non nisi exemplis admoneri, aut discere potuisse, quid metuere sibi, quid cavere, quid facere deberent; aut nunquam conventuros inter se fuisse, nec loquendi rationem comperturos, nisi eos bestiz comedissent. Hæc, inquit, aliis delira visa sunt, qui non ferarum laniatus, sed ipsam potius humanitatem causam dixerunt coeundi.

Neque alio spectare videntur quæ (apud *Ciceronem* in primo de leg.) egregie *Marcus* edisserit. Imprimis enim



enim statuit homines ad justitiam natos, neque opinione sed Natura constitutum esse jus: Omnes comitatem, benignitatem, gratum animum, & beneficii memorem diligere; superbos, maleficos, crudelēs, ingratos aspernari & odisse: Inde à virtute ductà ratione omne genus hominum sociabile, & anticipationibus de Honetto actualiter jam sociatum intelligi concludit; vel ut ibidem *Marci* dissertationem recenset *Atticus*, unam esse hominum inter ipsos communem partem, vivendi rationem, omnesque naturali quadam Indulgentia & Benevolentia, tum etiam societate juris contineri. Ita sc. ut innatae justitiae consequens Sociabilitas sit, eiq; per modum effectus suam naturali justitiae debeat originem. Imo & ulterius (ne quid dissimulemus) Naturam vult, cum imprimis has in nobis de Honetto notiones ingenerasset, eo respexisse, ut sociabiles invicem redderemur: sique (quod verissimum observavit *Aristoteles*) Homo sit ζῷον πολιτικόν, quod revera tale sit, juris Naturae naturalisque Conscientiae est effectum. Inde enim quod à Naturà sit Constitutum jus, sequi ait *Cicero* ad participandum alium alio, & communicandum inter omnes justos Natura esse factos. Quippe si (ut idem *Cicero*, 3. de Officiis edisserit) sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet alterum, disrumpi necesse est eam, quae maxime est secundum Naturam, humani generis societatem. Ut si unumquodque Membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari atque interire totum corpus necesse est: sic si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum emolumenti sui gratia, societas hominum & communitas evertatur necesse est.

Verissimum sanè est magnam inesse his anticipationibus ad societates conciliandas & tuendas vim: & magnam proinde utilitatem ab iisdem provenire; Honestatem autem Natura procuratrice ortam subsecuta est utilitas, non utilitatem honestas. Notatu hic non indignum est male *Gassendum* (*Eth. lib. 2. c. 5.*) aliosque nonnullos hujusmodi *Ciceronis* aliorumque veterum, de Naturali & omnium hominum communi Societate, dicta & praedicata, de societate tantum civili perperam intellexisse; quasi

quasi nec jus Naturæ, nec societas naturalis omnino esset, aliisque quam ferinus ille status, de quo humanam Naturam tantopere calumniatus est olim *Epicurus*, hac tempestate *Hobbium*.

Nihil enim honestum esse quod non idem sit utile, nec utile quod non idem sit honestum, verissimum est in statu Naturæ. Nec ex formula pronunciatum est contra statum civilem esse, sed contra naturam, detrabere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo summo augere commodum.

Impensius autem hoc animadvertendum est; aliud esse judicia de moribus formandis nobis indita à Natura esse dicere, eo fine, ut societates tueremur; aliud vero, judicia eadem propria ratione inventa factaque esse ad eundem finem, effari. Media enim à nobis excogitata & inventa, à nobis otiosis possint non excogitari nec inveniri; atque etiam excogitata & suscepta mutata voluntate pro lubitu possint non difficulter rejici: à Deo Opt. Max. Naturæ autore nobis imposita & præscripta non item, nisi aut nobis ipsis, aut Deo ipsi (quod nimis violentum esset) refragari velimus.

Conscientia sane Naturalis nobilissimum summi Dei instrumentum videtur à divinâ suâ providentiâ ad Universum mundum communi omnium bono feliciter regendum sapientissimè excogitatum ordinatumque. Conservandæ enim hominum universe omnium communi societati id efficit conscientia, quod in homine naturali vitæ conservandæ fames & sitis efficere solent. Non desunt enim homini (vitæ suæ conservandæ cupido) argumenta à ratione petenda, cur edere certis vicibus & bibere vitæ sustinendæ debeat, etiamsi nec homini fames aliqua aut sitis naturaliter competeret: Deo tamen humani generis amatori summo intutius visum est hominem hac in parte rationis suæ tutelæ penitus committere, qui vel in rebus maximi momenti in exercendâ suâ ratione ignavior esse possit. Famem igitur sitimque hominem depletum comitari voluit Deus, quæ fortiter eum ad actiones edendi bibendique vitæ conservandæ necessarias, justis temporibus incitarent & impellerent. Ita plane (si Naturalia hæc moralibus comparare liceat) illustrata non desunt argumenta

ad

ad Innocentiam, Fidem, Gratitude[m], *soyās* & communem caritatem exercendam, quæ nos movere debeant, ab ipsa ratione nobis suppeditanda. Hominem tamen animal sæpe ignavum, torpidum, obliviosum, rationis suæ moderamini Deus opt. max. noluit prorsus committere: verum communes Notitias, & humanam homini conscientiam inseruit, quæ ad honestè vivendum fortiter sollicitaret, hominemque toties inquietaret, molestaret, distraheret, quoties eum offenderit contra Naturæ leges, aut innocentes lædendo, fidem fallendo, prolem destruyendo, aut alias similiter nequiter delinquentem. Arque hoc est quod apud *Ciceronem, de Fin. 3.* rectissimè observavit *M. Cato.* *Quemadmodum membris utimur prius, quam didicimus cujus ea Utilitatis causâ habeamus: sic inter nos natura ad civilem communitatem conjuncti & sociati sumus priusquam societatum Utilitates ediscamus: quod ni ita se haberet, nec justitiæ ullus esset, nec bonitati locus. Deinde asserit eam esse Naturam hominis, ut ei cum genere humano quasi jus civile intercederet: qui id conservaret, eum iustum; qui vi ageret, iniustum fore, &c. Jus autem illud civile totius mundi, siue permagnæ civitatis, quâ universum hominum genus continetur, quid aliud est quam communes Notitiæ, quas Nobis insevit Deus, quarumque systema aliquod aut compendium in hac opella colligere, & simul (si deus volet) pro virili quantum in nobis est publice exhibere decrevimus?*

Defendimus igitur cum veteribus Pythagoræis, Academicis, Peripateticis, Stoicis, inditas scilicet esse nobis hæc à summo naturæ nostræ creatore Notiones: adeoque jus naturaliter in commune totius humani generis bonum esse constitutum, nec rem esse ex hominum ingeniis excogitam. Unde idem toties laudatus *Cicero. 3. de Off.* *Qui, inquit, civium rationem esse habendam asserunt, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis societatem, quâ sublatâ Beneficentia, Liberalitas, Bonitas, justitia funditus tollitur. Quæ qui tollunt etiam adversus Deos immortales impij judicandi sunt. Abiis enim constitutam inter homines societatem evertunt.* Forte etiam primogeniam totius humani generis concordiam Hobbiano Bessli statui maxime contrariam

trariam intellexit *Seneca*, cum dicit ‘ nihil æque concordiam humani generis dissociare ac distrahere, ac ingratitude vitium. Hoc nos tutos esse quod mutuis iuvamur Officiis, hoc instructior vita, contraque incursions subitas munitior est beneficio commercii. *De Beneficiis, lib. 4. c. 18.*

Non vitio vertimis *Epicuro, Hobbiove*, quod jus ab Utilitate derivaverint, aut quod Utile & honestum distinctione saltem mentali (quod & nos facimus) sejunxerint: Jus enim ab Utilitate deducere est quodammodo à Natura ipsa deducere; Omnes quandoquidem Natura ad Utilitatem ferimur: sed quod sustulerint priorem ex Naturali sensu honestatis Obligationem & ab Utilitate sola deduxerint, id est quod querimus, id est quo à cæteris omnibus dissentiunt. Sane Philosophi communiter omnes, ipseque qui omnium medullam expiscatus est *Cicero*, diversa constituit deliberationum genera, *primum, cum posset dubitari honestum an turpe esset, de quo ageretur; alterum, cum Utile an inutile.* Quæ absurda satis forent, si membra dividendi coinciderint; nihilque honestum per se foret, aut omnino tale, nisi quatenus ex utilitate suaderetur. Laudamus & nos privatos Civitatum Legislatores, qui communem propriarum Civitatum Utilitatem habent pro Scopo ferendarum legum, modo cum legibus Naturæ Convenientes ferunt; aliàs injustitiæ recte accusantur, & justum in reip. suam vicinorum accersunt bellum, in quorum præjudicium hujusmodi feruntur leges. Eo fit ut in omni rep. honestati & utilitati suæ studentium siqua ex improviso sit scripta lex, in qua quicquam contra jus Naturæ contineretur, quam primum intellecta res est, qui præsumunt reip. ejusmodi legem statim repudiatum eunt. Nihil enim magis imprudentiam testatur, quam si quis utile reip. suæ esse putaverit, vicinos omnes bonos & sapientes in reip. perniciem inhonestè agendo provocare. *Atheniensium* hac in re celebre erat *Senatusconsultum*; cum enim *Themistocles* salutare facinus populo *Atheniensi* excogitasset; Classem scil. *Lacedæmoniorum* clam incendi; *Aristides*, quicum solo res communicanda erat, perutile esse consilium affirmasset, quod eo frangi *Lacedæmoniorum* opes necesse esset, sed

minime honestum: *Athenienses* quod honestum non esset, nec utile quidem esse posse pronunciarunt, adeoque nulla ratione prosequendum. Sic *Cicero* noster, *de Officiis*, 3. ' Si gloriæ Causa expetendum imperium est, scelus ablit, ' in quo non potest esse Gloria. Sin ipse Opes expetan- ' tur quoquo modo: non poterunt utiles esse cum infam- ' ia. Nec potest ulli imperio, quod gloria debet fre- ' tum esse & benevolentia sociorum, utile esse Odium ' & Infamia.

Tollunt autem honesti & utilis distinctionem, qui nihil honestum dici debere affirmant, nisi quatenus ab utilitate derivetur.

Quin & si Historiam apprehensionum actionumque humanarum consideremus, quasi quodam instinctu, absque syllogistica argumentorum ab utilitate ambage, videbimus homines ex conscientiæ suffragiis practica honestatis principia adprobare. Qualia illa sunt Innocentes non esse lædendos, Fidem servandam, prolem propriam procurandam; solutione, nata impossibilitate solvendi, vel remissione, debitorem liberari; damna innocenti facta resarcienda, & quæ sunt ejusmodi. Sane si non ex principis & *separatis* naturæ instinctu inditis, sed ex consilio de utilitate definiendum semper esset, lædendus an non lædendus innocens; Fœtus an exponendus an educandus sit; Vitæ & fortunis tam infantium quam ceterorum innocentium, non tam bene (si quid recte sentio) consuleretur, quam modo Dei providentia, ex communibus humanæ naturæ principis, est consultum.

Quomodo autem nos, cum de finibus operationum secundum virtutem differimus, neque honestatem, utilitatem, imo neque ipsam voluptatem ex honestis actionibus promanentem, ita fines statuimus solitarios, ut de Religione quippiam tollamus, aut obicem ponamus, ne quis Gloriam Dei hujusmodi actionum finem sibi proponat, superiori capite est expositum

**Num, r1. An Regula hæc Sic erga unum-  
quemque agas, quomodo tecum agi  
velis, si ipse in eo fueris statu, in quo  
est ille quicum agis, sit sufficiens ad  
dirigendum hominem in omnibus vitæ  
communis circumstantiis ad bene agen-  
dum.**

Facilis, inquit *Hobbius*, est regula, ex qua quis sta-  
tim, an actio instans quæcunque, sit, sive non sit, con-  
tra legem Naturæ, possit dignoscere. Non alia vero  
est, quam ut imaginetur & cogitet facturus aliquid se  
in ejus personæ loco poni, quicum est agendum, &  
vicissim alterum suo loco positum. *Lib. de corpore Polit.*  
*p. 1. c. 4. §. 9. Leviath. p. 1. c. 15. & de Cive. cap. 3, num. 26.*  
Et sane egregia est tam Naturalis quam Christiani Juris  
Regula hæc. An vero simpliciter accepta, & sine in-  
terpretatione, huic universaliter usui hæc possit inter-  
vire Regula, exemplis experiendum est. *Sempronius*  
judex de convictis latronibus sententiam laturus, quærit  
quomodo se erga latrones gerere oporteat; quibus con-  
stat ex patriæ legibus supplicium capitale esse infligen-  
dum; Regulam igitur consulat; ipsumque se roget, si ip-  
se latro coram Tribunali staret, haberetque eos judices,  
quos jam videt atrocissimi reos, an eligeret vitam an mor-  
tem infamem; an vellet sibi ignosci, an se à judicibus  
condemnari? Sane affirmare ausim paucissimos esse, qui, cum  
penes se sit vitæ & necis suæ potestas, vitam (quicquid  
sit in eo casu aut vivere, aut mori) morti non nisi cum  
ignominia & dolore obeundæ non præferrent. Si vero  
capitalis convictus ignosci sibi vellet; ergo juxta regu-  
lam simpliciter sumptam, debet judex latronibus ig-  
noscere. Quod quam absurdum sit, quisque judicet. Mil-  
le ejusmodi supponi casus possint; veluti si quispiam in-  
digens rogaret *Titium*, ut sibi mendico stipem daret yi-  
ginti minas. Consulat regulam *Titius*; i

sine interpretatione Regula judicium esset faciendum, *Titium* dare oporteret. Quia ipse indigus mendicifque si foret, ejusmodi vellet optaretque Donum. Quotquot præterea extant casus, in quibus plus justo sibi favent homines (favent autem plerisque) in totidem (ubi ad meram personæ voluntatem ultima relinquitur rerum vel faciendarum, vel non faciendarum resolutio) simpliciter sumpta videtur hæc Regula fallere.

Qui sine interpretatione hæc ad praxin deducere volunt Regulam, ad Caput *de Innocentia ad Innocentes extendenda*, eam rectissime retulerint. Universaliter enim justum est, 'Ne facias ulli innocenti quod pati nolis, sed alterius animum de tuo metieris. Si acerbum est injuriam ferre, & qui eam fecerit videtur injustus; transfer in alterius personam, quod in te sentis; & in tuam, quod de altero judicas; & intelliges tam te injuste facere, si alteri noceas; quam alterum, si tibi. Hæc, inquit, si mente volvemus, Innocentiam tenebimus, in qua Justitia veluti in primo gradu consistit. Sic *Lactantius*, qui ad Innocentiam videtur hæc Regulam retulisse. Sane si quis ad cæteras omnes justis & injustis, honestis & inhonestis species, eam velit extendere; cum restrictione aliqua sive interpretatione est extendenda. Nec scio cur non *Hobbianam* illam amplecter *Leviathan. p.2. c.26.* ubi hæc Paraphrasi Regulam exponit. *Illud, inquit, alteri ne feceris, quod tibi fieri ab alio irrationabile putaveris.* Si igitur Ratio appellanda sit; ipsa hæc sine cognitio rationis dictaminibus nullo modo judicanda est sufficiens Regula; nec inutilem reddit de placitis Naturæ rationalis doctrinam, verum magis magisque ad Officium cognoscendum necessariam. Declarat *Clarissimus Molinæus* qua ratione intelligendam ipse censuit regulam, *quod faciendum sit alteri, ut volumus nobis fieri.* 'Justum, inquit, est, ut pater faciat filiis, quod vult sibi fieri à filiis; & honorem deferat liberis, quem sibi deferri vult à liberis. Nempe hæc Regula sic est intelligenda: faciendum esse alteri, quod vellemus nobis fieri, si essemus in ejus loco & pari conditione: succurrendum esse pauperi, quemadmodum vellemus nobis succurri, si essemus pauperes.

Quan-

6<sup>a</sup> Quanquam ne hoc quidem caret exceptione. Nam  
 7<sup>a</sup> plurimi sunt pauperes inexplebilis cupiditatis & que-  
 8<sup>a</sup> ruli; quorum cupiditati nulla divitum liberalitas sa-  
 9<sup>a</sup> tisfacit. *Molin. Ethic. lib. 7. c. 2.* Doctissimus Præses  
 noster *Thomas Jacksonus* nō velle illud intelligi debere  
 ait *de voluntate regulata, de voluntate inordinato sui A-*  
*more & pravis desideriis non infecta, sed ceteris omnibus*  
*summi Dei Mandatis, Ordinationibus & potestatibus ab*  
*eo constitutis sponte sua obsequenti: Vide lib. II. in symbo-*  
*lum Apost. c. 33.* Quæ autem aliunde regulari debet vo-  
 luntas, adæquata certe atque unica actionum Regula  
 atque Judex esse nequit. *Zegerus in Matib. 7. 12.* *Illud*  
*quicquid vultis ut faciant vobis homines, sic interpretatur;*  
*Quicquid juxta rectæ rationis dictamen velle æquum est ut*  
*faciant vobis homines.* Ut effectum igitur sortiatur Re-  
 gula, ipsa Rationis dictamina de æquitate consulenda  
 sunt. Imo & *Puffendorpius* ipse, qui in hæc nostra censu-  
 ram nescio quam facere voluisse visus est (*De jure Nat. &*  
*Gentium, lib. 2. c. 3*) hæc ipsa nobiscum fatetur, dum  
 non solum illud expendendum ait, *quid mihi placeat; sed*  
*quæ alteri Obligatio incumbat, & quid ego salvo utrinq;*  
*Officio ab altero postulare queam.* Si enim aliunde expen-  
 dendum quæ sit Obligatio, hæc per se non sufficit Re-  
 gula; sique ex aliis regulis definiendum sit, quodnam re-  
 vera sit utrinque Officium, priusquam ex hac Regula  
 postulare quicquam valeam, hæc una omnibus de justo  
 & honesto quæstionibus nullatenus sufficiet. Quod u-  
 nicum erat demonstrandum.

---

Num.



**Num. 12.** *De Morum post Mentis voluptatem principis, Juris & justitiæ fontibus, legibus Originariis, vel singularibus Naturæ humanæ Placitis. Quænam sint? Quibusque factis acquiescat Natura Hominis, finemque sibi præstitutum Tranquillitatem animi ejusque delectationem acquirere studeat. Obiter de Obligatione ad utrumque jus, Divinum scilicet & Humanum, hominibus ex sui Amore derivandâ.*

Rerum quæ faciendæ sunt vel non faciendæ distinctio, Officiorumque privati cujuslibet hominis in singularibus Circumstantiis definitio, à judicio intellectus humani pendet. Quicquid enim post adhibitam, quam maxima adhiberi potuit, deliberationem vir prudens definitur faciendum, illud omnino faciendum est. Ineptum enim esset factu, si quis postquam quid sibi expediat, quidve honestum sit, sedulo investigaverit, in illam se inclinaret partem, atque in eas se componeret Operationes, quas sibi non expedire, & contra Officium esse persuasum haberet. Oportet enim quemque judicium sequi conscientiæ mentisque suæ: qui si in eo peccaverit *ἢ Ἀπορίῃ*, *sec: Aristotelem, sive ἠγοριῶν*, judicii scilicet humani & intellectus vitium est, nec voluntati aut affectibus imputari debet. Cogitat autem & definit rem faciendam homo sapiens duplici de causâ, aut quia actiones hæc earumque circumstantias ipse proprio suo atque interno lumine intuens sibi convenire cognovit; vel quia alius quis, qui magis sapit, nec vult fallere, adeoque cujus fidem tuto sequi poterit, has vel illas sibi convenire indicavit. Quid igitur prudentius homini perspicienti quamplurima esse, quorum rationes ipse non possit investigare, quam consiliis præceptisque divini Numinis auscultare, qui totam rerum naturam cognitam habet, atque eo est animo ut obtemperanti faciat

faciat omnia feliciter succedere? Cum igitur vir prudens semper cogitet illa sibi esse facienda, quæ propria mens faciendæ esse clamat, sui que interesse ut fiant; eaque non minus, quæ sapientior aliquis amico animo illi significavit factu optima: natum est jus duplex; alterum Naturæ dictum jus, alterum ex Revelatione divinum; cujus Origo & investigatio in Natura humanâ non ponitur. Jus Naturæ humanæ est, quod Natura unicuique homini suadet faciendum justitiæ intuitu; Quodque Naturæ suæ, id est, menti & conscientiæ humanæ, honestatis ratione convenit.

Placita Naturæ prima, ex quibus cæteræ tam Naturæ humanæ, quam Gentium leges, æternæ justitiæ conclusiones ab æternæ justitiæ principiis derivantur, & per quæ distinctæ species honestarum actionum statuuntur, & quisque quid sibi conveniat possit judicium facere, quantum assequor, septem solum videntur hæc.

**I. NEMINI INNOCENTI DAMNUM  
DARE.**

**II. FIDEM SERVARE.**

**III. BENE MERENTI PAR RETRI-  
BUERE.**

**IV. EA FACERE QUÆ PROPRIAM  
PROMOVENT FELICITATEM.**

**V. PROLEM PROCURARE QUAM  
MAXIME FELICEM.**

**VI. CONSANGUINEIS BENEFACE-  
RE BENE MORATIS.**

**VII. HOMINIBUS PRODESSE SAN-  
GUINE NON CONJUNCTIS.**

Hæc

Hæc sunt communes *Υποσεις*, & sola (quantum nunc assequor) conscientiæ Naturalis, quæ unicuique inest, de honestate, eoque quod in hominum vitâ pulchrum est & decorum, dictamina. Si quis hæc ad Ethicam vulgarem accommodare velit, nescio quo possint commodius vocabulo notari, quam si dicantur, *θεσμοὶ ἀνθρώπων γενήματα, τὸ μὴ οὐδὲ ὁ ἀδύσθη καλῶς*. Virtutem enim ita definit *Aristoteles*, ut indicet objecta circa quæ versetur, & omnium è latere vitiorum designet saltem nomina. *Eth. lib. 2. c. 4. & alibi*. Quâ procul vero ab iis extremis abstinendū sit, ut à virtute denōninetur Actio, non definiit; sed relinquit prorsus ad rationem, mentemq; (quam dicimus conscientiam) Viri Boni. Audacius forsan nostrum hoc censebitur conamen. Hic vero ejus scopus est, ut quid in iis, qui ab *Aristotele* ponuntur, casibus, & cæteris omnibus honestissime fiat, videatur. Facile hic labi possim, sed nolim quicquam à me scriptura, quod, cum ratio jusserit, aut carpi indignetur, aut corrigi.

Cum autem hæc humanæ naturæ insita dicam, non ita velim quis me interpretetur, quasi animum semper in illa propendere dicerem. Sæpe enim visum homines propter morum corruptelam, in omnes vitiorum sordes miro quodam oblectamento se conjicere, & in ipsis versari. Ita *Cicero* noster cum concludisset homines ad participandum alium alio, communicandumque inter omnes, justos natura esse factos, necesse tamen habuit subtexere hoc in omni disputatione intelligi debere, eam scilicet Naturam esse, sic τὸ θεῖον, τὸ ἀρχόν, τὸ ἡμέτερον, sic Rationem in animo humano positam naturaliter jubere; tantâ autem esse corruptelâ mala consuetudinis, ut igniculi tanquã extinguantur à Natura dati. Mihi tamen non videntur improbi hujusmodi & miselli homines lucidis suis (si quæ habent) Intervallis mala illa quæ patrant facinora approbare, ubi de Honesto, Justo, & Naturæ suæ condigno quæstio fit: sed potiores illos, honestioresque & à morum turpitudine remotiores eos existimare, qui hæc ad amissim observare conantur placita. Nunquam tamen novi eos sibi non complacere (de *Ψυχῶν* loquor) qui mores suos ad has formaverunt regulas, saltem in iis actionibus quibus se, & eatenus quatenus se (Quis vero in omnibus, aut in aliquo perfecte Naturam suam sequitur?) præstiterunt conformes. Si qui sunt qui se-

gum

gum Naturalium. ulterius promovere pomzria studuerunt, soli fere sunt; cæterumque humanum genus intuentur sibi in singulari quoque dogmate reclamantes. Nec ratio est cur iis proferendis hæream, in quibus nostræ accedit Opinioni, eique post seria consilia judicique factæ, communis fere omnium sententia, & Catholica saltem ingentibus omnibus & populis moratoribus altipulatur Autoritas.

**Num. 13.** *Quod principia modo memorata cum principiis juris in vulgari jurisprudentia definitis, juxta adhibita generalium in jure dictionum interpretatione, optime convenient.*

Communissima juris præcepta apud peritos vulgo recepta sunt hæc, *HONESTE VIVERE, ALTERUM NON LÆDERE, SUUM CUIQUE TRIBUERE.* *Inst. de Just. & Jure, §. 3. ff. de Just. & Jure. l. Justitia, §. 1. ex Ulpiano.* Cum autem quid sit *honeste vivere*, quid *suum cuique tribuere* ante Hypothesin confectam haud facile quis intelligat: Interpretatione adhibita ne unum principium alteri coincidat, ad clariorem sententiarum veterum intelligentiam sic distinguendum censuimus.

Dicimus igitur veteres Juris Consultos illud *honeste vivere* primum posuisse atque universale principium, altera duo sua amplitudine ambiens & comprehendens: quod etiam ex eorum sensu sic explicari poterit. Cum *inter homines omnes cognationem quandam Natura constituit*, ff. de just. & jure. l. ut vim. 3. consequens est ut in hac cognatione *honeste vivere* unusquisque debeat. Honestatis autem proprium est, ut suam quisque felicitatem simul cum communi prosequatur, ut nihil contumeliose contra commune Societatis inter omnes homines naturaliter constitutæ Bonum quisque nequiter molitur: adeoque (ut loco citato edisserit *Florentinus*) *Hominem homini insidiari, nec fas esse nec honestum; sed Deo*

totius Mundi rectori ingratum, & humanæ naturæ excellentia indignum censerī debet. Ita imprimis sequetur ad Honestatem, quæ generalissimo principio comprehenditur, spectare subordinatum illud à veteribus speciale principium de non lædendo alterum. Ita Cicero, Utc sibi quisque malit, quod ad vitæ usum pertineat, quam alteri, concessum est non repugnante Natura. Illud quidem Natura non patitur ut aliorum spoliis, nostras facultates, opes, copias augeamus. *Et paulo post.* Qui naturæ rationi, quæ est lex divina & humana, parere velit (omnes autem parebunt qui secundum Naturam volent vivere) is nunquam committet ut alienum appetat, & id quod alteri detraxerit sibi assumat. Etenim multo magis est secundum Naturam Celsitas animi & magnitudo, item Comitas, Justitia, Liberalitas, quam vita, quam voluptas, quam divitiæ: quæ quidem contemnere & pro nihilo ducere comparantem cum utilitate communi, magni animi & excelsi est. *Cicero de Off. 3. paulo post princip.* Ad quam rem egregium est illud *Lactantii, lib. 5. cap. 18.* Homo, quia scientiam boni & mali habet, abstinere se à nocendo, etiam cum incommodo suo: quod animal irrationale facere non potest, & ideo inter summas hominis virtutes Innocentia numeratur. Quibus rebus apparet sapientissimum esse qui mavult perire ne noceat, ut id Officium, quo à mutis discernitur, servet.

Posita inter summas virtutes, & universalis Honesti species numerata Innocentia, sola tamen ponenda non est Honesti filia; neque enim totam virtutem comprehendit. Non enim solummodo à noxa abstinere, sed communi felicitati, quoad possumus, aliquid conferre ad Honestatem & Officium spectat, communemque beatitudinem simul cum propria promovere. Neque enim non lædi solum, sed & beneficio adfici hominem, interest hominis: ut inquit *Papinianus, l. servus, 7. ff. de servis exportandis.* Ab ea honestate, quam nos universale primum possimus nuncupare, *Cicero (de Off. 1.)* communia alia præter Innocentiæ studium vitæ Officia deduci voluit. Et nempe honesta esse definiit, quæ pertinent ad communis vitæ cultum & ad earum rerum, quibus utuntur homines

homines, facultatem, & Opes & Copias. Honestum, justum, utile, bona indivisa & inseparabilia esse asserit. *Honestum enim nihil est aliud quam Innocentia cum communis utilitatis studio conjuncta.* Quæ observatis de fide servand, Gratiæ, moderata & æquabili *moderatione*, de *societate*, & vulgari Humanitate placitis optime promovetur. *Lactantius* similiter Honestatis Justitiæque distinguit Officia in duo plane eadem, aut saltem ejusdem comprehensionis, capita, *Innocentiam scil. & misericordiam.* Ita ut primus gradus Justitiæ sit non nocere proximo; alter Officiose prodesse. Sicut enim in rudibus agris priusquam serere incipias, evulsis sentibus, & omnium stirpium radicibus amputatis arva purganda: ita animis hominum excolendis prius vitia detrahenda, & tum demum virtutes inferendæ. v. lib. 1. de *Opificio Dei.* c. 3. Et deinde *capito sexto*, cum de Innocentia & præceptis eorum quæ vetantur egregie disse-ruisset, sic *caput septimum* auspiciatur. Dixi de iis quæ vetantur. Dicam nunc breviter quæ jubentur. Innocentia proxima est misericordia. Illa enim malum non facit, hæc bonum operatur: Illa inchoat justitiam, hæc complet. Nam cum imbecillior sit hominum Natura quam cæterarum Animantium, quas Deus instruat ad inferendam, & munitas ad vim repellendam figuravit, affectum nobis misericordia dedit, ut omne præsidium vitæ nostræ in mutuis Auxiliis poneremus. Si enim facti ab uno Deo, & orti ab uno homine consanguinitatis jure sociamur, omnem igitur hominem diligere debemus. Ita non tantum inferre injuriam non oportet, sed ne illatam vindicare: ergo animal commune & consors esse debemus, ut nos invicem præstandis recipiendisque auxiliis muniamus. Ita *Lactantius.* Esto igitur primum universale principium *Honeste vivere*, primus specialis justitiæ gradus *Innocentia*: quæ secundum jure peritos *neminem lædit*; secundum *Lactantium*, quæ *malum non facit.* Hæc inchoat justitiam. Ulterior deinde virtus quærenda est, *quæ suum cuique tribuat.* Illa vero cum sit multiplex, non facile uno aliquo singulari nomine latine exprimitur. Apud Hebræos sacri textus exscriptores *דָּוָן* dicitur; apud *Lactantium*

ex sacri forte textus imitatione *Misericordia*, cujus *Officium est præstandis recipiendisque auxiliis humanum genus munire & opem ferre*. Illa autem Virtus exhaurit & comprehendit totum illud tertium vulgare juris principium, quod imperat, ut *suum cuique tribuamus*. Suum autem cuique tribuemus, si posita imprimis Innocentia pacifcenti fidem, benevolis Gracitudinem, nobis ipsis moderatam *φιλαλληαν*, Proli & consanguineis *συναίς*, omni denique homini communia Humanitatis præstemus Officia. Quibus omnibus recte præstitis, & communibus juris præceptis satisfic, nostraque omnis exhauritur Officiorum Hypothesis. Neque hæc Philosophicis doctissimi *Cumberlandii* rationibus sunt incongrua. Posito enim communi Principio, ad jus spectare ut honeste vivamus; id est ut nostram felicitatem simul cum publica promoveamus; proximo loco recte quæritur quales actus naturalitèr idonei sunt ad publicam felicitatem simul cum privata promovendam. Manifestum cum eodem clarissimo viro consentimus imprimis necesse esse ad hunc finem, ut ablineamus à noxa qualibet cuiuslibet innocenti inferenda. Partis enim cujuslibet damnum cedit in detrimentum totius; nisi propter culpam in publica commoda admissam infligatur. Hinc omnis invasio alieni prohibetur. Omnis enim noxa menti, corpori, Bonis, aut famæ cujuslibet illata toti aliquid detrahit. Adeoque secundum in ordine vulgari, revera primum speciale principium, tam nostrum quam vulgo Jurisperitorum, de *alterum non ledendo* fundatur.

Consentimus porro maximum illum finem, qui publicam simul & privatam utilitatem complectitur, produci non posse sola abstinentia à maleficiis: adeoque necesse esse, ut symbolum quisque eodem suum conferat, per verum & perpetuum rerum suarum usum in hunc finem. Aliter enim felicitas publica non erit maxima quam possimus eam efficere, nostræque similiter privatæ rupto societatis vinculo (uti alibi disseruimus) desinimus beatitudini. Hoc itaque nomine præcipitur, ut si quando opus fuerit, ut jus aliquod nostrum in alium transferamus, sive per donationem in præsens, sive per pactum de futura præstatione, translationem illam validam faciamus,

mus, non delusoriam. Unde oritur fidei dandæ confer-  
vandæque Obligatio.

Contentimus deinde operam nostram sapientissime in  
prosecutione boni communis simul cum privato collo-  
cari, si secundum hunc ordinem actus nostri exerantur.  
Primo ut boni communis privatique causis benevolis &  
voluntariis grata fiant: Deo scilicet opt. max. Reſtoribus reip.  
Parentibus, Magistris, Mediatoribus Pacis, aliisque benefi-  
cis; quibus Officiis principium speciale *Gratitudinis* sta-  
bilitur.

Deinde ut suam quisque *Conservationem* quærat, ac  
*perfectionem* ulteriorem salvis aliorum per Innocentiam,  
Fidem, & Gratitudinem, juribus; sic principium fun-  
dabitur de regulato, non enormi, sui Amore. Alterum  
est, ut familiæ prolique consulent, qua præsentis seculi  
ingruens senectus, & futuri spes omnis fulcitur. Cui  
adjungimus amorem erga consanguineos, qui parentum  
sunt proles.

Ad idem effectum ultimo requiritur, ut curent sin-  
guli alios omnes mutuis Officiis demereri; commodos  
se præstare sine cujusvis detrimento in ejusmodi actibus  
qui Humanitati tribui solent; quales sunt *viam monstrare,*  
*lapsum erigere*: sic etiam stabiliuntur quæ posuimus de  
Caritate in prolem & Consanguineos, & communi Hu-  
manitate principia-

Hæc autem omnia post Innocentiam videbimus non  
inepte comprehendi posse in tertio illo jureperitorum  
præcepto, quod imperat *ut suum cuiq; tribuamus*; id est,  
ut præstemus paciscenti fidem, bene merenti Grati-  
tudinem, nobismetipsis debita privati Amoris Officia,  
proli & Consanguineis *suorum*, omni denique homini hu-  
manitatem. Hæc *admoveat templis sapiens & farre li-  
tabit*. In his absolvitur præclarum illud Honestum, de  
quo tantopere inter Philosophos disseritur. In his U-  
niversalis comprehenditur justitia: *qui sane est cultus,*  
*quem Deus expetit, omni sacrificio potior* (V. Lactant.  
*lib. 2. Cæphal. c. 2.*) In his perficitur illud Divini Nu-  
minis *Διαιτεια*, quod communibus notitiis conscientia  
humanæ inscriptis perficiendum proponitur. Ex his e-  
mergit summum illud sapientis Gaudium, & perpetua  
animi



animi sibi in virtutis praxi consentientis voluptas. Ex iisdem publica totius Mundi, & privata cujusque Utilitas pronascitur. Agnoscimus enim & defendimus cum veteri Philosophia, nec honestum ab utili, nec jucundum ab alterutro esse sejungendum. Recte Cicero, de Off. 2. 'Nullam perniciem majorem hominum vitæ afferri posse affirmat, quam honestatem ab Utilitate secernere, & constituere honestum aliquod quod utile non esset; & utile quod non honestum. Advertit sane Philosophus tria hac genera, re confusa, cogitatione distinguere. Honestum fere censetur, quod apud omnes honorificum; justum natura, quod juri naturæ convenit; Utile, quo commune omnium bonum promovetur. Eadem autem Operationes honestæ simul erunt, & justæ, & utiles; aut nec honestæ, nec justæ, nec utiles. Ita Philosophus noster, de iis qui hæc tria re confusa cogitatione saltem distinguunt. 'Quicquid justum sit, id utile esse censent; quod honestum justum; quod honestum & justum utile: quod qui parum perspiciunt, hi, sæpe versutos homines & callidos admirantes, eorum malitiam sapientiam judicant; quorum, inquit, error eripiendus est, omnisque opinio ad eam speciem traducenda, ut honestis consiliis, justisque factis, non fraude & malicia se intelligant ea quæ velint consequi posse.

---

C A P.

## CAP. III.

## De primo morali placito, seu prima speciali Naturæ Lege, de Innocentia ad Innocentes extendenda.

Num. 1. *Ubi Gentilium Testimonia recensentur, quibus probatur eum inhoneste & turpiter agere ex communi hominum sententia, quisquis innocentem laeserit.*

**P**rimum Naturæ placitum specialiter ad morum honestatem spectans illud dicimus, quod de Innocentia generaliter præcipit, *Ne quis alterum laedat innocentem.* Primum autem hoc dici potest, tam quod à nullo alio deriveretur speciali placito, sed ab ipsâ naturâ originem ducat; quam quod ubi simul observari non possint, à cæteris naturæ placitis autoritatem tollat, tantisper saltem dum simul servari nequeunt, & tandiu vim deroget. Per *laedere* autem nihil aliud cum vulgo intelligimus, quam damnum inferre, vel conditionem alicujus deteriorem reddere, sive aliquid facere, quo quid, quod proprium alicujus quoquo modo erat, & aliquid ad commodum ejus & felicitatem conferre possit, detraheretur.

Hanc Innocentiam copiosa commendat Oratione *Cicero. de Offic. 3.* ‘Legibus, inquit, populorum constitutum est, ut non liceret sui commodi cautâ nocere alteri. Atque hoc multo magis exigit ipsa Naturæ ratio, quæ est lex divina & humana; (*divina* scil. quod à numine supponatur profecta; *humana*, quod hominibus insita iis gubernandis inserviat) cui legi qui parere velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere) nunquam committet ut alienum appetat, & id quod alteri detraxerit, sibi assumat. Nonne igitur sapiens, si fa-

‘ me

me ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, sibi ad nul-  
 lam rem utili? Minime vero. Non enim est vita mea  
 mihi Utilior, quam animi talis affectio, neminem ut vio-  
 lum commodi mei gratia. Et *infra eodem libro* proluxa  
 ad hanc rem utens *Dissertatione*, ' Qui alterum, inquit,  
 violat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil se  
 existimat contra Naturam facere, aut magis fugiendam  
 censeret mortem, paupertatem, amissionem liberorum,  
 propinquorum, amicorum, quam facere cuiquam inju-  
 riam. Si nihil existimat contra naturam fieri hominibus  
 violandis; quid cum eo disseras qui omnino hominem  
 ex homine tollat? sin fugiendum id quidem censeret, sed  
 & multo illa pejora mortem, paupertatem, dolorem;  
 errat in eo, quod ullum aut corporis aut fortunæ vi-  
 tium, animi vitium gravius existimat. Et (*de finibus 2.*)  
 Honestum definit detracta omni utilitate, sine ullis præ-  
 miis fructibusque per seipsum laudabile; veluti non  
 audere cuiquam aut dicto protervo, aut facto nocere.  
 Scitè *Chrysippus* ut multa; Qui stadium, inquit, cur-  
 rit, nisi & contendere debet quam maxime possit ut  
 vincat, supplantare eum quicum certet, aut manu de-  
 pellere nullo modo debet: sic in vita sibi quemque pe-  
 tere quod pertineat ad usum non iniquum est, alteri  
 surripere jus non est. Citatum à *Cicerone*, *de Off. 3.* Sic  
*Socrates* in *Gorgia Platonis*, Οὐ φημι, ὅ καλλίκλεις τὸ  
 πῦρ ἕως ὅτι κόρπυς ἀδίκως αἰχρὸν ἢ ἰδ, ἐδὲ γὰρ τὸ πῦρ ἕως,  
 ἕτε τὸ σῶμα τὸ ἑμὸν, ἕτε τὸ βλάστηρον, ἀλλὰ τὸ πῦρ ἕως  
 ἑμὲ καὶ τὰ ἑμὰ ἀδίκως, καὶ πῦρ ἕως καὶ αἰχρον, καὶ πῦρ καὶ  
 κλέπτειν γὰρ ἄμα καὶ ἀνδραποδίζεισθαι, καὶ τηχευχεῖσθαι, καὶ συλ-  
 λάβεσθαι ὅτι ἔν ἀδικεῖν καὶ ἑμὲ καὶ τὰ ἑμὰ τὸ ἀδικεῖν καὶ πῦρ  
 καὶ αἰχρον ἰδ ἢ ἑμὲ τὸ ἀδικεῖσθαι. Non dico quòdè, O Cal-  
 licles, pugnis in os cædi injuste turpissimum esse, neque vel  
 corpus meum secari, vel crumenam meam; sed cadere &  
 me & mea injuste & secare, & turpius esse & pejus. Fu-  
 rari inquam & plagiarium esse & ades effodere & (ut uno  
 verbo complectar) qualibet re injuste facere, vel me vel  
 mea, ei qui injuriam infert pejus esse & turpius, quam mihi  
 qui injuria afficior. *Maximus Tyrinus*, in *Dissertat.*  
 2. Utrum referenda sit injuria, Ἀδικίαν definit τὸ ἀ-  
 γὰθ' ἀφαίρεσιν. Injuriam esse boni alicujus ablationem; qua-  
 modo

modo nos hoc capite, de Innocentia ad innocentes extendenda, Noxam sive Lætionem satis apte definire possimus. De hujusmodi igitur lætione, ἐπὶ πῶς ἀδικῶσι μέγιστον κερδὸν ἢ ἀδικία αὐτῶν, καὶ οὗτο ἵδ' πολέμου μᾶλλον καὶ πολεμῶν ἀφαιρέσεως, καὶ γῆς δυνάστεως, καὶ πρᾶξιδ' ἐκπελάσεως. Quod injuria sit iis qui inferunt malum maximum, & vel bello, vel direptione murorum, vel populationibus terrarum, atque incendiis, vel statu Tyrannidis major infelicitas. Bonus vir est, qui injuriam fecit? Noli credere. Ita Seneca, de ira, lib. 2. cap. 30. & alibi. Injuriam facere per se vitanda ac fugienda res est, cujus turpitudine contra omnia premia in scelus hortantia vales. De benef. lib. 4. cap. 15. Animadvertendum hic est injuriam & noxam seu damnum sæpius synonyma esse, idemque plane significare apud Senecam. Sic ubi distulitur an in sapientem cadat injuria, voce injuria noxam intelligit, & alibi passim. Justitiam Pythagoricam definit Hierocles, ἐν τῷ ἑβ' ἀλλοτρίων ἀπὸ χειρὸς καὶ βλάβῃν μηδεὶα. μηδὲ ἀφίλων ἑαυτῶ τὰς ἑβ' ἄλλων ποιῆσαι συμφορὰς. Est scilicet in abstinendo ab alienis & neminem ledendo, & Utilitatem suam ex aliorum damnis non captando, magnam partem consistere; in carmen Pythag, in versum,

Ἐἴτε δικαιοσύνην ἀσχεῖν ἐρῆσθε λόβησθε.

Ubi sic etiam præceptum interpretatur. Οὐδὲ τὰ ἑβ' κλίσειν ἀρετῆς, καὶ δὲ μηχανήσῃ δυσχῆρας ἀνθρώποις, ἵνα μὴ ἀδικῆς ἐν ἑβ' φ. Neque quæ sunt vicinorum rapias, neque damna aut infortunia hominibus quibuscumque machinabere, ne opere facias injuriam.

Idem juris consulti omnes uno ore affirmant, Fure natura æquum est, inquit Pomponius, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiozem. ff. de Reg. Jur. l. 206. Cui Pomponii convenit & Triphonini illud, non licere, ut ex aliena jactura lucrum sibi quis acquirat. ff. de distract. pig. l. rescriptum 12. §. 1. Illud Proculi, qui illum dolosum & malum ponit, qui hujusmodi captat lucrum. ff. de Insti. 14. l. si quis, 17. §. 4. Proculus ait. Illud Ulpiani, qui ob alterius necessarios usus commoditatem rei Domino in viso adimi non vult. l. venditor, 13. §. 1. in fine, ff. Com. præd. Callistraci item illud ex Divi Pii rescripto, qui rationi dissentaneum asserit, ἀχρηστῶν ἑβ' δεσπότων ἐν ἀλλοτρίοις χρο-

eius iſtud, *In vitis Dominis in alienis prædiis aucupium facere.* l. 16. ff. de serv. præd. rust. Pauli illud, qui nihil permitti à principe statuit, nisi quod sine injuria cujusquam fiat. ff. ne quid loco publ. l. 2. §. 10. Illud item Papiniani, ff. de reg. Juris. l. 74. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. Quæ omnes sententiæ in receptissimo juris præcepto concluduntur, quo jubemur *Neminem ledere*; quod quasi fundamentum *Justitiæ Templi*, & fontem à quo cætera leges plurima manarunt, jurisq; revera *Natura esse quod omnibus hominibus inter se commune est*, observarant Imperator, Pomponius, Florentinus, &c. Uti patet ex comparatis ll. ff. de just. & jure, l. 1. §. 4. l. 2. l. 3. l. 10. ff. de leg. §. 3. Inst. de leg.

Nobilis extat inter Philosophos Conscientiæ Naturalis Casus. *An liceat abortum procurare?* Aristoteles sic definit. Si is ponatur casus, ut nemo lædatur, licere. Verba ejus extant, *Polit. 7. c. 16.* Conclusio hæc. Τὸ δὲ ἔσθαι, καὶ τὸ μὴ, διαχωρίζονται τῆ ἀιδίᾳ καὶ τῆ ἰσῆς ἔσθαι. *Distinctio hæc in re ejus quod liceat, & quod non licet, à sensu & vita pendet.* Et quia non possunt lædi donec non senserint infantes, ideo tantisper licere. Falsa hæc Aristotelis quod sit argumentatio ex vero principio suo loco demonstrabitur. Quamvis enim Naturæ sit lex *Ne alios ledamus*, sola tamen non est: aliam enim *De specie propaganda, seu procuranda prole*, per quam abortus provocatio vetita videtur, ipsa cordibus humanis inscripsit legem.

Quod dictamen hoc, *De Innocentia ad Innocentes exhibenda*, distinctum à *φιλανθρωπία* Naturæ Placitum sit, nec à sui amore ducat Originem, *infra capite sexto* declarabitur.

Num.

**Num. 2. De speciebus peccatorum contra primum Naturæ Placitum De Innocentia ad Innocentes extendenda.**

Si species omnes peccatorum contra hoc Naturæ Placitum numerare aggrederer, vel magnum volumen variis eorundem casibus speciatim & distincte describendis vix sufficeret. Remitto igitur quantum opus est scire volentem ad jura, præsertim Civilia Rom. Reip. in quibus sub Delictorum & quasi Delictorum titulis ut plurimum (pæne semper dixeram) conspiciendæ veniunt contra hoc placitum peccatorum species. *Delictis enim Natura in Offendendo & ledendo consistit, eoque obligationem inducit, quod in utilitatem publicam, vel privatam committatur: quod nisi fiat, ne delictum quidem fuerit: ut notavit Vultei Jurisp. Rom. lib. 1. cap. 47.*

Quot igitur & quæ sint in jure Rom. delictorum & quasi-delictorum species jam videbimus. In qua faciendâ indagine *Vultei* Methodum sequor.

Neque enim quæ vulgo extant Juris Compendia ad Methodum Institutionum Imperialium composita omnes juris Titulos comprehendunt; nec scio quidem quomodo possint, quamdiu dictæ Methodo se strictè illigaverint, tot omiſsa ab Imperatore Legis Capita titulis Institutionum intertexere.

Si cui proluxior *Vultei* videbitur Institutio, eadem is contracta (prout à *Jo. Arnaldo Corvino* habemus editam) melius, si quid rectè sentio, uti possit, quam aliâ, in quibus fere omnibus Juris tituli imperfectius recensentur, Systemata Elementaque percurrere.

## §. 1.

*Delicta circa causas publicas Sacras Schisma, Hæresis, sacrilegium, Sepulchri violatio.*

1. *Schisma* definiunt Juris Consulti *separationē ab unitate & communionē Ecclesiæ citra errorem in fundamento.* Noxa autem in eo consistit, quod ab honore veræ alicujus Ecclesiæ secessionem facientes detrahant; atque intabiles hominum in Ecclesia existentium, aut volentium inesse, mentes misere seducant, anxiiisque cogitationibus perturbent, ne juxta ejus Ecclesiæ administrationem usumque recta ad salutem pergant. Grande enim aliis quam plurimis oriri possit præjudicium etiam ab eorum exemplo, qui se separatos volunt, quamvis causam secessionis publice & pertinaciter non defenderint. Quanta etiam in tacito peccantium exemplo vis sit, *infra* explicabimus. Hæc autem Schismatis, qua utuntur Juris Consulti definitio, si Schismati in Sacris Scripturis memorato aliqua ex parte minus conveniat, esse tamen tale contra Innocentiam peccatum inde constare poterit, quod, ut modo dixi, hoc pacto scandalum innocentibus, quo offendantur, obrudatur. Præterea (quod ad proximum spectat caput) contra fidem datam sic peccari poterit, quod consensu supponitur in Ecclesias convenire, unaque conjungi. Quod si abfuerit prorsus omnis conventio, deerit Membrorum unitas; quæ si nulla fuerit, nec unitorum possibilis fuerit distractio. Quæ enim non sunt conjuncta, separari nequeunt.

2. *Hæresis* definiunt Juris Consulti *perstinacem erroris in Doctrina Christiana articulo fundamentalis defensionem.* Hic major inferri potest noxa, non solum ab exemplo, verum multo magis à publica & pertinaci erroris, in quo grande periculum, defensionē. Sunt qui nullam defensionem pertinacem statuunt, nisi qua post evictam doctrinæ falsitatem in erroris patrocinio persistitur; neminemque

que esse Hæreticum, nisi qui propriæ conscientiz judicio, juxta Apostoli phrasin, *αὐτοεπίσταται* sit; itaque peccet, ut ipse à seipso damnetur. V. Tit. 3. 10.

3. *Sacriligium* secundum Jureperitos est *fraudulenta rei sacra animo lucrandi facta contractatio*. Noxa hic non solum Deo Immortali, quatenus à Sacrilego fieri potest, infertur; sed & Reip. cujus interest, ut Tempia, Anathemata, Res omnes & possessiones sacræ, serventur inviolata. Recte igitur *Martianus* (l. 4. ff. ad l. *Juliam peculatus*) *‘Lege, inquit, Julia peculatus tenetur, qui pecuniam sacram, religiosam abstulerit: sed etsi Deo Immortali abstulerit, peculatus præna tenetur.*

Sunt & alia quæ ad Sacriligium in jure referri solent. *‘Disputare de principali judicio non oportet; sacrilegii enim instar est dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator. Ut rescribunt Imp. Gratianus, Valentinus & Theod. l. 3. Cod. de Crimine Sacriligii.* Publica autem inde arguitur noxa, quod honor Principis interfit reip. adeo ut non solum ipsi Imperatori, sed & communi hominum statui, qui imperio continentur, eique tutelam sui que conservationem debent, his peccandi modis noceri solet.

4. In *sepulchri violatione* Noxa quamvis primâ fronte statim non appareat; eo quod mortuis sua sepulchra curæ non sint, superviventium tamen interest, ut inviolata serventur, quibus ex sepulchrorum violatione damnum infertur.

*Actio* igitur, ut recte notat ex *Ulpiano Reyerus, de sepulchro violato*, popularis erat, l. 3. §. fin. ff. de sepulchro viol. id est, talis, quâ jus suum populus tueatur. l. 1. ff. de popular. Action. Damnumque ex violatione dari præsumunt Jura. *Ulpianus* ad edictum Prætoris, ff. de sepulchro violato. l. Prætor ait. 3. §. 8. sic est commentatus. *‘Qui de sepulchri violati actione judicant, quatenus interfit, ex injuriâ scil. quæ facta est, item ex lucro ejus qui violavit, vel ex damno quod contigit, æstimabunt.* Rescripsit Imperat. *Constantius* jus fore, ut *quis propria defendat sepulchra.* Cod. de sepulchro viol. l. 4. Edictum Prætoris est. *‘Cujus dolo malo Sepulchrum violatum est, ei ad quem pertinet sepulchrum quanti videbitur æquum condemnetur; si nemo erit ad quem pertineat, sive agere nolit, quicumque agere*



agere voler, ei centum aureorum adionem dabo. ff. de sepulch. viol. l. 3.

Non solum enim privatorum interest ex eadem potissimum familia, quibus honori sunt majorum ob pulchre facta monumenta: verum & reip. conducit, ne vis ejusmodi monumentis inferatur. Cum enim honoris sit insigne bene vita defunctum honeste intumulari, sublatis hujusmodi insignibus calcar ad virtutem auferri quis negaverit? Deinde cum constet Reipub. interesse, ut etiam defunctorum extremæ voluntates habeantur ratæ (alias enim hærent vivi de futuris post mortem semper solliciti) constabit etiam è Republica esse ut sepulchra defunctorum facta recta servantur. Ut plurimum enim perpetuis hujusmodi sepulchris per Testamenta morientium tradi solent defunctorum cadavera.

## §. 2.

Delicta circa causas publicas profanas recensentur hæc.

1. Crimen læsæ Majestatis. 2. Perduellio. 3. Ambitus.
4. Conjuraciones. 5. Collegia illicita. 6. Receptationes, seu hominum facinorosorum occultæ receptiones. 7. Peculatus. 8. Crimen Residuorum. 9. Annonæ Flagellatio.

Quæ quidem omnia ejusmodi sunt delicta, ut nemini non possint publice videri noxia, nisi quis eorum naturam & qualitatem penitus ignoraverit. Fatemur sane hæc omnia etiam fidem publice datam oppugnare delicta, adeoque inter species peccatorum contra naturale *de fide servanda* placitum posse censeri: si qua tamen noxa sit aut publice aut privatim commissa, contra primam Naturæ *de Innocentia ad Innocentes extendenda* legem, in delictis modo memoratis, absurde fecerimus si hujusmodi delictorum species in classem merito inferiorem detrudendo rectum juris Civilis Ordinem immutaremus. Cumque ab omnibus in confesso sit Magistratum esse publicum Bonum, illudque quo maxime privata quæcunque bona facta recta nobis servantur; quisquis potestatem illam, qua regimur & defendimur, tollere, diminuere, vel enervare aggreditur, is eatenus publicam omnibus, privatam singulis noxam infert. Et in comparatione specialium sub diversis speciebus delictorum facile committeretur error, nisi

si quæ obviant pluribus diversi ordinis legibus, primo suo loco collocata, sub superiori invenirentur specialiter interdicta.

§. 3.

Delicta contra personas privatas recensentur hæc. 1. Plagium. 2. Homicidium. 3. Parricidium. 4. Vulneratio. 5. Prævaricatio. 6. Tergiversatio. 7. Calumnia. 8. Concussio. 9. Raptus Faminæ. 10. Coitus illicitus. 11. Crimen expilatæ hæreditatis. 12. Crimen Repetundarum. 13. Furtum. 14. Abigeatus. E quibus duo solummodo recensentur Delicta, in quibus de damno illato quæstio moveri possit. Illa autem sunt Tergiversatio & Coitus. In Tergiversatione Accusatio Tergiversatoris aut vera est aut falsa. Si falsa, reo damnum inferitur ab Accusatore, quod eum conatus fuerit reddere infamem saltem, si non etiam pœnæ obnoxium. Sin vera; in remp: peccatur, cujus interest ne crimina sint impunita. Sin vera aut falsa; Magistratui & Judicibus creatæ sunt frustra molestiæ; cum accusatio publica, iudicio etiam ordinato, à Tergiversatore penitus deseratur. Malim tamen ad causas publicas hæc esset relata species. De speciebus illiciti coitus non est cur aliquid hic comminiscar. Longum enim esset singulos variosque earundem casus percurrere. Ita ut consultius sit Lectorem remittere ad Lectiones nostras *de variis Incontinentiæ speciebus*, ex quibus facile videbitur in pluribus coitus illiciti speciebus damnum inde Vicino esse illatum. Sin vero Damnum huiusmodi aut noxam inferri non constet, ut forte *in peccatis contra Naturam*, & quibusdam graduum prohibitorum speciebus non constare quis dixerit, excipiendi hi ex hoc capite casus sunt, & inter ea crimina recensendi, in quibus contra bonum proprium & prolis est peccatum. *v. Tract. de speciebus incontinentiæ, cap. 1. Art. 3. cap. 2. Art. 3. cap. 3. Art. 4. cap. 4. Art. 3. cap. 5. Art. 3. cap. 6. Art. 3. cap. 7. Art. 3.*

§. 4.

Communia Delicta apud eundem censentur. 1. Prævaasio. 2. Injuria. 3. Rapina rerum. 4. Damnum. 5. Vis.

5. Vis. 6. Crimen falsi. 7. Veneficium. Hæc quisquis apud Jurisconsultos legerit descripta, noxæ conjuncta esse non facile negaverit.

## §. 5.

Innominata etiam delicta censentur; quæ certo nomine carentia *Stellionatus* & doli appellatione continentur. Casus à *Vulscio* reputantur hujusmodi. 1. Si quis rem alienam sciens pro sua obliget. 2. Si quis in pignorum dando res pro auro subjiciat. 3. Si quis sciens statu liberum dissimulatæ ejus conditione vendat. *lib. 1. c. 50.* In quibus omnibus damnum per dolum passio inferitur, contra bonam insuper Fidem in plurimis doli mali speciebus certissime peccatur. Videri possunt quæ habet *Ulpianus* huc spectantia, ff. de *stellionatu*.

**Num. 3. Quod noxæ inferendæ species modo memoratæ divino in sacris Bibliis interdicto sint subjectæ: & proinde quod dicta nostra in hoc capite Hypothesis tam Justitiæ divinæ, quam civilis Romanorum Jurisprudentiæ suffragio comprobentur.**

Recensitis jam ex civili Ethnicorum doctrinâ iis excessuum speciebus quæ certa & indubitata continere videbantur Delicta, non abs re etiam visum est, divinæ legis præcepta judiciumque si ostendam, tam nostræ naturalis Ethicæ Hypothesis, quam Civili Romanorum Jurisprudentiæ, valde esse etiam sub hoc titulo consentanea. Cum autem huc spectantia (quæ scilicet noxam omnem vicini atque ejusdem læsionem prohibent) multiplicia à Deo sint interposita juris sui interdicta, multa etiam præcepta stabilita, quæ facile occurrunt, & perspicua claraque sunt, nuda proponemus, atque ad superius memorata delictorum capita referemus.

Ad crimen læsæ Majestatis & Perduellionis coercendum

dum; ad tollendas etiam conjurationes, collegia illicita, & receptationes facinorosorum hominum, ad minuendum Magistratus statum, principum Virorum dignitatem, tollendamque reip: pacem coeuntium plurima extant divina tam præcepta quam interdicta. *Ad Rom. 13.* expresse declaratur, Bonos omnes & pios ex ipsâ Religionis conscientia ad Obedientiam summis potestatibus exhibendam esse obligatos; hac saltem ratione, quod nulla sit, nisi à *Deo Opt. Max. profecta potestas summa*; quod, impio etiam regnante Nerone, *summa ea potestas à Deo est instituta*; adeo ut *divina ordinationi resisteris, quisquis summa potestati non obtemperaveris*. Prædixit igitur ibidem per Apostolum Deus, non laturos impube refractarios & in Magistratum contumaces, sed *condemnationem propriam & perniciem certam sibi ipsis ut plurimum accersituros*; deinde quod *Ministri Dei sint ad hoc Officium constituti, & parendum esse, & tributa solvenda asseris, non solummodo propter iram (pœnæ scil. formidine) sed etiam propter Consistentiam*. S. Petrus similiter propter Dominum subiectos nos esse jubet *omni Ordinationi humana*. Id est, potestati omni hominum suffragiis ordinatæ; *sive Regi, Magistratui scil. supremo, sive Præsidibus Ducibusque, subordinatis scil. Regum Ministris, ad vindictam de improbis sumendam, & ad viros bonos & honestos laude & præmiis cumulandos missis à Deo & institutis*. 1. Pet. 2. 13, 14. Quin & in veteri Testamento Regis sapientissimi præcepto cautum est. 'Time Dominum fili mi, & Regem; & cum innovatoribus ne commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum, &c. Quin & ex quinti in Decalogo præcepti stylo, prout in Hebraica veritate exprimitur, *Honorare parentes jubemur*, (princeps autem est communis patriæ parens) *ut ij prolongent nobis (in patria quam Deus dederit) visa dies*. Ubi notant Critici verbum *prolongandi* אָרְרַךְ in hiphil activa esse significationis. Unde facile quis indicatum dixerit, Imperatores, Reges, Magistratus qui sub parentum nomine (ut modo dixi) intelliguntur, causas instrumentales esse, quibus victum suppeditat & tuetur, pacem defendit, adeoque vitam in patria, quam dederit nobis, prorogat Deus, aliis in ἀνάγκαις, ἀτυχίαις consequentesque calamitates reversuris.

Circa personas privatas, contra placitum de *Innocentia ad Innocentes extendenda* Delicta in lege divina plurima sunt, quæ nigro carbone notantur, modo memoratis non dissimilanea. Præcipua autem sunt Plagium, Homicidium, Vulneratio, Calumnia, Concussio, Veneficium, Raptus feminæ, Adulterium, Polygamia, &c.

De *Plagio* lex Originaria extat *Deut. 24. 7.* ‘ Si quis deprehensus fuerit, qui cleperit hominem è consanguineis suis, id est, è filiis *Israel*, & vendiderit, moritur vir ille ; & nefas illud de medio vestrum tollitote.

*Homicidium* sexto decalogi præcepto districte prohibetur. Judicia item egregia sunt de Homicidio voluntario & meditato, nec non de homicidio involuntario & præter animi sententiam contingente, quæ in Politeiam Judaicam Deo O. M. legislatore sunt recepta. Inter cæteras autem constitutiones memorabilis est de *Asylis* lex. Quorum præcipua mentio est *Deut. 19. & Num. 35.* Præcepit quippe Deus, *Deut. 19.* ut ‘ Asylorum Oppida, seu Refugii, civitates quædam constituerentur, quo tuto se recipere possint hominum involuntarii percussores. Hæc autem (sic describit legislator) est species percussoris sive Homicidæ qui fugiet ad *Asyla* & vivet. Qui scil. percusserit proximum suum per imprudentiam, nec oderit eum antea, nec ex perpena malitia occiderit. Veluti si quis abierit cum proximo suo in sylvam ad cædenda ligna, cumque admolita fuerit manus lignantis in securim ad cædendum lignum, elapsum sit ferrum è capulo ligneo, inciditque casu in socium, eumque occiderit, fugiat istiusmodi homicida ad unam istarum urbium & vivat ; Ne vindicta persequatur eum sanguine propinquus, & percutiat eum ferro, cum ramen non sit capitis reus, quod pridem, quem casu percusserat, non odisset. At contra, si quis eorum qui oderit fratrem suum & insidiatus ei fuerit, & more voluntarii Aggressoris insurrexerit in eum, eumque lethaliter percusserit & fugerit deinde istiusmodi percussor ad *Asylorum* quamlibet ; Mittent senatores Urbis illius, abstrahentq; illum vi, dabuntq; interficiendum sanguinis vindici. Atque huic quidem constitutioni non dissimilis reperitur. *Num. 35.* Ubi post sex Urbes *Asylorum* involuntarii percussoris defensionis designatas, constituit capitalem Deus in homicidas

homicidas pœnam, qui per Odium aut Inimicitiam five instrumento ferreo, five ligneo, seu lapide è manu jacto, aut alia re per insidias projecta malitiose vicinum occiderit.

Quæ omnia breviter complexus est, *Exod.* 21. 13, 14.

‘ Quisquis hominem percusserit, si is mortuus fuerit, capitale esto. At qui non captaverit, sed in eum forte fortuna incurrerit, statuat vobis Asylum quo confugiat. Verum si quis alterius necem, per dolum de industria machinatus fuerit, is vel ab Ara mea ad necem abstrahitor.

Ad *Vulnerationem* in Repub. Judæorum spectabant leges (*Levit.* 24. 19, 20.) Legibus Talionis à decemviris latis non abfimiles. ‘ Si quis vulnus intulerit proximo, secundum quod fecit, sic etiam fiat vulneranti. Fracturam reddito pro fractura, Oculum pro Oculo, Dentem pro Dente. Adde, *Exod.* 21. 24, 25. ‘ Vitam pro Vita pendito, Oculum pro Oculo, Dentem pro Dente, Manum pro Manu, Pedem pro Pedem; Sugillationem pro Sugillatione, Vulnus pro Vulnere, Vibicem pro Vibice:

Ad *calumniam* & *Tergiversationem* cohibendas spectare poterit nonum Decalogi præceptum, *De falso Testimonio adversus proximum non dicendo.* Et *Lev.* 19. Leges extant *Iniquum in Judicio ne facitote.* Et *Ne inter tuos Calumniator esto.* In delinquentes autem hujusmodi constitutum est Judicium: Ut ‘ si quis per Calumniam falsum adversus vicinum protulerit testimonium, citarentur ambo illi homines, inter quos de falso perhibito testimonio contigit lis, ut comparerent coram Sacerdotibus Dei, constitutis scil. populo Judicibus. Qui Judices hac ex lege ferre sententiam jubentur. ‘ Ut fiat reo quod ipse facere in fratrem est Commentus; adeoque Animam pro Anima, Oculum pro Oculo, Dentem pro Dente, & perinde in cæteris pœnas secundum legem Talionis exigent. V. *Dent.* 19. 16, 17, &c.

De *Concussione* sub lege Mosaica pro personarum diversitate varia constituta sunt Judicia. De concussione exacta inter vicinos rixa rescriptum extat, *Exod.* 21. 18, 19. ‘ Si rixati fuerint aliqui (subita scil. nec præmeditata orta contentione) & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, nec mortuus fuerit percussus, sed

‘ jacuerit in lecto, si surrexerit & baculo innixus ambu-  
 ‘ laverit foras, innocens habebitur qui percusserit ; ita  
 ‘ tamen ut Operas ( id est, quantum vicini interesset ab  
 ‘ Opera eum non cessasse ) & impensas medicinales per-  
 ‘ cusso restituat.

Circa Delictum in Concussione servi admissum leges  
 sunt hujusmodi *Cap. eod. v. 20, 21, 26, 27.* ‘ Cum per-  
 ‘ cusserit quispiam servum suum vel ancillam baculo, si  
 ‘ statim mortuus fuerit servus, tenebitur percussor vin-  
 ‘ dicta : Verum si per Diem unum aut biduum supervix-  
 ‘ erit, non vindicabitur. (pœna scil. capitali ) Si ex pla-  
 ‘ gis per Dominum inflictis Oculus servi effossus aut  
 ‘ corruptus sit, aut inde dens excussus ; servum suum  
 ‘ pro membri aut Organi amissione liberum manumittito.  
 Quæ ambz leges, nimiz utcunque lenitatis à nonnullis  
 postulentur, defendi possunt. Prior, quod non gravis  
 culpa sit ex subita provocatione, aut orto derepente  
 jurgio, pugnum, præ iræ excandescencia, objurganti  
 impingere. Nec levis pœna sit, si ad delictum com-  
 paretur ( nec membro ex percussione mutilato, nec lso  
 Organo ) quod tantum pecuniæ pendere teneatur per-  
 cussor, quantum interfuisset percussi eum ab Opera non  
 cessasse, nec fuisse omnino percussum. Posterior lex qua  
 constituitur servum post bidui moram ex plagis Domini  
 mortuum non vindicari, facili etiam defendi poterit A-  
 pologia : præsertim si animadvertamus & Domino licere  
 servum suum Castigare, & Homicidii involuntarii pœ-  
 nam esse capitalem non debere. Argumentum enim ipse  
 Textus exhibet, involuntarium censeri debere hujusmodi  
 Homicidium : *servus, inquit, pecunia heri est.* Heri scil.  
 pecunia emptus est servus : & in pecuniam ejusdem ven-  
 ditione rursus converti potest. Servus tam censetur in  
 bonis Domini, quam Equus aut quodlibet jumentum.  
 Quotusquisque autem est, qui cum libere possit, sciens  
 & volens jumento suo perfoderet viscera ; aut quidlibet  
 aliud, ex quo lucrum capit, corrumpere eligeret ?

Tertius est de concussione casus, nescio annon ab Eth-  
 nicis Legislatoribus omissus ; de *Concussione scil. muli-*  
*eris pragnantis.* Lex est. *Cum rixati fuerint viri, & per-*  
*cusserint mulierem gravidam, ut egrediatnr fœtus, nec ta-*

*non mors insequatur ulla (vel matris scil. vel fœtus) percussor subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint. Cap. cod.* Ratio est, quod mors licet non insequatur, partus tamen immaturus tam matrem, quam liberos debilitat: ideoque marito permittitur multam exigere apud Judices, quæ ex eorum arbitrio in læsorum solatium & damni levationem pendatur.

*De Raptu Famina, Adulterio, Polygamia, Fornicatione, & exteris, coitus illiciti speciebus, videri possint divinz leges, Exod. 20. 14. Levit. 18. per totum Caput. Dent. 22. à versu 13. ad finem Cap.* Atque alia multa ex Sacris Codicibus à nobis in Lectionibus *de variis Incontinentia speciebus* passim citata atque exposita.

Ad *Furtum*, & varias ejus differentias, *peculatum*, puta (quod publicum est delictum, quo reip. seu communitalis alicujus pars aliqua furtim intervertitur) *Crimen residuorum* (quæ duo fidei etiam violationem sæpe continent) *Abigeatum*, & *Rapinam*, spectare videtur universale illud Interdictum, quod in Octavo præcepto *de furto non faciendo* continetur. Inter legalia etiam posuit ad coercenda hæc delicta hujusmodi Judicia. *Exod. 22. 1, 2, 3, 4.* ‘ Si quis bovem pecusve furatus sit, & maceraverit aut vendiderit; quinque Boves restituito prout uno Bove, & quatuor Oves pro una. Sin deprehensum fuerit furto surreptum penes eum qui furatus est, sive Bos, sive Asinus, sive Ovis, sive Capra adhuc vivens, ita ut nec distraxerit fur, nec occiderit; duplum reddito. Qui quidem delinquens, si plura deprædatus fuerit jumenta, apud Latinos *Abigeator* dicitur. Sin semel tantum unam aut alteram pecudem abstulerit, fur simpliciter nuncupatur. Vide *Paulum, lib. Sentent. Tit. de Abigeatorib. & Ulpianum, de Offic. Proconsulis. Tit. de Abigeis.*

Ad fures nocturnos & ædium efflores versus intermedii pertinent. ‘ Si scil. in effossione, sole nondum orto, inventus fuerit fur, & lethaliter ictus, ut inde moriatur, homicidii pœna ne esto. Sole orto, esto. Fur autem, qui rem non suam in usus suos convertisse est deprehensus, & coram Magistratibus convictus, læso duplum ex lege Mosaica



Mosaica solvere tenebatur. *v. 9. eod.* Et defectu facultatum si non esset solvendo, in servitutem pro furto vendebatur. Ita lex diserte. 'Si habet unde reddat fur, reddito; si non habet, venditor pro suo furto.

Ad *Rapinam* rerum forte specialius spectaverit, quod præcepit legislator Deus, *Lev. 19. 13.* 'Non opprimes, non spoliabis proximum. *Hieronymus* legit, 'non calumniam facias proximo, nec rapinam facias.

Ad *damnum* in specie dictum referuntur præcepta, *Lev. 24. 18, 21.* *Qui percussit Animam vel jumentum alterius, illud restituito.* Tenetur scilicet. *damnum* refarcire quisquis alteri *damnum* intulit. Finis enim legis est, ut notant auctores, *ne cui ab altero jactura proveniret.*

Ad coercendum *veneficium* interdictum illud pertinet, *Exod. 22. 19.* *Veneficos vivere ne patitor.*

Ad *Dolum & Stellionatum* ex referuntur species, quæ *damnum* & *jacturam* alteri inferunt; nec ad nominata superius delicta apte referuntur. Sub hoc titulo etiam non absurde locantur varix fraudes diversis mensuris & ponderibus utentium; quas prohibuit Deus, *Deut. 25. 13, 14.* 'In sacculo diversa pondera ne habeto. Ne tibi in Domo sit modius major & minor, &c. similia.

## Num. 4. De Quasi delictis in Jure Civili.

### *Ostensa obiter Juris Divini in rep. Ebræorum Analogia.*

Præter delicta proprie sic dicta alia etiam recensentur Jure Civili peccata, quæ Quasi delicta & delicta impropria nuncupantur. Quotquot autem ad hunc in Jure Civili Titulum referri solent, quamvis impropria vulgo dicantur & Quasi delicta audiant; si Naturam tamen ipsam, ejusque attendamus jura legesque, vera proculdubio habebuntur Delicta. Ubicunque enim noxa innocenti illata est, ibi & Delictum. Nec Noxæ gradus speciem facti poterit mutare. Apud *J. Ctos.* autem quasi delicta numerantur hæc, & his similia.

I. *Si Judex litem suam fecerit.* Id est, ut explicant interpretes, si Judex male judicavit per Imperitiam, Quasi delicti

delicti reus est. At quis inficias iverit imperitum Judicem ex imperitia, qua male judicat, adeoque innocentem ad poenam, quam non meruit, sua sententiâ condemnat, eundem lædere? Nec ratio reddi potest, cur non etiam eadem in Judice Imperitia culpæ annumeraretur, aut vtrum minus reputaretur Delictum, quam ejusmodi Imperitia in aliis casibus culpæ imputatur, quos recenset Imperator, *Inst. de l. Aquilia. §. 7. 8.* veluti de Medico & Mulione imperito, infirmoque equitante. Lex est. ‘Imperitia culpæ annumeratur, veluti si Medicus ideo servum tuum occiderit, quia male eum secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit: impetu quoque mularum, quas mulio propter imperitiam retinere non potuit, si servus tuus oppressus fuerit, culpæ reus est Mulio. Sed & si propter infirmitatem retinere eas non potuerit, cum alius firmior eas retinere potuisset, æque culpæ tenetur. Eadem placuerunt de eo, qui, cum equo veheretur, impetum ejus, aut propter infirmitatem aut propter imperitiam suam, retinere non potuerit. Omnes sane hi (nec imperitum excipio Judicem) peræque mihi videntur in culpa positi, quod illud imprudenter in se susceperunt Opus, cui perficiendo, absque noxâ in alios illatâ, impotes deprehensi sunt.

Secunda species *quasi delictorum* est. ‘Cum ex cæculo vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo quis gratis habitat, dejectum effusumve est aliquid quo alicui noceret. Idcirco vero (ut advertunt *J. Civ.*) quasi delictum dicitur, quia ipse non dejecit, nec dejici jussit, sed tantum culpa ipsius fuit, quatenus alias in ædibus suis retinuit personas, eâ imprudentiâ, ut in transeuntes aliquid temere dejecerint vel effuderint. Læisionis igitur autor censetur Dominus, propter negligentiam: quod scil. tales sibi in servos asciverit, qui alios læderent, adeoque quamvis nec sator nec sartor sceleris voluntarius aut malitiosus, Noxæ tamen propter imprudentiam merito censetur Autor.

Tertia species est ‘cum quis eâ parte, quâ vulgo iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit, alicui nocere. Non actu hic inferri supponitur noxa, sed occasio noxæ; illud scil. actu supponitur positum

positum aut suspensum, quo facile possit noxa inferri. Quisquis autem res suas in ea posuit lubricitate, ut sponte suâ probabiliter possint nocere, merito damni reus censetur, si nocuerint. Imo utcunque non nocuerint, parum Officii memor est habendus, quisquis præ incuriâ illud egerit, quo possit, se etiam invito, damnum vicino incidere.

Hujusmodi sane quasi delictis etiam in *Judeorum* politia, Deo O.M. autore, plurima sunt sancita valde consentanea. Non enim solummodo cautum est, *ne quis caecum supplantaret; sed ne quis caeco*, quo ipse impingeret, offendiculum sive *impedimentum* opponeret. *Lev. 19. 14.* Et quod propius accedit ad modo memoratam quasi delicti speciem, Lex est *Deut. 22. 8.* *Si quis domum edificaveris, plano scil. tecto & ad ambulacra fabrefacto, circumitus Teſti clauſtris seu cancellis muralibus munis; Ne, si quis ex tecto non clauſo casu deciderit, sanguinis reatu impietur Dominus.* Nec diffimile est de aperta Cisterna iudicium, *Exod. 21. 33.* *Si quis fossam aperuerit, vel cisternam foderit, nec obduxerit aut operuerit eam, in eamque reciderit Bos aut Alinus; reddito autor fossæ pretium jumentorum Domino; quod autem mortuum est, ipse habeto.*

Quarta species est. *Cum exercitor navis, aut cauponæ, aut stabuli, de dolo aut furto, quod in Navi, aut Cauponâ, aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur.* In quibus casibus, quamvis nec facti conscius, nec mali proximus Autor, Exercitor tamen damni fit reus, quod (cum potuit & debuit) malum non impedierit, ne fieret; vel quatenus causæ Architectus effecti per illam causam damnatur. Favetque textus legis qui exercitorem culpæ reum affirmat, quod operâ malorum hominum uteretur. *§. 3. Inst. cod. & ff. Nautæ cauponæ. l. ult. §. 3.* *Si servus nautæ damnum dederit, licet servus nautæ non sit, æquissimum erit in exercitorem actionem Utilem dare.* Hac autem actione (sic ibidem *Ulpianus*) suo nomine exercitor tenetur, culpæ scil. suæ, qui tales adhibuit: & ideo si decesserint, non relevabitur. Atque hi sunt casus de quasi delictis, qui *Inst. de Oblig. ex quasi del. & ff. de Oblig. & Act.* descripti & per commentatores illustrati videri possint.

Quinta apud *Vulscium* his subrexitur quasi delictorum species, *Lib. 1. Cap. 52.* Veluti si *Quadrupes pauperiem fecerit.* Hoc est, si fera genitali feritate, id est, spontanea nocuerit & minime provocata; sed tamen contra naturam omnium ejus generis animalium; ut in instantia quam fecit ibidem *Servius*; puta ' Si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos cornu petere solitus petierit; voluit ' lex dari id quod nocuit, vel noxæ æstimationem. *Vide. ff. si quadrupes. l. 1. §. 4. 7. & notata Gothofredi in d. §. 7.*

Dominus scil. damni reus habetur, quod tali imbutas feritate quadrupedes alat, ubi ab illis noxa fieri possit: adeoque naturali saltem jure minus accurate dicitur hæc *Pauperies* (ut modo à quibusdam definitur *Jureperitis*) *Dammum sine injuria faciens datum.* Hæc sane in Judæorum *Statuto* inter vera delicta censuit legislator Deus, & poenis non minus severis coercuit. Lex est *Exod. 21. 29, 30. &c.* ' Si bos petulcus antea fuerit, & renuntiatum fuerit ' Domino, nec is custodierit, concluderitve petulcum, sed ' occiderit virum aut feminam, bos ille lapidator, Domi- ' nus item morte plectitor. Sin multa Domino impona- ' tur, vitæ suæ pretium dato, quantumcunque fuerit ei im- ' positum. Sin servum ancillamve petiverit argenti triginta siclos Domino servi percussi solvito; & bos ille la- ' pidator. Ita qui sciens & volens alterius *vitam* obicit periculo, Noxæ autor censetur. Propius ad juris civilis speciem accedit, quod *versib. 35, 36. ibidem* est constitutum. ' Si cujus bos bovem alterius vulneraverit ut moriatur, vendunt bovem vivum & dividunt pretium. Cadaver etiam mortui inter se dividunt. Si autem comper- ' tum fuerit Domino bovem suum cornu petere solitum, ' & non recluserit eum, reddito pro bove occiso bovem vivum, & cadaver mortui ipse habeto.

Sed non opus est singula repetere; infinitis enim exemplis in omni jure, tam divino quam humano, sed civili potissimum, confirmari possit præstantissima illa *Pauli J. C. Regula.* ' Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur; veluti si quis in stipulam suam, comburendi ejus causa, ignem immiserit, & ulterius progressus ignis alterius segerem læserit, si die ventoso id fecit, culpæ reus est, *&c. ff. ad l. Aquil. l. qui occidit, 30. §. 3. vide & l.*

51. ff. ad l. Aquil. l. 1. §. Sextus. ff. de postulando l. 15. ff. de fideiuss. Plura etiam exempla hujusmodi Obligationum videri possunt in glossa ad l. Obligationes 1. ff. de Oblig. & Act. & apud doctores communiter in d. legem, & apud Zasium. l. eandem. ff. eod. Quarum Obligationum originem quidam ex quasi delictis, alii ex variis causarum figuris petunt. Quibus omnibus mature expensis facile quis animadverterit jure civili Romanorum Obligationum ad pœnam Originem ut plurimum à noxâ, seu *damno innocentibus illato*, derivari. Hoc vero (quo melius pœnarum jus stabiliant) in unaquaque quantum scio civitate privilegium nacti sunt legislatores, ut possint decernere cujusmodi facta, & quibus circumstantiis posita, noxia censeri debeant, & perinde inter delicta numerari, factorumque noxalium gradus & merita æstimare; definire denique quibus pœnis quibuscunque illarum noxarum casibus obveniri debeat. Deinde ex eodem consensu jus habere putantur, secundum prudentiam suam, quidlibet statuendi de bonis fortunæ aut corporis eorum, qui in illam societatem coaluerunt. Nec quidquam queri par est subditos de pœnarum severitate, quarum ipsi, si non per se, saltem per Commissarios & deputatos suos, autores extiterunt.

Nam. 5.

**Num. 5.** *De aliis etiam quasi delictis, quæ ex jure partim civili, partim ex vera Philosophia & Christiana religione dignoscuntur, Placito Naturæ de Innocentia ad innocentes extendenda, repugnantiæ.*

Magnam habemus (ut ex jam dictis liquet) ex Jure Civili collectam peccatorum contra Innocentiam messem; quæ fere omnia inter *Delicta* recensentur aut *quasi*. Alia tamen esse non recensita, quæ ratione hujus præcepti vitari debeant, nullus sum qui dubitem. Si enim *quasi delicta* inter species peccatorum, quibus pœna destinatur, rectissime numerentur; si prava suasio verum à Jureperitis habeatur delictum, atque hæc omnia pro maleficiis habeantur, quod disponant solummodo ad noxam, nec ejus proprie causæ sint (Pravæ enim suasionis, qui male suavit, reus fit, etiamsi non persuaserit, nec is, cui suaserit, id consilium sit secutus) Pœnam idem decem aureorum luit ex male suspenso quasi delinquens, quamvis inde nulli sit nocitum; Quæ si (uti videtur) recte statuuntur; quid impedit quo minus omnia, quæ quoquo modo ad noxam faciant & conducant, respectu ad hoc placitum habito fugienda evitandaque reputemus?

Ad hanc igitur classem revocari poterunt quæcunque maleficiorum incitamenta; quæcunque *ἀφορμῶν*, anam, occasionem iisdem subministrant, quæcunque initia Origines, Transitus, vel quæcunque injuriarum factorumque noxalium opportunitates præbent. Qualia imprimis sunt pravi vitiiorum habitus, Intemperantia, Ebrietas, Prodigalitas, Luxuria: Disponunt enim hæc vitia ad Noxam. Nebulones enim, qui prodige absument patrimonia, publico se nocumento ut plurimum alunt. Postquam enim rem suam penitus abliguriverint, in cætus latronum fere se recipiunt, & hominum facinosorum societatibus & combinationibus confarrentur. Prodigis igitur, qui (ut inquit *Cicero*) epulis & Viscerationibus, & gladiatorum muneribus

neribus ludorum Venationumque apparatu profundere divitias, & bona sua dissipare mos erat, per Prætozem Urbanum bonis ex Jure Civili interdicebatur, iisdemque non secus ac furiosis curatores constituebantur. *Interest enim reip: ne quis re sua male utatur*; id est, ne utatur in suum, vel prolis suæ vel concivium, detrimentum. Interdicti formula extat apud *Paulum. 3. sentent. tit. 4.* ‘Quando tua bona paterna avitaque nequitiâ tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico. Certe non solum contra *φιλαυλίαν & φιλοτιμίαν*, sed, quatenus occasionem injuriarum subministrant, ex Luxuriâ, Prodigalitate, Ebrietate & effrænâ quaruncunque libidinum intemperantia, etiam contra placitum *de Innocentia ad Innocentes extendenda*, sæpissimè peccatur.

Neque sane excusandæ sunt hac ex parte libidines, quæ appetitum irascibilem sequuntur; quales sunt Invidia, Odium, Vindictæ, cupido, sævitia, inhumanitas, sicut nec Avaritia, Prodigalitati licet maxime contraria. Quicunque enim affectus habitusve ad injurias vicinis inferendas nos extimulant, hoc ex præcepto nobis sunt interdicti. Nec interest quod habitus hujusmodi imo corde lateant, & oculis sint inconspicui: cum vel in imo pectore omnes tanquam in Officinâ excudant noxas. Unde à Servatore (cui tam non entium) sic loqui liceat (quam Entium perspectissimæ erant Origines & initia) ostensum est *ex corde & reconditis inibi libidinibus exire cades, adulteria, supra, furta, testimonium falsum, convitia. Matth. 15. 19.* Et consequenter non tantum actus perfectos & effectum consecutos, sed & motus intimiores, & passionès quascunque vitiorum promas & procuratrices, severe suis vetuit. Sic non homicidiis tantum, sed irâ, non adulterio solum sed & concupiscentiâ, interdixit. Neque eo contentus iis etiam nos arceri voluit, non solum *transientibus* (ut loquitur schola) sed etiam *immanentibus* aditionibus, quibus ad concupiscentiam poterit animus deduci. Hic sensus Regulæ, *Quisquis aspicit feminam, ut eam concupiscat, jam eam corde adulteravit.* Neque vis hæc Libidinum improba Philosophos gentiles latuit. ‘Nulla, inquit *Cicero*, pestis est capitalior, quam voluptas corporis, cujus avidæ libidines

bidines temere effraznateque ad peccandum incitant. Hinc Patriæ proditioes, rerumpub. everfiones, hinc cum ho-  
stibus clandestina colloquia, nullum denique scelus, nul-  
lum facinus magnum esse, ad quod suscipiendum libido  
voluptatis non impelleret. Stupra vero & adulteria, &  
omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari nisi  
voluptate. Ita ex Archyta Tarentino Cicero. *De Offic. 1.*

Præter hæc vitia & alia hujusmodi, quæ nos ipsos ad  
dammum concivibus aut vicinis inferendum possint allice-  
re, sunt etiam quæ alios disponunt & ad noxam inferen-  
dam præparant. Qualia sunt Delationes & susurri, atque  
Adulatorum assentationes, quibus nonnulli solent Tyrannis  
& potentioribus quibuscunque, crudelitati suæ aut vindictæ  
studio alias nimis indulgentibus, adblandiri. Quo sapius  
fit, ut qui honeste, sapienter, & modeste satis se gesserint,  
aut fortunis suis, aut corporis bonis, aut ipsa denique vitâ  
multentur.

**Num. 6.** *Ratio ex hoc Placito petita, cur  
parentes de futura liberorum felicitate  
soliciti esse debeant.*

Eorum, quæ liberorum gratiâ à parentibus vulgo fiunt,  
ratio reddi ex primo hoc Naturæ placito aliquatenus potest:  
Universaliter omnium quæ eorum gratia præstantur reddi  
nequit. Altera igitur pars ad *supra* refertur, de quâ  
*infra*. Hic solum cavetur, ne quis parens prolem suam in  
eum deduci statum sinat, cui status non essendi (si tamen  
status dici debeat) recte anteferri possit. Noxam enim in-  
ferre imprimis diximus, si quis deteriorem alicujus condi-  
tionem reddiderit. De nihilo aut saltem de insensibili nati  
sumus. Non essendi igitur, aut saltem non sentiendi, pri-  
mus erat prolis status: si igitur parens ab eo nos eduxerit,  
& in deteriorem aperuerit iter, noxam intulit. A noxâ  
autem cuique esse cavendum imprimis ex hoc Naturæ pla-  
cito Mens submonet. Quotquot igitur sunt qui existi-  
mant præstare non esse, quam non esse divites, consensane-  
um est eorum rationi, ut omnem moveant lapidem, quo ci-  
tius



tius certiusque ditescant liberi. Quotquot sunt, qui in *esse homines*, non tantum ponunt Boni, quantum in honorum indigentia mali, necesse est ut omni arte industriaque contendant, ut ad dignitates evehantur à se nati, & quotquot recte sentiunt de Gehennâ, *prestare scilicet non esse, quâ Inferni flammis post hanc vitâ perpetuis immergi*, eorum rationi consentaneum est (idque ex hujus placiti admonitione) sic filios suos erudire, ut possint Dei Gratia Inferni cruciatus evitare. Quatenus autem & quibus in casibus Morum Phænomena, quæ in liberorum curâ videntur fere usu recepta, aliud principium exigant, suo loco dicemus.

**Num. 7.** *De ἄσπρωτοῦ γὰρ ἔσ' immanibus, prout in Historia tam veteri, quam nova exhibentur, quarundam Gentium ritibus. Quod leges de Religione ipso fonte differant a legibus de moribus; adeo ut diversitas rituum in Religionibus diversitatem notionum in argumentis moralibus non arguat. De furtis lege permissis, latrocinii usu receptis, communi item diffidentia, cæterisque exemplis quæ adversari videntur conclusioni sensum Obligationis ad Innocentiam in Natura humana positum statuenti. In quorum singulis quæritur quatenus fides historiis adhibenda, & qua ratione dicta morum Phænomena eum præsentî Hypothesi conciliari possint & debeant.*

Jam mihi necessum erit in remotissimam usque descendere barbariem, anonos percontari Hominum, Urbium, gentium, mores, veram juxta atque putatam evolvere scelerum

lerum colluviem. Amant enim Legis Naturæ oppugnatores à non observatis Morum ubique regulis ad non existentiam arguere. Romanis, Græcis, humanioribus quibuscunque & mansuetis gentibus, barbaros studiosè opponunt, & pessima maximo operæ dispendio exquirunt exempla: quæ quidem, qualia qualia sunt, illud mereri videbuntur, ne tanto aggesta labore, intacta à nobis, & sicco, quod aiunt, pede prætereantur. Imprimis rogare solent, an mera figmenta & fabulæ ducendæ sint, quæ toties in Historiis occurrunt, & tam recentium quàm antiquarum rerum memoriis, de usu receptis collaudatisque vulgò injuriis, de Cyclopiis, Anthropophagis, immani scilicet hominum genere, qui, pro lubitu & sine discrimine, congeneres sibi passim depascunt, & carnes vorant? vel si sint qui huic vivunt conformiter famæ, an censerì possint inscriptam sibi habere de innocentia legem, vel conscientia deterreri à cæterorum læsione?

Respondeo (siquidem cum levibus graviter nimis agendum non sit) nusquam à me hoc esse enuntiatum, Infitum scilicet esse hominum cordibus, ut ab esu carniū humanarum abstineant; quippe dato quod hominum Corpora hoc visu commodius nutrentur, non video cur minus iis vesci liceret, quàm quasi nulli usui inservituras in terrâ defodere; aut, quod in Medicina crebrius factitatum est, in mumiatis spiritibus, magisteriis, salibus, aquis divinis, oleis, extractis, pulveribus, & cæteris phar̄macorum formis, quascunque humani corporis partes deglutire. Aliud est mortui gustare cadaver, aliud animanti sentientique inferre noxam. Quis autem morum status fuerit, quacunque loquantur fide, proferenda tamen sunt Historiarum testimonia. \* Massagetis, inquit *Herodotus*, terminus vitæ nullus est positus, sed ubi quis admodum senuit, convenientes pro-  
 \* pinqui eum immolant, & cum eo aliquot pecudes, quarum carnibus pro epulis, ut coxerunt, vescuntur; quod  
 \* genus obitus apud eos beatissimum censetur. *Herod: in Glio. not. ult.* Nulla hîc putabatur læsio, quia id genus mortis beatissimum supposebatur. \* Berbicæ omnes septuagesimum annum egressos interficiunt. *Ælian. var. Hist. lib. 4. c. 1.* Ejusmodi etiam complura narrat *Herodotus, in Thalia. num. 99.* *Strabo lib. 15. de Ind. lib. 11.*  
 di

de Massageticis, &c. His tamen factis se senes nullâ injuriâ afficere, nec omninò lædere eos existimabant; aliàs non in charissimos quosque affines, amicos, parentes, imò & se ipsos idem parâssent. Nihil autem in historiâ manifestius quam Barbaros à charissimis vescendis non abstinuisse. ‘E-rant qui parentes proximisque, priusquam annis aut ægritudine in maciem irent, ante velut hostias cæderent, deinde peremptorum viscera, tanquam epulas, haberent. Hoc tamen non sceleris, sed pietatis loco numeratum asserit Solinus, cap. 65. Quæ ferè verba reperit Pomp. Mela. lib. 3. cap. de India 7. ‘Lex erat Sardoæ, ut filii patres jam senio confectos fustibus cæderent, & interemptos sepelirent. Ratio legis hæc subtexitur. *Ἀίχρην δὲ ἡγῶν τὴν λίαν ὑπέσμενον ὄντα ἐπὶ τῆν, ὡς πολλὰ ἀμαρτάνει τὸ τὸ σῶματος εἶ δὲ τὸ γῆρας πικρονκίτθ.* Absurdum enim ducebant senectute confractum ulterius vivere, quod labatur, & multa perperans facias corpus senectute confractum & maceratum. *Ælian. l. 4. var. hist. c. 1.* Quis credat hæc animo lædendi à juvenibus esse parata, cum in parentes solum & charissimos hoc factitatum apud plerosque legimus? Certe hi mihi videntur non minori religione ad parentibus mortuis vescendum teneri, quam tenentur alii ad parentes sepeliendos. Adeoque ad Religionis mysteria, non ad naturalem Ethicam spectabunt hæc Exempla. Atque hanc ipsam sententiam confirmat pulchella quæ extat apud *Herodotum* Historia: *Thal. lib. 3, num. 28.* ‘*Darius* accitos qui in suâ ditio-ne erant Græcos, percontatus est quantâ pecuniâ vellent defunctis parentibus vesci; illi negant se ullâ pecuniâ hoc esse facturos. *Darius* statim, Græcis præsentibus, & quæ dicebantur per Interpretem discentibus, interrogavit eos Indos qui Collatiæ nominantur, qui & vescuntur parentibus, quantam accipere pecuniam vellent, ut Græco more parentes defunctos igne comburerent: Indi vehementer reclamantes meliora illum ominari jubebant. Fatendum igitur apud alios scelus videri, apud alios pietatem summam hominem humanis visceribus sepeliri, moremque contrarium adeo impium duci, ut nullâ ad hoc facinus pecuniâ adduci potuerint. Neque Græci omnes hujusmodi sepulturam tantopere averfati sunt: *Chrypsippus* enim (si *Laertio* fides. *v. lib. 7.*) scriptum edidit, quo

quo defunctos vorare iussit. Dicendum igitur est hujusmodi plurâ naturâ libera esse, plurâ diversis religionibus diversimode tradita, ipsos autem Religionum ritus ex diverso fonte, Oraculis scilicet vatum, & sacerdotum responsis, non à Naturâ ipsa, aut naturalibus anticipationibus hausisse gentes. Ex hoc nostro igitur de diversis Græcorum & Indorum sepulturæ ritibus, atque ejusmodi exemplis male argumentatus est *D. Puffendorfius*, haud satis perspicere posse, quid pro naturali jure, quid pro positivo, gentes quæque habuerint. Nemo enim facile dubitaverit hæc exempla ad positivum jus, ad res sacras, & religionem potissimum spectare. Nec ex diversitate Religionum communium de moribus noticiarum diversitatem quis recte poterit inferre.

Quod vero violenta mors illa meditatam ab inferentibus læsionem non semper arguat, inde constare poterit, quod filii in parentes, amici in amicos postquam consenuerant, & senes ipsi in seipos violentas manus inferre solebant, vel religiosâ futuræ expectatione vel præsentis vitæ tædio, beatius ducentes corpore excedere, quam eo decrepito & ultimâ senectute macerato ulterius uti. De Indorum sapientibus ait *Curtius. libro. 8.* ‘ Apud hos occupare diem fati pulchrum ; & vivos se cremari jubent. Quibus autem segnis ætas aut incommoda valetudo est, expectatam mortem pro dedecore vitæ habent. Horum etiam voluntariam mortem narrat *Plinius. lib. 4. c. 19.* De Partalis, Brachmannis & Gymnosophistis exponunt interpretes illud *Lucani libr. 3.*

*Quique suas struxero pyras, vivique calentes  
Ascendere rogos : Proh ! quanta est Gloria genti  
Injecisse manum facis , vitæque repletos  
Quod superest donasse Diis. —————*

Gratas forte Oblationes Diis & opima sacrificia hujusmodi cogitabant vivicomburia. De *Calano* historia apud omnes percrebuit. *Strabo. lib. 15.* ‘ Hyperborei, ubi eos vivendi satietas, magisque tædium cæpit, hilares, redimiti sertis, seipos ex rupe in mare præcipientes dant, id eis funus eximium est. Sic *Pomponius Mela, lib. 3. c. 5.* ubi

de Scythia. De iisdem *Plinius*, quod 'epulari, delibuti-  
' que se senes jam factos præcipites dent in mare. *lib. 4. c.*  
*12. num. 85.* *Solinus Polyhistor. cap. 26.* De *Hispanis*  
*Silim. 1. bello Punico.*

*Prodiga gens anima, & properare facillima morte m:  
Namque ubi transcendit florentes viribus annos  
Impaciens ævi spernit novisse senectam,  
Et fati modus in dextra est.* —————

Aliæ etiã narrantur gentes quibus ita erat senectus in-  
visa, ut potius è vivis excedere ut plurimum elegerint,  
quam decrepitæ ætatis miseras perpeti. Sic *Cos* apud  
*Heraclid. de Polit. & Judæorum Sophi* apud *Philonem. lib.*  
*de Abrahamo.* Nos etiã veterum historiarum fidei non  
tantum tribuimus, ut credamus, nos quot narrationes tã  
veritates audivisse; concedimus tamen Diis sive superis,  
sive inferis mactatos sæpe à juvenibus veteranos ætate jam  
decrepitos. At ne animo lædendi hæ fieri fenum macta-  
tiones censeantur, earundem historiarum fide stat hoc i-  
dem in charissimos factitari, solennem hunc esse Regio-  
num morem, hoc parentes & cæteros senes elegisse (Alias  
enim mutuo consensu has abrogassent leges, ritusque sustu-  
lissent) mortem etiã hujusmodi plures ultro ambivisse,  
sibi que conscivisse. Ex quibus omnibus rite perpen-  
siquido constat, sic eos vulgo existimasse, non læsos fuisse ex  
hujusmodi illata nece parentes amicosque, sed redditos  
multo beatiore. Neque hæ exempla probant insitum  
esse hominum mentibus licere sibi alios lædere: qui enim  
quempiam beatiorem reddit, læsisse eum nulla ratione dici  
potest. Ignorabant fortè Gentes hæ, quid senibus secun-  
dum rectam rationem optabile, quidque bonum; Inhone-  
stum vero esse innocentes lædere quod ignorabant non-  
dum liquet.

*Obj. 2.* At non animo lædendi dicit quis hæc omnia  
factitari? Iterum rerum antiquarum fides postuletur. *Jul.*  
*Solinus cap. 25.* sic habet, 'Post Gelonos & Agathyrso-  
' sunt Anthropophagi, quibus execrandi sunt cibi humani  
' viscera; quem morem impiæ gentis prodit adjacentium  
' terrarum trillissima solitudo, quas ob nefarium ritum fi-  
nitimæ

nitimæ nationes metu profugæ reliquerunt : & ea est cau-  
 sa, quod usque ad mare, quod Tabin vocant, per longitu-  
 dinem ejus oræ, quæ æstivo orienti adjacet, sine homine  
 terra sit, & immensa deserta, quoad perveniatur ad Seres.  
 An huic etiam responderi poterit, Ἀνθρωποφαγίας lexio-  
 nem non arguere, cum profugos reddat finitimos, cum in-  
 gens hac ratione fiat solitudo ?

Laborare certe apud me hic videtur historiz veritas, quippe de hac solitudine altum est apud cæteros auctores silentium. *Ptolomæus* Anthropophagos ponit variis gen-  
 tibus circumseptos : Anthropophagi, Abii-Scythæ, Hip-  
 pophagi, Annibi, Gazinæi, Rabbanæi, Sizyges, Damnæ,  
 Phialæ, Aufatii, Essedones, apud eum non magis distant,  
 quam ab Hispanis Galli, Gallis Belgæ, Belgis Germani.  
 Sed neque adeo insolens est iis, qui historias scribunt de  
 nationibus longe distitis, confictas admittere ( ne nihil  
 dicatur ) narrationes, neque Barbaris vulgo dictis a Græ-  
 cis Romanisque favebatur, adeo ut prudenter egerit, qui  
 hujusmodi relationibus caute crediderit.

Nec sit qui Occidentalis Indiæ incolas, quorum ali-  
 qui etiam humanis carnibus vescuntur, ea mente præ-  
 ditos esse dicat, ut justum putent quoscumque sine dis-  
 crimine lædere, modo proprium promoveant commo-  
 dum. Ipsi quippe Tamoii, Brasilienses, Tuppanbassi,  
 Santacruzientes, & aliz Americæ Nationes, qui hoc u-  
 tuntur victus genere, non in quolibet sæviunt. Humanita-  
 tatis enim exempla, qualia vix apud nos invenimus, vi-  
 dere est passim in Commentariis, quæ extant, eorum  
 qui cum his versati sunt : ut in relatione *Alvari Nunez*  
 Hispani in peregrinationibus à *Purchasio* collectis, par-  
 te 4. lib. 8. c. 1. §. 2. *Knivet* Anglus simul cum duodecim  
 Lusitanis naufragium passis in Tamoios incidit ; inter-  
 rogantur qui, & unde sint : respondent 12. se esse Lusita-  
 nos, *Knivet* se Anglum profitetur ; mactantur ad ciba-  
 tionem Lusitani, timer de se Anglus, jubetur à Tamoio  
 bono esse animo, omnia prospere illi cessura, licet ali-  
 ter sociis cessisset, Inimicitiam enim (*inquunt*) no-  
 biscum exercent Lusitani, & quoscumque è nobis capere  
 possunt, servos detinent ; vestra autem gens bene ali-  
 quando de nobis meruit, te igitur, quoad possumus,  
 tuebimur

‘ tuebimur incolumem. *Purchasius, Parte 4. lib. 6. c. 7. §. 3. Petrus Carderius* Tuppanbassos adire coactus est, qui solenniter homines vorant, hos tamen invenit erga se admodum humanos. *Purch. parte 4. lib. 6. c. 5. §. 5.* In hujusmodi Cyclopicam gentem tantum non incidit *Middletonus*, quam audivit universis Christianis esse infensam, sed hac ratione, quod Christiani, qui Lusitaniam incolunt, multis illos multaverant malis. *Purch. parte 1. lib. 3. c. 10. §. 2.* Brasilienses, dum festo ritu homines epulantur, dum lacerant artus, de facto gloriantur, nullos autem hac scævitia prosequuntur, nisi qui inimici sunt, & victos quoscunque eadem crudelitate divexant.

Non igitur ipsis Anthropophagis negandum prorsus videtur, inesse eam, quæ supra posita est, *de innocentia ad innocentes extendenda* anticipationem. A Christianis multa inique esse passos Americæ incolas nulli non constat; quid mirum igitur, si apud eos inter nocentes numerentur? Animis autem tam ab omni humanitate, ut à quibusdam feruntur, remotis naturalis obligationis sensum aliquantulum in hætere indicio est, quod, si quando in Christianos inciderunt, quos quoquo modo à crimine & injuriis reperiebant liberos, benignius humaniusque (quidni & amicus dicam?) actum sit.

Nec dicat aliquis, quoniam Univerſus hic terrarum orbis Injuriis abundet, igitur credendum esse, Naturam humanam hujusmodi furta, rapinas, homicidia permittere tanquam licita: quippe qui hæc faciunt, quoties iusto examine actiones suas æstimant, *αὐτοῖς τὰ κέρτα* inveniuntur. Illudque animadvertit (ut supra notavimus) *Seneca*. ‘ Dic, inquit, cuilibet ex istis, qui ex rapto vivunt, an ad illa, quæ latrociniiis & furtis consequuntur, malint ratione bona pervenire? optabit ille, cui grassari & transeuntes percutere quæritus, potius illa invenire, quam eripere: neminem reperies, qui non nequitæ præmiis sine nequitia frui malit. Maximum hoc habemus naturæ meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum præmittit: etiam qui non sequuntur illam, vident. *Lib. 4. de benefi. c. 17.* Velim igitur, ut qui injuria elatos contemplantur, eorum è narcosi exsuscitatas interrogent Conscientias, quis iis fructus facinorū?

ut

ut iis cum nequitia conveniat? an nulla experiantur animæ verbera? vel denique, si altius in se descenderent, an nulla possent experiri? Neque enim si minus recognoscatur menti inscripta Lex, nullam inscribi quis recte dixerit, magis quam si communis sensus istorum Axiomatum penes eum esse denegetur, qui nondum animadverterat, 'totum majus esse sua parte, aut si demseris æqualia æqualibus, quæ remanent, fore æqualia. Certe nisi injurias ipsa odisset natura, iisque sine insequentis incommodi animadversione gravaretur, cur aliam quis acquirendi rationem prosperis latrociniiis raptuique impuni (quod faciunt juxta *Senecam* improbi) prætulit, non facile videtur existimari.

Hucusque remotissimarum tantum Nationum exemplis responsum est, quæ quidem adeo immania generaliter sunt visa, ut iis superaddere quicquam ex propinquiorum gentium moribus, supervacaneum videri possit. Sed quæ objici de Iberis, veteribus Græcis, Phocensibus, Spartanis etiam à barbarie mansuefactis, Ægyptiis, aliisque vicinioribus gentibus, possunt & solent opprobria, intueri nobis necesse erit, ne celata macula nec mature deterisa diutius adhærescat.

*Thucydides, de bello P. lib. 1. ad initium, Μίνως, inquit, παλαιότατος ὃν ἀκόη ἴσμεν, ναυτικὸν ἐπέστητο. κλ.* 'Minos eorum quos auditu cognovimus antiquissimus, classem sibi comparavit maximamque partem maris, quod Græcum nunc vocatur (Caricum prius secundum Scholiasten nuncupatum) in suam potestatem redegit: præterea latrones, ut æquum erat, quoad potuit è mari sustulit, ut redditus ad se facilius venirent. Olim enim Græci & Barbari, quotquot in continente degabant, marique vicini erant, quique insulas incolebant, postquam navibus alii ad alios mare trajicere frequentius cœperunt, sese ad latrocinia converterunt, virorum non impotentium ductu, (quod faciebant) tum quæstus sui causa, tum ut victum pauperibus quærerent. Atque adorti civitates nullis muris munitas, & quæ pagatim incolebantur, eas diripiebant, & maximam victus partem hinc sibi comparabant, quum hoc facinus nondum ignominiam haberet, imò vero non nihil potius



'tius gloriæ afferrer. Hoc autem nunc etiam cum alii  
 'nonnulli, qui in Contiente habitant, manifeste decla-  
 'rant, quibus decori est hoc pulchre (*Id est sec. Scholia-*  
 ' *sten, Εὐσιῶς καὶ φιλαθροῦπις, ἕτε ᾧ βῆν ἀετῆρα ἐλεπλά-*  
 ' *την ἢ ἔκλεπτον, ἕτε νυκτός, ἕτε κῆ φόνων ἐπιόντων πῶ λησείας*)  
 'exercere, tum etiam antiqui Poetz, apud quos illi ul-  
 'tro citroq; navigantes, ubiq; eodem modo interrogan-  
 'tur, nunquid sint Latrones? quod neq; illi, quos interro-  
 'gant, factum ut se indignum inficientur; neque illi, qui-  
 'bus curæ est scire, hoc iis ut crimen exprobrant. In me-  
 'diterraneis etiam alii alios prædabantur; & ad hoc  
 ' usque tempus multi Græciæ populi præco more vivunt;  
 ' ut apud *Locros, Osolos, Aetolos, & Acarnanes, &*  
 ' qui finitimam horum agro Contientem incolunt.  
 ' Quinetiam ipse armorum gestandorum mos apud hos  
 ' consuetudine permanfit: omnis enim Græcia gestabat  
 ' arma, tum quia domicilia nullis munitionibus septa  
 ' habebant, tum etiam quia tuto ulro citroque comme-  
 'are non poterant, & vitæ genus armis gestandis assuetum,  
 ' ut Barbari, coluerunt; Græciæ autem populi, qui  
 ' nunc etiam ita vivunt, signum dant similia vitæ insti-  
 'tuta olim apud omnes (*subintelligo Græcos*) fuisse.

"Ἰδίον δέ τι παρὰ τοῖς Ἰβησι καὶ μάλιστα τοῖς Λυσιτανοῖς ἐπι-  
 ' τῆ δέ. κλ. Peculiare quiddam *Iberis* & maxime *Lusita-*  
 ' *tanis* in usu est: nam qui florida inter alios ætate rei  
 ' familiaris inopia maxime premuntur, robore tamen cor-  
 'poris & fiducia præstant, fortitudinis & armorum via-  
 'tico instructi, in aspretis montium congregantur, vali-  
 'disque collectis agminibus *Iberiam* incurstantes præ-  
 'dando divitias corradunt, & hoc perpetuo magno pe-  
 'riculorum contemptu faciunt. Hæc *Diodorus, Biblio-*  
 ' *theca Hist. lib. 5.* ubi de *Lusitanis* agitur. Atque ad  
 ' finem *periocha* addit, quod *Romani* sæpe illos armis  
 ' adorti, etsi nimiam eorum audaciam compescuerint,  
 ' latrocinia tamen omnino tollere non potuerunt. De  
 ' *Mario* in vjta ejus dicit *Plutarchus*, ὅτι κλήρω λαβὼν  
 ' πῶ ἐαυτοῖς Ἰβησίαν λέγει) καθάραι ληστειῶν πῶ ἀπαρχίαν ἀ-  
 ' νήμας ἐσαν ἕτι πῖς ἐθισμοῖς καὶ θπειῶν καὶ τὸ ληστικὸν ἔπα-  
 ' πτε ἢ Ἰβησίων ἐκ κάλλιστον ἡγεμόνων. Quod *ulteriorem*  
 ' *Hispaniam* sortitus dicitur provinciam latrociniis purgasse,

bellinam adhuc, nec dum ad bonos mores redactam, cumq;  
 nandum putarent Hispani plebitudine carere latrocinia.  
 Phoenices ex ignavitate ac macie terræ coacti, studi-  
 osius mare, quam terras, exercuerunt piscando, mer-  
 cando, plerunq; etiam latrocinio maris, quod illis tem-  
 poribus gloria habebatur, vitam tolerabant. *Justini l. 43.*

Civitatibus *Germania*, inquit *Casar*, maxima laus est,  
 quam latissimis circa se vastatis finibus solitudines ha-  
 bere; hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incur-  
 sionis timore sublato. Latrocinia nullam habent infami-  
 am, atque extra fines cujusque civitatis fiunt. Atque  
 ea juventutis exercendæ ac desideræ minuendæ causa fieri  
 prædicant. *Casar, de mori. Germanorum lib. 6. de bello  
 Gallico, num. 5.* *Diodorus Siculus (de Ægyptiis, Bib-  
 liothecæ, lib. 1. part. 2. p. 73.)* sic memorat: *Ἐπιπέρος δὲ  
 τῆς ἀπειρίας νόμος παρ' Ἀγυπτίους ἰδιώτης ἐστι. κλ.* De  
 furibus lex quædam est Ægyptiis perquam singularis.  
 Jubebat enim eos qui furtis operam dare vellent, nô-  
 mina apud furum principem conscripta habere, & furto  
 surreptum consimiliter ad eum deferri e vestigio: eos  
 item, qui res suas amiserant, ad hunc literis unumquod-  
 que amissorum describere, locumque & diem & horam,  
 quibus jacturam fecerint, ascribentes. Hoc autem  
 modo, cum omnia congruere inveniantur, taxatione  
 rerum facta, qui perdidit, quadrantem eorum persolvit,  
 suaque sola tandem recuperat. *Cum enim fieri non  
 possit, ut omnes a furto abstineant, vitam Legislator in-  
 venit, quo tota res sublata, præter exiguum redempti-  
 onis pretium, servaretur. Notumque est secundum  
 Leges Lycurgi Furra eduliorum pueris permitti; imo  
 laude potius quam vituperio accepta, si fur ita egenus ne-  
 caperetur; solique qui deprehendebantur pœnas neg-  
 gentiæ dabant: ut *Plutarch. in Lycurgo.**

Atque hæc jam sunt, neque plura mihi supererunt  
 alicunde exempla contra positam congerenda thesin. Ex  
 his contenditur trivola esse & falsa, quæ de naturali cons-  
 scientia, lege cordibus inscripta de obligationis ad inno-  
 centiam sensu, passim disseruntur. Verum annon scopi  
 aberrant, quibus sic argumentari placet, ipsi videant.  
*Ægyptii Ægyptiorum, Spartiæ Spartiatarum res rap-*  
 puiſſis

puisse dicuntur; at, neque *Ægyptios* neque *Spartiatas* posse furti incusari, sunt qui sentiunt. Solus ille fur audit, qui *invito domino res alienas occupat*: *Spartæ* vero *Ægyptiive* dominos *invitos* concludi iniquum videtur, cum legi consensisse credantur, qua auctrice, hæc, qui *Fures* *improprie* audiunt, ausi sunt facinora. Lex enim erat, ut in rebus surreptis hac conditione jus haberent raptores, si morem in actibus ejusmodi exercendis ratum & statutum observarent. Quid etiam si *Piraticam* excercuerint quondam *Græci*? Si reperti fuerint in *Iberis* & *Lusitanis* prædatores? Si apud *Germanos* contra *exteros* in usu aliquando *Latrocinia*? Non dicam, quod fortasse, in plurimis horum atque hujusmodi casibus, dici possit, justam fuisse belli, omnisque proinde violentiæ, in vicinos causam. Concedam ultra (quod ex exemplis nihil urgeri possit) aliquos aliquando gloriam etiam ex patratibus à se sceleribus aucupasse: neque tamen inde justa consequentia deduci possit, nullam de tuenda in vita innocentia legem cordibus insculptam esse. Possibile enim est etiam tabulis inscriptam nec legi nec animadverti legem: sic præsentis sensu visus actuali sensatione visionis sæpius non utimur, etiamque actu intuentes multa tamen aliis intenti præterimus, quæ videri possint, objecta. Cumque pro rerum mundanarum more, negotiis, studiis variis, atque indefessis contentionibus plena sint omnia, atque ubique sensus feriant hujusmodi exempla, intelligentisque anima iis solum, quæ à sensibus inferuntur, intendat potissimum; nihil mirum, si satagens aliud mortalium genus tardius in se descendat, rarius rerum naturæ systema, mentes suas, aut innata menti theoremata perscrutentur. Aliæ etiam dari possunt hujusmodi in moribus *ἀνομαλίας* causæ; puta male vivendi consuetudines, iudicium Dei, ardor & violentia affectuum, de quibus alibi disserere erit satius. *Plutarchus* in vitâ *Pompeii* asserit, ‘Natura neminem aut esse aut fuisse ferum, sed efferari, ubi extra naturæ modum peccare assuescit, rursusque alia consuetudine redire in mansuetudinem. *Cicero* similiter, cum conclusisset omnes natura justos esse factos, sic inquebat se intelligi velle, ‘Naturam esse, tantam autem esse corruptelam

ruptelam malæ consuetudinis, ut ab ea igniculi extinguantur à natura dati. *De Legib. 1.* Quod Germani Latrocinium non putaverint peccatum, refert *Aquinas* ad naturæ depravationem ex passione & consuetudine mala, *1. 2. q. 94. art. 4.* Theologi & Scholastici volunt, textusque idem evincit sacer, Legem Naturæ judicialiter fuisse in Gentilium plurimis, quoad multa, à Deo obfuscatam.

Ratione igitur optima, homines, ubi abeunt dormitum, oblerant ostia; cistas, ubi carius aliquid reponitur, bene muniant; iter facientes armati incedunt; eos quippe juste suspicari poterunt, qui naturalis honesti præcepta aut non animadvertunt, aut, quod vitiosius, ob causas jam subnotatas vili-pendunt; quos tamen ipsos propria damnare possit, lucidis saltem intervallis, conscientia. Et proinde concludere hinc non debuit, quod fecit *Hobbins*, *Leviath. p. 1. c. 13.* *Nos alios ad aliorum internecionem & interitum aptos fuisse natos.* Si enim hæc in nobis jam reperiatur aptitudo & proclivitas, ideo fit, non quod à natura notionibus de honesto, sed quod vel actuali animadversione vel affectuum rectitudine quomodocunque careamus. Et revera, si paucorum exempla commune hominum everterent iudicium, concludi contra *Malmesburiensem* posset, nec sui Conservationem naturam dicere. Sunt enim, qui ingenii levitates sanguinem proprium, quacunque captata occasione, profundunt. Sic *Monomachiis* plures etiamnum delectantur, & alicubi moris apud barbaros erat, ut mortuo rege, vel etiam amico quocunque, aut patrono, alii se in nuperæ mortis pompam à vita præcipitent. Verum homines gentesque esse, qui seipsum vitasque suas prodigè projiciunt, aliunde quam ex supra recensitis historiis peti probationes non est necesse.

Summa responsi est, ex objectis non sequi, nullam de innocentia legem omnium cordibus inscriptam extare semper, atque esse immortalem. Sufficit enim, quod alicubi Historiarum desideretur veritas; alicubi, de qua declamatum est, noxa in eos illata est, qui iusti hostes & noxii putabantur; alibi voluntas patientium noxæ naturam sustulit. Erat etiam ubi damnum in revera inno-

cuos eosque invitos datum est : contigit autem non propter defectum legis, sed, vel ob reprobatum ob superiora facinora à Deo iudicium, vel humanitus propter inadvertentiam inscripti dictaminis, vel prævalentium affectuum contranitentiam importunam.

**Num. 8.** *Quod ex hoc dictamine non cogamur innocentes nos erga Brutum genus præstare. De contrario dogmate apud Pythagoreos aliosque récepto, idque potissimum ex  $\mu\lambda\omicron\mu\lambda\upsilon\chi\omicron\iota$  perperam credita.*

Obiectio etiam huiusmodi fieri posse videtur. Si nobis, eo quod fortiores simus, in creaturas socias sævire liceat ( utimur enim iis ad aratrum, ad currum, ad venatum, ferimus, pungimus, occidimus, committimus alias in alias, mortaliter armamus, nec ejusmodi genere mortis utimur, quo fiat iis mitius, sed quo nobis salubrius, unde fit ut alios suffocemus, aliis sanguinem mictamus, aliorum jugulum petamus ; ) si, inquam, ex fortitudine nostra & robore quibus iis prævalemus hoc oritur ad lædendum Bruta jus, cur non & potentia hominum erga homines idem jus constitueret ?

Sunt certe qui ea de causâ religione tenentur, eaque fere sunt in Brutum, quo proprium genus, cura & benevolentia. De Pythagoreis vulgaris fama est, nullum eos innocuum pecus Genio litasse ; idque *Ovidium, Jamblicum*, aliique sectæ illius quotquot enarrant dogmata, passim testantur. Imo Turcæ jam temporis graviter ferunt, si qua bestia per cruciatum interficiatur, aut voluptas ex ejus laniens quærat : cujus rei satis pulchram narrat historiam *Augerini Busbequii. Leg. Turcica. ep. 3.* de aurifice quodam, qui male à populo multabatur, & iudicio publico in capitis discrimen, quod innocentem avem cruciatu affectisset, ducebatur. Narrat item in  $\pi\alpha\rho\upsilon\lambda\omicron\varsigma$  *Rosani sect. 2.*

cap.

*cap. de cultu Sinensium*, plurimos illic regionis vivere, qui Ietho dare vel minimum animantium superstitione verentur. De incolis *Cambais* citatus autor memorat, 'plures illic degere ordines hominum ita religiosorum, ut muscam vermese Ietho dare perhorrescant, neque induci possint, ut aquam bibant frigidam, ne animam ejus jugulent. In ambulando omnino timent, ne in reptilia, formicas, cæteraque insecta injurii sint; eligunt potius via decedere, quam iis nimis colliculis appropinquare, ubi formicæ nidos struunt ovaque deponunt. Vino ovisque abstinent, caventes, ne iis vescantur, quibus an insit sanguis, suspicio est; hinc etiam est, quod Raphanos comedere timent, omnesque tam herbas, quam radices, quibus rubri aliquid coloris inest. Quin & sæpius à Mercatoribus ipse eandem in plurimis, juxta Persiam Indiamque, locis brutorum haberi observantiam audivi, recentesque historie rei veritatis abunde fidem faciunt.

Nihili tamen sunt hæc omnia; nec cuiquam videbuntur qui rationem hujus superstitionis habebit cognitam: dogma quippe omnes, ut apud autorem citatum videre est, Pythagoricum μετεμψυχῶσεσ defendebant, animasque putabant humanas in Brutis recondi, perindeque esse in iis atque in hominibus occidendis paricidium.

Quod vero ad objectionem attinet, statim negamus argumentum. Quid enim? Magna est inter Homines & Bruta differentia, ut proinde illos lædere à Natura iniquum judicari possit, hæc contra, honestum satis. Addi etiam debet, summum, cui omnia subsunt, Deum suum nobis in creaturas Dominium transfuisse: neque quidem hoc Christiana solum fide, verum universim inter gentes non supra rationem superstitiones creditum.

Præterire igitur possim jus nobis esse Bruti generis partem non minimam malis afficere, non considerato eo, quod à Numine derivatur, Dominio. Aut enim domesticæ & serviles bestię, aut rabidæ & prædatrices sunt: utraq; hæc quidem ex maleficio suo, illæ ex beneficio hominum libertatem amiserunt, & eam, quam habere innocuos rationales par est, noxam immunitatem. Homines noxios damno afficimus, idque sine injuria; bruta multo magis. Quæ item Bruta continuam sui conservationem humano generi

ferre debent (istiusmodi autem sunt oves, boves, aliaque innumera) iuste à conservatoribus suis vel gravissimis possunt affici malis, cum acceptorum ab iis beneficiorum bonum nequeant excedere, quibus victum adeoque vitam debebant.

Cum tamen hæc ad pisces, multas volatilium species, atque aliorum etiam animantium genera, extendi nequeat ratio; priori, quæ firma est & universalis, adhaerendum videtur: scil. differre longe Hominum & Brutorum nationes, neque legem aliquam à natura cordibus hominum inveniri inscriptam, quæ à noxa Brutis inferenda prohibeamur; Licent autem, quæ non sunt verita. Quique hac in re superstitiosi sunt visi omnes (quantum ex historiis & fide peregrinantium assequor) supradictam tuebantur *μυστικόν νόμον* quæ (sive commentum imprimis *Pythagora* erat, seu, quod malim credere, ab Orientalium religionibus in *Pythagorica* receptum dogmata) communes easdemque utrisque animas statuens, essentialem hominum (quaque à Brutis determinatur) sustulit differentiam, & proinde facillimam superstitioni ansam ministravit.

**Num. 9. Limitatio juris, quo tenemur neminem malo afficere, ab innocentia petita, ubi perpetua Ratio Domini, ejusque defendendi jus, etiam cum damno nocentium, exponitur.**

Si qui sint homines, qui jura naturæ suis postponentes affectibus violant, atque id agunt, ne convenientem naturæ nostræ adipiscamur felicitatem; nulla religio animos naturaliter ligat, quo minus damna illis inferamus. Ratio est, quod, quæ à natura, seu Deo omnium conditore, nobis data sunt, summa ratione data censenda sunt. Ratio autem donationis est, ut ejus usui sit donum, cui donatio fit. Cum igitur quicquam homini datum fuerit, idcirco datum credi debet, ut felicitati ejus aliquid conferat, & usui ejus sit, nec jus sit alteri usum ejus præripere: quomodo enim illud

Iud usui est futurum, quod datur hac lege, quod si aliquis illud corrumpere eligeret aut eripere, impune hoc illi liceret? Frustra igitur, aut nullum est jus aliquid possidendi, & vanum tantum est dominii nomen; aut res nostras defendere, & malo afficere alios, si aliter hæc defensio fieri non potest, non est injustum.

Ita *Paulus*. 'Qui, cum aliter se tueri non possunt, damnum dederint, innoxii sunt. Vim enim vi defendere omnes leges omniaque jura permittunt. ff. ad l. Aquil. l. 45. scientiam. §. 1.

Et *Florentinus*. 'Juris est, quod omnibus hominibus inter se commune est, ut vim atque injuriam propulsemus. Nam jure hoc evenit, ut quod quisque ad tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. ff. de Inst. & Jure. l. 1. 64. l. 2, 3. collatis.

*Gaius*. 'Si servum tuum latronem mihi insidiantem occidero, securus ero; nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. ff. ad l. Aquil. l. Itaque. 4.

*Imperatores*. Hoc etiam casu imperatores *Valentianus*, *Theodosius*, & *Arcadius*, expresse unicuique veniam concessere sine judice se vindicandi. 'Mortem, inquit, quam minabatur obsessor, excipiat, & id, quod intendebat, incurrat: melius est enim in tempore occurrere, quam post exitum vindicare. l. 1. Cod. quando liceat unicuique sine judice se vindicare.

*Molina*. 'Fas universim est interficere eum qui nos interficere decrevit, quando aliter non patet via evadendi mortem. *Lud. Molina. de justis. communis. tr. 3. d. 12.* 'Imo si tantum bona eripere fuerit aggressus, idem juris obtinet. *tr. eodem. disp. 16.* Quippe alias ipsos rerum dominos audacia superarent direptores.

*Cicero*. 'Si tempus est ullum jure hominis necandi, quæ multa sunt, certe illud est non modo justum, verum etiam necessarium, cum vis vi illata defenditur. *Pudicitiam cum eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus imperatoris interfectus ab eo est cui vim inferebat: facere enim probus Adolefcens periculose, quam pati turpiter maluit, atque tum ille vir summus scelere solutum periculo liberavit. Insidiatorum autem & latroni quæ potest inferri injusta lex?*

'Est



Est enim hæc, non scripta, sed nata, lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus; ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. *in Oratione pro T. Annio Milone.*

XII. Tabulæ. *Duodecim Tabula nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interficere impune voluerunt.* Cicer. ib.

Et memoriæ proditum est *Democritum* homines maleficos solitum feris & serpentibus comparare: ideoque qui eos occidisset innocentem pronuntiabat, sive illud fecisset privata manu seu jussu publico.

**Num. 10.** *Quo primum temporis articulo inter noxios sint habendi homines; An scil. ubi primus apparuit malefaciendi conatus, an non nisi peracto demum facinore, an cum intenderint damnum, an potius cum dampnum dederint? Obiter ostenditur quod Fides Christiana sententiam confirmet quæ docet, voluntatem malefaciendi reatum inducere.*

Ego quidem sic existimo, generale hoc esse hominibus judicium, etiam ipsum malefaciendi conatum plecti posse, reatumque induci non solum ab effectu, sed ab attentato tantum, improbo facinore. Mitius alicubi in levioris noxæ casibus non infrequenter agi animadvertimus. Ratio autem videtur, quod aut minima legum cautelæ minus solent subjici, vel quod in minimis major sit clementiæ locus. Re autem infecta, ipsam nocendi voluntatem & primos improbitatis conatus reatum inducere, adeoque juste puniri posse, ex Testimoniis & judicatis infra ponendis casibus

sibus abunde puto fieri (si quid Gentium doctores & juristæ recte sentiunt) omnibus manifestum. ‘Latro est, inquit Cleanthes, scitiam antequam manus inquinet, quia ad occidendum jam armatus est, & habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur atque aperitur opere nequitia, non incipit. Sacrilegi dant pœnas, quamvis nemo usque ad Deos manus porrigat. *Seneca ex Cleanthe. lib. 5. de benef. c. 14.* Testis item Cicero. ‘Consilia hominum, non eventa rerum, legibus vindicantur. Quare hoc quidem deliberantium genus pellatur è medio. Est enim totum sceleratum & impium, qui deliberant, utrum id sequantur quod honestum esse videant, an se scientes scelere contaminent: in ipsa enim cogitatione facinus inest, etiamsi ad ea non pervenerit. *Cic. de Offic. lib. 3.* Et *Seneca*. ‘Potest aliquis nocens fieri, quamvis non nocuerit. Si quis cum uxore, tanquam cum aliena, concubat, adulter erit, quamvis illa adultera non sit. Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam remixtum cibo perdidit, venenum illud dando, scelere se obligavit, etiamsi non nocuit. Non minus latro est, cujus telum opposita veste elusum est. Omnia scelera etiam ante effectum operis, quantum culpæ satis est, perfecta sunt. *Tit. In Sapientem non cadere injuriam, cap. 7.* Scelera quamvis citra exitum subsederint puniuntur. *Declam. 7: Maximus Tyrius.* Ἀποδύχουμαι ἐν λόβῃ τῆ γνώμης τῶ πῦρτιδιφ ποσειδῶνι & ἀδικίαν μᾶλλον ἢ τῶ ἐπιτυχῶ ἐν ἔρσει· καὶ γὰρ μίχρον κολάζει ὁ νόμος· εἰ δὲ δράσαντα μόνον, ἀλλὰ καὶ βυληδίντα, καὶ ποιχῶρυχον τὸ ἐπιχειρήσαντα, καὶν μὴ λάθη δράσας, καὶ ποσειδίῳ τῆ μελετίσαντα, καὶν μὴ ποσειξῆ. *Amplector quidem sententiam hanc, quæ improbo instituto injuriam ascribit potius quam actionis successui. Quippe & machinus lex punit, non qui machinatus est tantum, sed & qui voluit; & furem qui tentavit furtum, licet deprehensus fuerit; & proditorem qui animum habuit sine eventu.* Max. Tyr. diff. utrum referenda sit injuria.

Juvenalis. *Et patitur pœnas peccandi sola voluntas:  
Nam scelus inter se tacitum qui cogitat ullum,  
Falli crimen labet.* Satyr. 13. v. 209.

Idem

Idem testantur *Leges aperta*. Neq; de J. Cli. hac in re consensu moveri potest dubiū : expressis enim verbis & apertis textibus apparet voluntatem malefaciendi reatum inducere : *L. 1. Cod. Theodos. ad l. Juliam de ambitu*. ‘Pari sorte (diserta sunt legis verba) leges scelera puniunt & sceleris voluntatem. Item *Cod. ad l. Jul. majest. l. quisquis*. Traditur, ‘quod eadem severitate voluntatem sceleris qua effectum puniri jura voluerunt.

*Casus. 1.* Casus etiam plures è juris Romani corpore desumi possunt, quibus confirmari hæc sententia possit : ‘Solicitatores alienarum nuptiarum, etiam si adulterium perpetrare non potuerint, tamen propter voluntatem perniciosæ libidinis coercentur. *l. 1. ff. de extraord. crim.*

2. Qui nuptias Monialis aut Vestalis Virginis attentavit, pari pœna plectitur cum eo qui eam rapuit. *l. si quis non dicam. Cod. de Episcop. & Clericis.*

3. Qui alienum servum corrumpere tentavit solum, punitur in duplum aetione de servo corrupto, ideo quia consilium corruptoris ad perniciem probitatis servi introductum est. *l. si quis. Cod. de furtis.*

4. Consilium voluntasque proditoris patris punitur, licet crimen non sit peractum : in dictâ lege *Quisquis. Cod. ad l. Jul. Majest.*

5. Solus conatus punitur in parricidio, veluti quando filius venenum emit ut patri daret, quamvis dare non poterit. *l. 1. in fino. ff. ad l. Pomp. de Parricid.*

Si verò instantanea sit hæc voluntas & subita cogitatio, ita ut cogitans ad nullum processerit actum, non punitur cogitans : quia, ut notant quidam, *Primi motus non sunt in nostra potestate*. Gothofredus in *l. cogit. ff. de pœnis, & c.* Hinc nata lex, *Cogitationis pœnam nemo patitur*, idque juxta rationem excusationis infra latam, quod scil. in re impossibili tollatur & cesset Obligatio.

‘Ignoscitur etiam ei qui cogitavit, & aliquatenus in actus processit, si sceleris eum sponte pœnituerit. Ita ‘qui falsam monetam percusserint, si id totum formare noluerint, suffragio justæ pœnitentiæ absolvuntur. *l. Qui falsam. ff. ad l. Cornel. de falsis*. Humanæ enim fragilitati æquum est aliquousque veniam fieri, & si tantillum solum à debita rectitudine absterimus, eam recte petimus, quam aliis

aliis daturi sumus. *Nam vitis nemo sine nascitur, optimus ille est*—— *Qui minimis urgetur.*

In Curia Galliz non semper observata est hæc exceptio, nec poenitentia à voluntatis malitia excusavit. Nobilis quidam Normannus fraterculo sodali confitebatur se *Franciscum* Regem Galliz occidere voluisse, nihil tamen ausum esse, & flagitiosæ voluntatis sponte poenitere. Sodalis reum ad regem detulit: Rex deprehensum ad Curiam Parisiorum mitti jubet: Curia capitali supplicio quasi perduellionis convictum damnavit: Et refert *Bodinus de rep. lib. 4. cap. ult.* Equius tamen à tanto iudicii rigore humanitatis ratione temperassent.

Hanc sæpe sententiam *Voluntatem male faciendi reatum inducere*, Christianæ Religionis veritas abunde confirmat. Hæc enim erat inter Servatoris nostri & veterem Pharisæorum doctrinam differentia maxima. Virtutem ille ad Animum mentemque ipsam, ejusdemque inordinationes coercendas extendebat: Scribæ & Pharisæi de externis solummodo actionibus erant solliciti, falsi nec fideles legis Mosaicæ interpretes, qua præceptum est [*Levit. scil. 19. 17.*] *Fratrem tuum ne oderis*, בלבבך quod *LXX* Interpretes translulerunt *עו תי דאוריגו או*, alii forsan primo cordis motu dixerint. Præcepto notabili *Ne occidito*: Stuale homicidium tantummodo pronuntiabant interdicitum. Servator motus cordis & Oris convitia (probabiles homicidii Occasiones) non minus eodem prohibitas edixit: *Matth. 5. 21, 22.* Et in altero illo præcepto, *Ne adulterato*, quod Pharisæi solummodo ad externas castus continentia, Servator ad internam mentis puritatem, & ad facta, ex quibus ipsa saltem mens corrupti possit, extendebat: verba edita sunt. *Ego dico vobis, quisquis feminam se aspicit, ut eam concupiscat, jam eam animo adulteravit.* Et infra ostendit eam esse Legis Christianæ puritatem, ut non solummodo actum peccati, sed quicquid animum ad peccandum pellicit, vitandum abjiciendumque esse doceat, etiamsi Oculo sit charius. Feste igitur *Tertullianus*; *Male velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam, ex æquo veretur.* *Tertul. Apol. c. 26.* Certe ad affectum ipsum male faciendi coercendum, & ad extirpandam ipsam injuriam

inferendæ voluntatem, expresse lata videtur ultima illa, quæ claudit Decalogum, *Lex de non concupiscendis Uxore, Domo, Jumento aut quibuscunque vicini Bonis*. Quam legem, donec Hæresis Pharisaicæ nondum renuntiaverat, parum intellexit *S. Paulus*: postmodum tamen Christianus factus præclaram vidit cum *S. Jacobo Interdicti* hujus rationem. *Concupiscentiam scilicet tentare quemque, eumque pellicere ad vitium, & decipere. Jac. 1. 15. Concipere item imprimis Libidinem in animo scelus, & postquam conceperis, actuale parere peccatum*. Quidquid autem impellit, pellicit aut disponit ad noxam, quamvis non statim inferat, ut noxale rectissime interdicto divino & in communibus bene administratarum rerum pub. institutis humano (uti *supra* fuse demonstravimus) subjicitur.

### **Num. 11. An suspicio damni ab alio imminētis sufficiens sit causa ut alteri alter nocere incipiat?**

Suspicio vehemens mali ab aliquo proventuri non videtur ratio sufficiens cur alter alterum damno afficiat. Ratio est, quia lædere alium non est simpliciter licitum, sed aliquibus solum casibus concessum; ut cum aliter bona nostra, amicorum, aut publica tueri penes nos non sit. Nisi igitur existat hic casus, nullum jus permittit hanc violentiam, imo nisi cognoscatur hic casus existere. Quippe respectu rerum exinde agendarum, idem est rem non existere & non apparere; quarumque actionum non liquet justitiæ, ab iis abstinere communis ratio suadet, iisque instare, quibus possumus ad rei veritatem pervenire. Nec inter Christianitatis cancellos coercetur, sed apud omnes peræque gentes obtinet Paulinum illud, *Rom. 14. 23. Πάν τὸ ὅτι ἐν ἐμῆ συνείδησις ὁρίσθη*. Hinc præceptum illud *Pythagoræ, μήτις τις μὴδὲ τίς μὴ ἐπίσσοι, Nequicquam fac eorum quorum ignoras justitiam*. Suspicio scientiam excludit; defuncti enim solet ætus, per quem in dubitationem trahitur, timentes de aliquo ne læsionem inferat: nequit autem si-

mihi

mul cum dubitatione consistere cognitio. ‘ Bene, in-  
quit Cicero, præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod  
dubites, æquum sit an iniquum : Dubitatio cognitionem  
significat injuriæ. *Offi.* 1. Cui & consentit *Aristoteles*,  
‘ *Ἐὶ δ’ ἔτι τὰ μὲν καὶ ἀλήθως αἰχρῶ, τὰ δὲ καὶ ἄξιον, ἴδεν δια-  
φέρει, ἴστυς δὲ παραλίαν.* Sive sint revera, sive juxta opi-  
nionem solum turpia, nihil interest, neutra enim sunt facienda.  
*Eth.* lib. 4. cap. 9. Sed nihil magis ad rem dici poterit  
quam quod habet *Persius*,

*Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,  
Ut teneas veritos inscitia debilis animus.  
Diluis Helleborum certo compescere puncto  
Nescimus examen ? Satyra 9. v. 9, 10, &c.*

Autoritates, quibus confirmari possit, *suspicionem damni  
imminentis ladendi jus non dare*, plurimæ adduci possunt : sed  
nolo quidem ego hic aut oleum aut operam perdere. Quæ  
sit communis hac in re hominum notio, optime apud *Gro-  
tium* jam est declaratum. *lib. 2. de. jure belli & pacis. cap.  
1. num. 5.* à verbis, *Sed multum falluntur & fallunt, qui  
metum qualemunque ad jus occupanda interfectionis admit-  
tunt, ad illa, Etiam Livia apud Dionem ait injuriam eos non  
effugere, qui faciunt, quod timent, occupant :* quibus addi  
velim ultimam *num. 17. c. eod. periodum,* ‘ sed ut vim  
pati posse, ad vim inferendam jus tribuat, ab omni æqui-  
tatis ratione abhorret. Ita vita humana est, ut plena se-  
curitas nunquam nobis constet : adversus incertos metus  
à divinâ providentia & ab innoxia cautione, non à vi, præ-  
sidium petendum est.

**Num. 12.** *Queritur, quomodo nos tuebimur, cum rationabiliter metuamus, ne ab alio aliquo ledamur, si non removere personam suspectam insequentemque noxam damno dato liceat.*

Resp. Sic nostra est promovenda & tuenda res, ut nemini fiat injuria, ut nemini damnum inferamus, saltem quam maxime hoc fieri potest: at aliquo modo fieri potest, ut nos tueamur salvis aliorum rebus. Exempli gratia: Titius à Mævio metuit, ergo potest à Mævio aliquid exigere, quo certior sit Mævium se malo non esse affecturum: sic apud Romanos, si quis novum opus moliretur, sic ut vicinus timeret, ne aliquando malum aliquod ex novo hoc ædificio ædibus suis obveniret, (a) jus erat, ut qui de malo futuro & adhuc infecto metueret, novum illud opus, quod aiunt J. Cti. nunciaret, id est nunciatione prohiberet, donec satis dederit, id est (ut *Pardulphus Præsejus, & F. Hottomannus* explicant) donec caverit datis fidejussoribus se damnum, si quod accidat, ei cujus intererit, præstaturum. Cui simile est quod habet lex de damno infecto; si nempe tuæ ædes ruinam minentur, quæ si caderent meis ædibus damnum inferrent, quoniam (ut hac in re inquit (b) *Hopperus*) alteri per alterum iniqua conditio non debet offerri, nec expectari donec damnum evenerit, sed si ante fieri potest, præveniri, permissum mihi est (c) ut postulem à te cautionem mihi dari, de damno, quod accideret, refarciendo; & nisi tu id facias, ego in possessionem rei tecum mittar, ut facultas mihi sit cavendi, ne quid damni eveniat. Quin & ad tutelam eorum qui de læsione sua causam habent suspicandi, omne est introductum cautio-

(a) ff. de operis novi nunciatione, l. 39. l. de pupillo. §. 8. 17. &c. & l. non solum 8. §. 2 ff. eodem. (b) De vera jurisprudentia, lib. 1 & tit. 6. (c) ff. de damno infecto, lib. 7. Prætor ait, &c. (d) d. l. Si mandat. §. 9. §. 6. ff. mandati. l. 4. §. addit. ff. de Fidei commiss. liber.

num genus ; cujusmodi sunt (d) fidejussio & rerum oppign-  
neratio jure Civili ; obsidum datio jure Gentium, ut &  
cautionalia oppida, Castella, &c. quibus ita caveri solet  
homini vel Genti de injuria suspicanti, ut hoc modo ultra  
omnem periculi aleam ponatur. Neque scio, qui supponi  
possit casus, in quo cautio dari non potest. Duo post nau-  
fragia in insulam non prius cognitam incidimus : Ego ab il-  
lo metuo, metuens exigo cautionem, hanc puta, ut suspec-  
tus in unâ parte insulæ intra positos limites se contineat : si  
recuset hujusmodi conventionem, manifestum dat pravita-  
tis suæ argumentum. Verum, inquit, qui sciam, quam-  
vis conventum fuerit, hunc pacto staturum, aut me somno  
fortean sepultum, aut aliud agentem non oppressurum ?  
Resp. Impossibile esse, nisi plane sim plumbeus & stipite  
magis excors, hoc ita fieri posse, ut prius non deprehenda-  
tur limites suos transeundo : quippe neque horis omnibus  
neque statis dormire me est credibile, adeo ut pro mi-  
raculo esse possit, si primo aggressu me occuparet ; sique  
multum hac in re suspicax sim, illum aliquandiu in acti-  
bus suis observare potero. Aliisque ejusmodi casibus ra-  
tione non dissimili responderi possit. Nulla tamen causa  
est, cur tanta sit hominis prius ignoti suspicio, quanta  
poni solet ab iis, qui in Moralibus & Politia *Hobbiuum*  
sequi delectantur, vel etiam cur propter incertos & sine  
evidentia periculi susceptos metus, naturæ præcepta  
redderemus irrita.

**Num. 13.** *Cum periculum jam instet, quo-  
modo metuens se gerere debeat.*

Si Titius Mævium ita occupaverit, ut nullus Mævio  
evadendi detur locus, nisi per Titii interitum, qua-  
ritur an Mævio liceat illum occidere ? Resp. Si rationa-  
bilis sit suspicio, æquum est, ut liberam evadendi po-  
tentiam exigit Mævius : hanc si Titius concedere refrag-  
getur, certum malitiæ suæ argumentum ponit, & jus  
facit Mævio cum eo tanquam cum aggressore agendi.



In simili causa (a) *Ludovicus Molina* idem plane statuit; 'Si, inquit, sinistra suspicio de aliqua hominis actione rationabiliter præsumatur, admoneri potest ut desistat ab hac re facienda; qui, si admonitus desistere nolle, periculumque esset aliter non evadendi mortem, posset hic tanquam injustus aggressor interfici.

Hinc in militia jus obtinuit, quod si quis etiam amicorum ignotus, adeoque à Custodia suspectus, jussus stare, nihilominus statim processerit, Lex militiæ jubet eum tanquam aggressorem occidi. Qui enim tandiu stare recusavit, donec probari possit se non esse Adversarium, is tanquam Adversarius justissime tractabitur.

*Cas. 2.* Si duo in ea ponantur circumstantiarum complexione, ut physica sit de necessariâ alterius eorum morte certitudo; veluti si in angusto & præcipiti stadio, ascensu forte *Jonatha* ad stationem Philistinorum (1 *Sam.* 14. v. 4. 13) magis periculoso, duo homines toto impetu currentes alter alteri obvieniatur, nec stadius utrunque ferre possit, nec retro detur (propter interpositum aliquod impedimentum) alterutri cursus; quæritur, an damnum dare potius quam accipere, jus & ratio naturalis suadeat? (b) Resp. si Animos hominum examinemus, hoc repertu non erit difficile, plures malle alios à stadio detrudere, quam se in præcipitium detrudi sinere, aut ipsos se illuc dare. Vitiose tamen hoc nobis accidere quis recte dixerit? Unusquisque enim suo jure, ipso se volente & dispensante sine injuriâ decedit; alterum cedere non liquet. Qui si non cedit; cur magis ad propriam tuendam vitam vicini tollete vitam liceret; quam ut meo pecori parcam, vicini pecus jugulare, non adeo expedita est aut certa juris ratio: si enim

---

(a) *Ludov. Molin. de just. commut. tr. 3. d. 12.* (b) 'In re dubia tunc prior pars est eligenda: Generaliter autem tutius est ut se obligatum credat qui liber est, quam ut liberum se credat qui est obligatus. *Sanderfon. de Oblig. Conscientia, prælect. 6. De legum human. Mat. n. 17.* Ubi subnectit etiam, ex innata humani cordis pravitate esse, ut à nimia auidacia sæpius, quam nimio metu peccetur, & ad carnis licentiam sumus quam par est procliviores. Quin & vulgata est Regula. 'Solutus in illicitis non peccat, qui se aliquando & à licitis caute restringit.

pròprium commodum, aut evitatio mali nobis alias obventuri, noxam alteri inferendam excusare poterit, nulla caret prætextu nisi insana iniquitas. Insanus enim prope est, qui alium sine omni commodi sibi inde proventuri intuitu quenquam injuria afficit.

Sed si contractu aliquo componi res possit, ut sive per jactas sortes, sive aliter determinandæ hujusmodi controversiæ locus & tempus sit, æquius existimo ut his rationibus, utri moriendum sit altero superstite futuro, transigatur res, & fiat ex conventionem judicium, quam ut uterque intercidat, aut alter se præcipitem det. Cujusmodi conventionis politicum habemus in medicis *Nicolai Tulpii Observationibus exemplum, lib. 1. c. 43.* ‘Septem, inquit, ‘Britanni accinxerant se in insula Christopherianâ unius ‘solummodo noctis itineri, ultra quam non extenderant ‘commeatum. At interveniens tempesta abripuit imparatos longius in mare quam ut potuerint reverti ad portum ante diem decimum septimû. Luctatum igitur cum ‘inedia est, quæ eo ipsis fuit gravior, quo ardentius id temporis æstuarit Sol, & vehementius exucca eorum guttura ‘exarescerit exhalans incalescentis maris faldedo. Cum ‘intricati erroris nullum finem promitteret spatiosum ‘mare, ancipiti sorti comittebant, cujus carne urgentem ‘famem, & quo sanguine compescerent inexplebilem sitim. Jacta est alea; quò ex illis unus cædi destinatur, ‘qui lubenter fortunæ cessit, & gavisus est se post mortem ‘amicis esse profuturum. Deinde sorte alius reperiebatur qui jugulum peteret, sic aliquamdiu cibata Navicula ‘deduxit tandem Deus ad Insulam Martiniam, ubi vix ‘attingerant terram quin accusarentur protinus à Prætorè ‘homicidii: sed dedit illis veniam iudex

— *Dira atque immania passis,  
Et quibus illorum poterant ignoscere mænis,  
Quorum corporibus vescebantur.*

Ad hoc caput spectant responsiones *Hecatonis. l. 6. de Offic. 5. plenus est sæctus liber.* ‘Si tabulam, inquit, de naufragio stultus arripuerit, extorquebitne eam sapiens si poterit? Negat Hecato, quia injurium. Quid Dominus ‘avis,

navis, eripietne suam? Minime. Non plus quam navigantem in altum efficiere de navi velit, quia sua non sit. Quoad enim perventum est eò quò sumpta navis est, non Domini est Navis sed Navigantium. Quid si in una Tabulâ sint duo naufragi æque sapientes, sibi ne uterque rapiat, an alter cedat alteri? cedat vero; sed ei cujus magis interfit vel suâ vel resp. causa vivere. Quid si hæc paria sint in utroque? Nullum erit certamen; sed quasi sorte aut in micando victus alteri cedat alter. *In miscando i. e.* alterna membrorum remigatione. Plura huic spectantia videri possint *infra, cap. 12. de comparatione Offic. n. 3.* Quibus tamen omnibus contrariam sententiam suam opponit *Malmesburiensis, Leviathan. part. 1. cap. 13.* Is in omnibus hominibus ne ab aliis lædantur suspicacem ponit diffidentiam, qua positâ sic deinceps argumentando progreditur. 'In tanta, inquit, Diffidentia, vel ut ipsa auctoris redditione utar, in tanto & mutuo hominum metu securitatis viam meliorem habet nemo anticipatione; nempe ut unusquisque vi & dolo cæteros omnes tam diu subsicere sibi conetur, quamdiu alios esse à quibus sibi cavendum viderit. Quoniam enim sunt qui animi & gloriæ causa universum terrarum orbem superare vellent; nisi alii (alioqui modicis contenti finibus) potentiam suam alios invadendò auferent, sed tantummodo se & sua defendere conarentur; subsistere diu non possent. Itaque Domini acquisitio per vim, unicuique, ut ad conservationem propriam necessaria, concedi debet, iusta est, (*sic originalis editio Anglica*) nec cuiquam deneganda.

Sed huiusmodi argumentis quibuscunque ex superioribus petitur Responsio. Aut enim ii, quos Diffidentes & meticulosi suspicantur, aliquid jam actu sunt aggressi, quo manifestum fieri possit prævæ intentionis indicium; & in hoc casu innocentes esse jam desinunt, & proinde cessat Obligatio de iis ut innocentibus tractandis; nec Ratio impedit quo minus possint tanquam Nequitæ aggressores legisque naturæ violatores puniri aut opprimi; Aut forte nuda solum est suspicio, metusve inanis damnum aliquod in se aut in res suas à quopiam esse proventurum. Cui casui communis hominum Ratio hoc ex longo jam tempore invent

invenit posuitque remedium, ut qui metuit cautionem exigat, talemque rerum voluntariam dispositionem, ut damnus innocenti inferre sine manifesta sui ipsius læsione nequeat injuriæ suspectus. Quas cautiones & rerum dispositiones præstare si recusaverit, clarum jam pravæ intentionis prodit argumentum, adeoque contra eum, seu conditæ à Natura legis temeratorem, agi nec mirandum est, nec iniquum, si optima maximaque rationalium pars vim *quam meritis juste opponat.*

## CAP. IV.

### De Fide Servanda.

---

#### Num. 1. *Judicia & rationes Jure Consultorum & Gentilium, quod Obligatio ad Fidem servandam a Natura sit.*

Nisi ex fide simpliciter data, passivæque, quæ non habent *Συνάλλαγμα*, oriretur naturaliter Obligatio, sequeretur ( ut rectè advertit *Grosius*) pactorum inter Reges & populos diversos, quandiu nihil ex iis prælitum est, vim esse nullam. Nec ratio, *inquit*, reperiri potest, cur leges, quæ quasi pactum commune sunt populi, atque hoc nomine vocantur ab *Aristotele & Demofihene*, (*Rhet. 1. 13. l. 2. ff. de Legib.*) Obligationem pactis possint addere: Voluntas autem cujusque hoc omni modo agentis, ut se obliget, idem non possit. Accedit his Sapientum consensus: nam quomodo dicitur à Juris Consultis nihil esse tam Naturale, quam voluntatem Domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi: eodem modo dicitur, nihil esse tam congruum humanæ fidei, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare. *§. per iraditionem. Inst. de rerum divis. l. 1. ff. de pactis.* Fidem dicit *Horatius* Justitiæ sororem; *Platonici* (quod & Sacer Bibliorum aliquando facit Textus

‘justitiam vocat *ἀλίδναρ*, quod *Fidelitatem* transtulit  
 ‘*Apuleius, &c. de Jure belli, lib. 2. c. 11. §. 1.*

Quod aliter statuerat *Connanus*; hanc ipse rationem ponit, quod honesta aliqua censuerat ad necessitatem Obligationis non esse exigenda; sed relinquenda potius cujusque honestati, inter quæ servandam simpliciter promissorum fidem numeraverat. Nos contra, honesta omnia, id est, quæcunque quoquo modo Lex Naturæ præcipit, ad Naturalem justitiam spectare dicimus: Injustitia enim Naturalis est, quæcunque legis Naturæ transgressio. Turpia igitur omnia, quibus Naturæ placita violantur, ad Injustitiam referimus; secus atque fecit *Connanus*, qui turpe & inhonestum, nec tamen injustum dici voluit, Promissum non implere. Neque recte (ut mihi videtur) intellexit *Connanus*, quod scripsit *Tullius*, ‘de  
 ‘promissis inutilibus promissario non servandis, deque  
 ‘non servandis promissis, si plus tibi noceant, quam illi  
 ‘profint, cui promiseris. Quod enim his casibus non servanda asserit, ex suppositione pendet voluntarii inter promittentem & promissarium consensus, de remittenda promissione, & solvendo quod interest: ex quo consensu major utrisque oriretur Utilitas; & ad quam Utilitatem procurandam omnes consentire debere, recte censuit *Cicero*: quia, ut ibidem edisserit, *contra Officium est, majus damnum anteponi minori*. Quæ ratio tam ad contractus reales, quam nuda promissa extendi potest. Neque tamen censuit *Connanus* hujusmodi contractuum nullam esse ex natura Obligationem. Hujusmodi igitur Casus *infra*, Capite ubi quæritur *quibus modis tollitur Obligatio*, latius sunt exponendi. Alias si nullam esse Originariam ex fide simpliciter data Obligationem censuisset, libi ipsi plane videretur contrarius, qui ibidem, ubi *fundamentum justitiæ fidem* dixerat, *Fidem* statim definivit, quod sit *Dispositio factorumque Constantia & Veritas*, supponitque quia sit, quod dicitur, appellari *fidem*.

*Seneca* quamvis alicubi leges Rom. reipub. civiles ad illud præstandum, quod nude promissimus, non obligare retteretur, (quod & fatentur omnes) Legem tamen Naturalem fidem quounque promissio datam exigere asserit. Ita enim jubet, *lib. de Moribus*. ‘Priusquam promit-

'tas, delibera, & cum promiseris, facies. Et malo mihi  
 'succesum deesse, quam fidem. Etiam hosti est æquus,  
 'qui habet in consilio fidem. Fidem qui perdit nihil  
 'potest ultra perdere. *Ib.* Et *Epistola* 88. 'Fides, inquit,  
 'sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla neces-  
 'sitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio,  
 'Ure, cæde, occide, non prodam, sed quo magis  
 'secreta quærit dolor, hoc illa altius condam. 'Consenti-  
 'entes in aliquam rem, inquit *Modestinus*, ex consensu ob-  
 'ligari necessario ex voluntate videmur. *ff. de Oblig. &*  
 '*Act. l. Obligamur, 52. §. 4.* Etiam consensus suffi-  
 'cit obligationi; sed & nutu solo pleraque consistunt.  
*Ib. §. 9.* Nota est, quam tulit *Paulus*, juris Regula. *ff.*  
*de Reg. Jur. l. 84. §. 1.* 'Is natura debet, quem jure  
 'gentium dare oportet; cujus fidem secuti sumus. Et  
 'dicit *Ulpianus*, *ff. de pecunia constituta, l. 1.* 'Dactorem  
 'naturali æquitati favere, qui constituta ex consensu fa-  
 'cta custodit; quoniam grave est fidem fallere. Quale  
 'autem sit constitutz pecuniz promissum, exemplo ex Sa-  
 'cro Textu desumpto declarari potest. *Onesimus* servus  
 fugitivus per ministerium *D. Pauli* in Christianam fidem  
 est conversus: Conversum Apostolus ad Dominum re-  
 mittit *Philemona*, rescribens insuper in hunc modum.  
 'Si qua te *Onesimus* injuria affecit, aut debitor tibi est,  
 'hoc mihi imputato. Ego *Paulus* scripsi mea manu,  
 'ego dependam. Constituta hic est à *D. Paulo* pecu-  
 'nia, id est promissa, nulla in Apostolo Constituentre de-  
 'bendi causa præcedente, præter consensum promisso sig-  
 'nificatum. Ex promisso tamen tenetur solvere, sic e-  
 'nim naturalis æquitas jubet, & ex naturali civilis Ro-  
 'manorum: quoniam (ut verbis *Ulpiani* utar) *grave est*  
*fidem fallere.* Si quærat, cur in aliis fere casibus nuda  
 pacta similem obligationis vim in civitate Romanâ non  
 obtinuerint. Resp. ex placito legislatorum venisse; qui  
 ad coercendam vanitatem temere promittentium, certas  
 aliquando stipulationes deliberate promissorum voluerunt  
 esse signa: rectiusque dixit *Paulus*, *sententiarum lib. 2.*  
*tit. 14. ex nudo pacto inter cives Romanos actionem non*  
*nasci*, quam, ut loquuntur alii, non nasci obligationem.

Communiter sane Doctores hoc lege Naturæ districte

juberi volunt, ut fides data, pactaque seruetur. Vide *Cynum in l. digna Vox. 4. n. 7. in ult. quest. vers. Et naturalia jura suadent, &c. Cod. de Legibus. Joan. Baptista Plotin. in tract. de in litom jurando. §. 38. incip. quadragesimo amplia, n. 3. vers. ubi dicitur quod Ratione naturali, &c. And. Fachineus, lib. 9. Controv. juris, c. 59.* Adeoque hoc dicitur obtinere, ut nulla omnino dari possit hac ex parte Dispensatio vel juris remissio. Qui enim principem dicunt, ex suæ potentiz plenitudine, tollere posse jus positivum, atque adversum id suo arbitrio disponere, certi tamen & indubitati juris esse asserunt, hunc ipsum Principem contractibus & fide data non minus obligari, quam alius quilibet etiam privatus obligatur. Ita *Alexander, Consil. 1. incip. Redemptoris nostri, vers. Nam quilibet, etiamsi sit supremus princeps, &c. Lib. 2. & Consil. 97. v. 4. vers. quia princeps tenetur servare contractum. Et Com. 286. in Causa communis Rispomatonensis, N. 4. Col. 4. vers. & ideo ipsa. Albertus Brunnus, Cons. 51. v. secundo moveor.* Ubi hanc communem esse ait Doctorum sententiam: & ratio est, 'quod jus Naturæ ab omnibus peræque Juris Consultis vel a summo principe immutabile judicatum sit. Contrarias *Hobbiis & Theologopolitici inepeditas*, ad calcem hujus capituli (si Deus volet) expendemus.

LXX. Interpretes illud *Prov. 6. 2.* sic interpretantur, *Παῖς ὃ ἰσὺς ἀρδεὶ τὰ ἴδια χόλαν, καὶ ἀλλοτρίῃ χόλῳ ἰδίῳ σπυαίῳ.* Laqueus enim fortis viro propria labia, & capitur labiis propriis oris. Cui plane consentit interpretatio Arabica. In quem locum sic *Mercerus.* 'Contractus priusquam ineantur, sunt liberi; ubi semel sunt initi, & partes contrahentes obstringunt. Verba, inquit, ligant homines. Fidei præstatio etiam præstanti damnosa apud Psalterem probis omnibus commendatur, *Psal. 15. 4.* quasi scula sit qua ad Gloriz cælestis Tabernacula ascenditur, & saltem via ad Regnum, si non regnandi causa. Quin & Servator ipse Phariseos *ὕστερ* inepte *ἀρνηζοῦσθε*, & præpostere de Officiis judicantes acriter increpans, fidem servandam positivis de decimatione præceptis aperte prætulit; atque inter Magnalia legis reponendam docuit. *Matth. 23. 23.* De morali autem fide (non Theologica ejusdem depo-

minationis virtute) locutum consentiunt unanimi sententia interpretes (*Ajetanus, Drusius, Vossius, Cartwrightus, &c.*)

Divino etiam jure pacta Reges & populos diversos obligare quæ comprobent non desunt exempla Biblica. Ita cum Rex primus Ebræorum *Saulus* pactam cum *Gabaonitis* fidem laxisset (quæ si non ex primo, cui fraus inerat & mendaciis confectum est, fœdere, saltem ex sequenti rati habitione ad *capitis noni Josua* calcem memorata, firma censeretur) illosque quos lignatores & lixas factos ab injuriis & nece defendere debuisset, contra pactam fidem sustulisset, perfideque Ebræorum studio interemisset: Ebræis famem immisit Deus per tres annos continuos, quæ non nisi vindicta de *Sauli* stirpe sumpta sedari poterat (*vide. 2. Sam. 21.*) Cumque *Sedecias* contra fœdus cum Rege *Babyloniz* percussam militum copiam ex *Egypto* accersivisset, quo, pactione rescissa, rebellaret, sic perfidum *Sedeciam* perstringit per vatem *Ezechielem* Deus. ‘An feliciter ei eveniet? An impune evadet qui hæc fecerit? An qui pactum violaverit, evadet? *Et post pauca.* Ne vivam, inquit Dominus *Jehova*, in sacramentum meum quod contempserit, meumque pactum quod violavit, in caput ejus ulciscar. Tendamque in eum rete meum, & meo casse captum *Babylonem* deportabo; ubi supplicium summam criminis quod contra me commisit. *v. Ezechielem. cap. 17.* Divinæ autem vindictæ etiam in Reges perfidos sumptæ nulla historia non est plena.

**Num.**



**Num. 2.** *Quod naturale hoc de fide servanda Placitum Originarium sit, & a cæteris distinctum. Quod neque ex Placito de Innocentia ad innocentes extendenda, nec de sui amore derivetur. Obiter de cæterorum Natura placitorum a placito de Innocentia distinctione.*

Concluso jam quod in læsa fide grande contra naturalem conscientiam peccatum, fidemque servare honestum pulchrumque sit; quæri tamen solet, an primo hoc à Naturali conscientia proveniat, ita ut fidei præstandæ nulla alia sit origo aut fons, quam Natura ipsa, sive humana mens honesta dictitans; adeoque à nullo alio dependeat aut præscribatur (quod prius dici meruit) conscientiz dictamine? An forsan secundario ab alio aliquo placito derivetur, modumque & mensuram Obligationis obtineat?

Respondeo, quod ipsa *Fides* principium sit; quodque fide præstita (sine omni respectu ad cætera quibus dicitur morum regendorum placita) acquiescat humana & delectetur conscientia. Si enim ex alio oriundum esset; certe aut ex Innocentiz præcepto, ut *Connanus* secuti quidam voluerunt *Juristæ*, aut ex commodo sui amorem respiciente, ut *Athei Epicuræ* secuti modo sentire se profiterentur.

➤ An ex placito de Innocentia derivari possit, imprimis expendamus. Dicimus naturaliter honestum esse, ut *Titius* præstet, quæ *Mævius* pactus est seu promisit. Respondes, si ita sit, non tamen primo hoc esse honestum, sed quia suam alias *Titius* Innocentiam tueri non possit, quin *Mævium* læderet, si promissis non staret; fidem enim *Titii* *Mævius* est secutus, ita ut damnum illi necessario accideret, si nollet *Titius* promissa adimplere. Replicamus, rationem non esse cur *Fidem* *Titii* sequeretur *Mævius*, si non esset ex se obligatoria. Et si damnum insequatur, cur non magis à seipso, quam à *Titio* secutum judicaretur?

Exemplo

Exemplo forsan clarior res fiet. Mævius Titio equum vendidit; pactum supponitur hujusmodi. Do jam equum, ut cras tu des viginti minas. Non pendit nummos ad diem Titius, sed equum reddit, nec videtur damnum dedisse, qui equum restituit. Imo, inquires, damni fit reus, quia credidit se recepturum viginti minas, atque ita de rebus suis domi disposuit, ut tibi utui foret necessario hæc pecuniarum summa. Belle! Unum tamen similiter replicando rogasse fas sit, cur (ex hac Hypothesi) promissor Titius damni perageretur. Non enim (dato quod promissi per se non sit Obligatio) quicquam fecisse arguetur, quo ratione utens Mævius crederet. Temeraria fides sua Mævium perdidit: Suppositoque quod Fidei non sit Obligatio, nihil fecit Titius cur Mævius crederet, neque temeraria Mævii confidentia aut credulitas Titio imputanda est, neque iniquum, si stultitiae suae poenas luat. Vicinum sic alloquor. Cras tibi fortasse dabo viginti minas, fortasse non dabo. Certo credit me daturum. Dicesne me ex temeraria ejus confidentia vinciri? Cum ea sine omni ratione fuerit, nec quicquam egerim cur is certo crederet. Si amens aut alius insipiens me daturum illi ingentem pecuniarum summam crediderit, idque aut nulla aut levi de causa crediderit, quod scilicet eum aliquando ad carnem vocassem, teneborne ad pecuniam numerandam? Nihil minus. Quid autem si de rebus suis sic disposuit, ut alias ex fide damnum pateretur? Respondeo, quod me innoxio suum damnum patitur ineptiâ. Ex quibus consequitur si fides non obliget Naturaliter, nullam esse rationem, cur alter alteri paciscenti crederet.

Verum, inquiunt nonnulli, qui quod promisit non præstitit, alium læsit, suo defraudavit, nec veniam magis quam fur meretur. Vulgaria hæc; imo eadem sane recocta videtur crambe. Nonne eadem ratione possimus & aliud de gratitudine placitum ex capite *de innocentia* derivare. *Avliχαις* enim beneficiarii benefactori debetur. Debita autem ad illos pertinent, quibus debentur: *Avliχαις* igitur si quis subtraxerit, quasi furti reus est, quod sine damno benefactoris fieri non potest. Similiter in vulgari beneficentia quæ ex ultimo emanat placito. Viscera sunt quæ universo humano generi debentur; hæc non exhibuisse nefas, hæc subdidisse

subduxisse culpam sapit, quæ etiam quandam habet cum furto analogiam. Verum si distincte nobis agendum sit, peculiaris hæc ut stant posita, ponenda erant Naturæ humanæ placita. Quæto enim alias qua ratione constat, quod injuste is fecerit, qui à promissis recessit, qui parenti dare alimoniam recusavit, qui aquam à sitiente prohibuit? Respondes, quia hoc pacto alterum lædit, damnum innocenti infert. Nego contra fieri læsionem, cum nihil à persona detrahat, cui inferre noxam dicitur. At, inquires, debuit ipse aliquid ejus gratia præstare. At qui hoc probes rogo? Non alia ratione Obligationem confirmaveris, quam recurrendo ad principia Fidei, Gratitude & Humanitatis vulgaris; adeo ut (si prima fundamenta investigare volueris) necesse sit tandem, ut ad hæc ipsa pervenias principia practica; ultra quæ non datur exitus, nisi in conscientiæ tranquillitatem & gaudium, quibus bene conjunctis virtutum omnium ætuumque moralium finis consistere videtur.

Neque quidem (quod *Epicurum* sectantes solent declamare) hæc fidei præstandæ obligatio ex sui amore possit originem desumere. Esto interesse cujusque, ut alit cum illo servent fidem, nec servaturos nisi ipse erga cæteros servet; at dantur casus in quibus nullum ejusmodi bonum possit quis ex aliorum fide servata lucrari, quantum ex propria servata perdet. Istiusmodi autem sunt eorum circumstantiæ, qui ex promissis & fide data pro aliis ad mortem obligantur aut grave supplicium, veluti Obsidium aliorumque similitum, quorum meminimus in celebri quæstione, *An possit quis pro eo fidejuberè, cui pena corporalis impendat?* Nam etiam in his casibus data fides est servanda, ex qua magna sane incommoda, nullum autem omnino fidem servantibus accedere poterit emolumentum: (conscientiæ bonum semper excipio, nec interest hac in causa: nullum enim Conscientiæ esset ex servata fide gaudium, nisi servandam juberet natura) quæ autem incommoda sunt, & emolumentis carent, à *φιλανθία* certe suaderi non poterunt. Tale est *M. Reguli* Exemplum apud *Ciceronem*, *Offic. Lib. 3.* 'qui ad Carthaginem rediit, cum neque ignorabat se ad crudelissimum hostem & ad exquisita supplicia proficisci, quod fidem servandam putabat.'

‘Hæc

Hæc illa fides, quam sanctissimum dixit pectoris bonum  
*Seneca*, quæ nullo corrumpitur præmio, nulla necessitate  
 ad fallendum cogitur. Cujusmodi argumento *Torquatum*  
*Epicureum* contrarias partes sustinentem sic adoritur *Ci-  
 cero. de Fin. 2.* ' Si te amicus tuus moriens rogaverit, ut hæ-  
 reditatem reddas suæ filiz, nec usquam id scripserit, ut  
 scripsit *Fadus*, nec cuiquam dixerit; quid facies? Tu  
 quidem reddes, ipse Epicurus fortasse redderet; ut  
*Sextus Peducam*, &c. Sed ego ex te quaero, quoniam  
 idem tu certe fecisses, nonne intelligis eo majorem  
 vim esse naturæ, quod ipsi vos (qui omnia ad vestrum  
 commodum, & ut ipsi dicitis, ad voluptatem referatis,  
 tamen) ea faciatis ex quibus appareat, non voluptatem  
 vos, sed Officium sequi, plusque Naturam, quam ratio-  
 nem pravam valere? Sic Socratice interrogando herbam  
 dare hac in controversia ipsum coegit Epicureum; evi-  
 citque fidem servandam, Naturam potius per se præcipere,  
 quam ex comodo, aut sui amore persuaderi.

### Num. 3. De modis quibus fides dari possit.

*In fide danda requiritur consensus vo-  
 luntarius, & Consensus signa. De va-  
 rietate signorum. De stipulationum for-  
 mulis jure Civili: quodque intersit Rei-  
 pub. ut certa statuantur signa serio pa-  
 ciscentium.*

#### §. I.

Ut fides formaliter detur requiritur imprimis mentis consensus voluntarius.

In omnibus rebus quæ dominium transferunt, inquit  
*Javolenus*, concurrat oportet affectus ex utraque parte  
 contrahentium, nam sive ea venditio, sive donatio, sive  
 conductio, sive quælibet alia causa contrahendi fuit, nisi

animus utriusque consentit, produci in effectum, in quod inchoatur, minime potest. *ff. de Oblig. & act. l. in omnibus. 55.* Adeo conventionis nomen generale est, ut eleganter dicat *Pedius*, 'Nullum esse contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in se conventionem, sive re sive verbis fiat. Nam stipulatio quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est. Ita *Ulpianus. ff. de pactis. l. 1. §. 3.*

## §. 2

Secundo. ad fidem dandam, seu ad pactum aliquod promissumve Obligatorium constituentum, adhiberi etiam necesse est consensus signa. Idem enim est quoad juris effectum, non esse, & non apparere voluntatem rem suam, sive operam suam, in alium transferre volentis. 'Modum promittendi quod attinet, is requirit (ut *inquit recte Grotius*) actum externum, id est, signum sufficiens voluntatis, quale interdum potest esse nutus, interdum vox, aut literæ. *De jure Belli. lib. 2. c. 12. §. 11.*

## §. 3.

Magna quidem fateor signorum est varietas, quibusque in Numerum redigendis vanus forsitan hic loci impenderetur labor; præsertim cum in singulis describendis contractibus, modum consensus significandi notare saltem mihi decretum sit. 'Nihil interest, si *Juliano fides*, an suffragio voluntas declaretur, an rebus ipsis & factis. *l. de quibus 35. §. 1. ff. de leg.* Quod nutu solo voluntas significata casibus quibusdam habeatur rata, ex eo patet, quia 'nutu jubere quis potest, ut adeatur hæreditas, *l. 39. §. 1. ff. de acquirenda hereditate. l. 65. §. 1. ff. ad Trebellianum.* Ita & relinquere possumus fidei commissum. *l. 21. ff. de legatis 3. l. 22. Cod. de fidei com.* Et Legatum. *44. Eclog. 1. c. 132.* Delegamus etiam nutu *l. 17. ff. de novatione.* Imo paciscimur & jubemus. *Cujacius ad l. 1. §. 2. ff. de verb. oblig.* Certe si naturam attendimus, qui quomodocunque voluntatem significavit, verbis, actionibus, gestu, seu nutu ejusmodi, qui possit mentis sententiam perfecte declarare, ejus voluntas in licitis & honestis conventibus, promissis,

promissis, pactis quibuscunque (sive de dando, sive de faci-  
 ciendo contractum sit) habetur rata. Ex verbis enim non  
 contrahitur obligatio, quatenus verba sunt, aut his literis  
 & syllabis constant, sed quatenus ex instituto sunt concep-  
 tum signa. Certissimumque est illud Philosophorum  
 Axioma, *quod convenit enti qua ens, convenire omni Enti*, &  
 consequenter illud convenire omni signo, quod verbis  
 convenit, quatenus signa sunt. Ne vero fraus cui fiat, aut ob-  
 scuritate signorum quis falsum faciat iudicium de mente  
 illius qui contrahit, Leges civiles formulas quasdam adin-  
 venire, quibus uteretur promittentes contrahentesque,  
 ut certis voluntaris suæ signis. Ita Romano jure promit-  
 tendi rei constituebantur, si interrogati, *Spondetis hoc an-  
 illud?* Respondissent, *spondeo*, aut *spondemus*, l. duo rei. ff.  
*de duobus reis.*

Pacto convento Aquiliana stipulatio subjici solebat. ut  
*Paulus*. l. pacto. ff. *de Transactionibus*: qui libro *sententia-  
 rum secundo*. Tit. 3. asserit, 'stipulationem esse verborum  
 'conceptionem, ad quam quis congrue interrogatus re-  
 'spondet, velut, spondes? Spondeo. Dabis? Dabo.  
 'Promittis? Promitto. Fidei tua erit? Fidei mea  
 'erit. Et *Justinianus*. §. 1. *Instit. de verbor. oblig.*  
 'In hac re, *inquit*, olim talia verba tradita fuerunt: Spon-  
 'des? Spondeo. Promittis? Promitto. Fide Promit-  
 'tis? Fide Promitto. Fide Jubes? Fide Jubeo. Da-  
 'bis? Dabo. Facies? Faciam.

De quibus stipulationum formulis, §. 1. *Instit. de ver-  
 bor. oblig.* ad hunc modum rescripsit *Justinianus*. 'Solenn-  
 'nia hæc verba olim quidem in usu fuerunt, postea tamen  
 'Leopina constitutio lata est, quæ solennitate verborum  
 'sublata sensum, & consonantem intellectum ab utraque  
 'parte solum desiderat, quibuscunque tandem verbis ex-  
 'pressum est. *Constitutio extat hujusmodi*. Imperator  
 'Leo Anlo Erythrio, præf. præf. Omnes stipulationes,  
 'etiam si non solennibus vel directis, sed quibuscunque  
 'verbis, consensu contrahentium compositæ sunt, agnitæ  
 'suam habeant firmitatem. *Cod. de contrab. stipul. l.*  
*omnes.*

Nihil certe, quod ad Naturæ jus attinet, interest, qui-  
 bus signis consensus intercesserit, modo certa sint: Jus ta-

men civile in singulis contractibus specialem modum significandi consentum exigit. Non quod is modus à Natura requiratur, ut quis obligationem contraxisse dicatur, verum ut certum aliquod habeatur ab omnibus empti, locati, depositi, stipulati, societatis institutz, & cæterorum contractuum, aut fidei quomodocunque cum animo obligandi data, signum; neque acta sua varie interpretari ad libitum cujusque & interesse liceret. Optime igitur *Bronchorst. in reg. Ju. 27.* ‘Introduxit, inquit, jus civile certas & solennes quasdam contractuum formulas, certosque modos quibus aliquid deberi incipit vel desinit. (*l. Oblig. 44. §. Placet. ff. de oblig. & act.*) ‘à quibus neminem recedere posse recte constitutum est, ne ad cujusvis privati hominis arbitrium & censuram jus publicum infringatur. Habet nempe quilibet contractus propriam substantiam, & essentialem à jure præscriptam formam, quam si detrahas, contractus corruat necesse est. *l. Julianus. §. Si quis rem. ff. ad exhib.* ‘quare nec convenire potest, ut sine interrogatione & responsione stipulatio contrahatur, aut emptio sine pretio, aut locatio sine mercede consistat, &c.

Hic etiam observatione est dignissimum quod notat *Henricus Henniges, observ. in Grot. de jure B. lib. 2. c. 11.* ‘Quando, inquit, docemur in Romana Jurisprudencia nudis pactis neminem efficaciter obligari; id non eo pertinet, quasi jus naturale in hoc articulo mutatum esset, quod vult ut omnes ad illud, quod serio promiserunt, astringantur; sed ideo non servantur nuda pacta, quoniam in iis deficit facultas paciscendi. Quippe Majestas, quæ prudenti consilio prospexerat multa incommoda innumerasque lites in Remp. inundaturas, si ex quolibet temerario promisso quis obligaretur, certos modos formulasque obligationum verbalium esse voluit, ex quibus certo liceret colligere, voluntatem contrahentium non esse erroneam aut præcocem. *Et paulo post.* ‘Legislator ad omnem difficultatem tollendam certos modos se per verba obligandi constituit, & quicquid extra eos fit, hoc loco à statu esse jussit, ac si serio negotium gestum non fuisset, adempta subditis contrahendi facultate, adeo ut actus finem, quem intendit, nequeat consequi. Non igitur

• tur hac ratione corrigitur jus naturale, ſed explicatur ;  
• non mutatur, ſed determinatur & confirmatur, &c. *ib.*

**Num. 4.** *De ſpeciebus peccatorum contra fidem datam. Quæ tot ſunt quot ſunt formulæ paciſcendi. Formulæ pactio- num ex Uſu Rom. Imperii. Contractus qui vocantur Reales Juris Gentium: De Mutuo, Commodato, Depoſito, Pignore. Contractus qui vocantur ex conſenſu Juris gentium: Emptio venditio, Locatio Conduçtio, Societas, Mandatum. Contractus Juris Civilis proprii. Contractus innominati. Quasi-contractus. In quibus omnibus notantur promiſſio- nes, ſaltem implicite. Quomodo con- ſenſus in unoquoque prædictorum con- tractu ſive pactione ſignificetur, diſtin- cte explicatur.*

Tot modis peccari poteſt contra Fidem datam, quot eam dari eſt poſſibile: Datur autem apud varias gentes ſecundum varias paciſcendi formulæ, quas omnes enu- merare infinitum ſi non ſit, ac majoris opus moliminis quam quod ab homine quopiam ſingulari plene poſſit perfici.

Morem igitur, Uſum, Leges Romani Imperii ſequi mihi certum eſt, eaſque conventionum formulæ, quibus ſpondebant, vel aliquo modo ſignificabant, ſe alterius gratia quicquam facturos; de cæteris enim, quamvis va- rius gentium Uſus ſit, facile futurum eſt Judicium: pro- miſſis enim fere ſignificatur conſenſus, ex ſignificatione autem conſenſus Obligatio naſcitur.



## §. I.

## Contractus qui vocantur Reales Juris Gentium.

Reales (ut Notat *Vultejus. Jurisp. Rom. lib. 1. c. 30.*) Contractus dicebantur; quia in his contractibus oportebat rem presentem esse necessario, & tradi, ut Contractus jure civili legitime inirus diceretur. Et sunt

1. Mutui datio, qui Contractus est realis, quo rem in quantitate existentem ita damus, ut qui accipit, eandem reddat, non quidem in specie, sed in genere. V. *Herm. Vultejus Jurisp. Rom. lib. 1. c. 31. Cujacium, Observ. lib. 11. cap. 37. D. D. in princ. Inst. quibus modis re contrahitur Obligatio.*

Promissio implicita saltem mutuo dantis supponitur hujusmodi. *Do vel dabo tibi Vini amphoram, si Kalendis Martiis proxime secuturis vini ejusdem generis & bonitatis reddes eandem quantitatem.* Significatur consensus huic promissio vel per rei dationem, veluti si rem tradideris mutuo eam à te roganti; vel per verba, literas, nuntium, aut signa conceptuum quzunque.

Promissio mutuo accipientis est, *Kalendis Martiis proxime secuturis reddam eandem ejusdem generis & bonitatis vini quantitatem.* Significatur consensus huic promissioni accipiendo rem (*viz.*) vinum traditum, item verbis, nuntio, literis, aut signis animi quibuscunque.

2. Commodati datio est contractus realis, quo res aliqua gratuito utenda alicui conceditur, ut illa ipsa etiam restitatur in specie. *Vult. ib. cap. 32. Calvinus, in dictione ad verbum commodatum. & D. D. in §. Item is cui res. Inst. quib. modis re contrah. oblig. Et in l. 1. §. Item is cui, ff. de oblig. & act. l. si mihi 3. §. 1. ff. commodati.*

Promissiones implicantur hujusmodi. 1. Commodantis, *do tibi hunc equum, ut Kalendis Martiis reddas.* Significatur traditione equi ei qui rogavit, ut eum sibi commo- daret; Item verbis, nuntio, literis, &c. 2. Commodatarii, *Reddam tibi equum quo tempore convenit, & cetera observabo, qua lex a Commodatario requirit.* Significatur consensus equi acceptione, ut & literis, nuntio, verbis &c.

3. De-

3. *Depositum est contractus realis, quo res mobilis gratis datur custodienda, ut eadem in specie restituatur quodocunque libuerit deponenti. Vulteius loco citato. cap. 33. D.D. in §. praterea. Inst. quib. modis re contrah. obli. l. 1. §. is quoque. ff. de obl. & act. l. 1. &c. ff. depositi.*

Promissiones. 1. deponentis: *dabo tibi hac instrumenta ut apud te sint more depositi, si reddes cum volueris.* Signa consensus sunt rei depositæ traditio, postquam quis eum rogaverit ut deponat, verba expressa voce, literis, per nuntium.

2. Accipientis depositum: *servabo quod apud me deposueris juxta depositi leges, reddamque cum volueris.* Signa consensus sunt depositi acceptio, literæ, verba, &c.

4. *Pignus definitur conventio, qua creditori jus in re alicujus constituitur, ut debitum ipsi sit tanto tutius. Vulteius Jurisp. Rom. lib. 1. c. 34. & D.D. in §. final. Inst. quibus modis re contrah. obli. l. 1. §. jabet. ff. de colat. bon. l. 9. in fine. ff. de supell. leg.*

Promissiones. 1. *Ejus qui pignori dat: dabo tibi hanc vestem, ut apud te sit secundu[m] leges de pignore, si mihi eandem reddes quo tempore omnia, qua à me tibi sunt debita, in solidum exolveris.*

Signa voluntatis sunt 1. Rei traditio personæ hanc cautionem petenti, verba item expressa, literæ, nuntium, &c.

2. *Ejus qui pignus accipit: Erit apud me vestis secundum leges de pignore, reddamque tibi, cum mihi debita in solidum exolveris.*

Signa, Pignoris acceptio, verba, literæ, &c.

§. 2.

*Contractus qui vocantur ex consensu juris gentium.* Non ex consensu vocabantur hi contractus, quali cæteri ab eo non penderent, (nullus enim potest esse sine consensu contractus) sed qui consensus merus in his jure civili sufficere potuit, si quidem aliquo modo significaretur; quamvis nulla statim accesserit rei traditio: sine traditione in contractibus realibus obligatio non constituitur; cætera enim juri civili non satisfaciebant signa: ex consensu autem dicuntur Emptio & Venditio, Locatio & Conductio, Societas & Mandatum.

1. Emptio

1. Emptio & Venditio est contractus ex consensu de certo pretio habenda. *Vulteius Jurisp. lib. 1. c. 35. Cujacius & Gothofred. ad l. 20. de Alt. Emp. & Doctores in. pr. Inst. de oblig. & Consens. Inst. de empr. & vendit. l. venditor 8. ff. de evict. l. necessario. 8. ff. de peris. & commodo rei vendita.*

Promissiones 1. vendentis: *Dabo tibi Equum si mihi solveris libras viginti.* Significatur consensus vel Equi traditione pretium illud pro Equo offerenti, verbis item, literis, Nuntio & Similibus.

2. Emptoris: *Dabo tibi viginti libras, ut mihi Equum des.* Signa Consensus; Equi acceptio, verba, literæ.

2. Locatio Conductio definitur contractus ex consensu certa mercede aliquid faciendi, utendi: *Vulteius Jurisp. Rom. lib. 1. cap. 36. Doctores in Inst. de Oblig. qua ex Consensu. l. 2. ff. de Oblig. & Alt. l. 1. ff. Locati, & in totum fere Titulum.* Promissiones, Locantis; *Cedam tibi agrum Tusculanum in annum utendum & fruendum, ut solvas mihi centum Sestertia.* Signa consensus in locatore sunt, rei traditio locatæ, verba, literæ, nuntium.

Conductoris promissio hæc: *Solvam tibi centum sestertia, modo in dictum tempus uti & frui agro Tusculano a te liceas.* Signa, acceptio & usus rei traditæ, verba, literæ, nuntium, &c.

3. Societas est contractus ex consensu de re utrinque communiter habenda: *Vulteius lib. 1. c. 37. Doctores in ff. pro Socio. Inst. de Societate.*

Promissiones, *omnem operam meam omniaque que mihi sunt bona, tecum faciam communia, si omnem operam tuam omniaque, que tibi sunt, bona mecum communicaveris:* Significatur Consensus per communicationem bonorum ei qui eam petiverit, item per nuntium, literas, verba.

Responsio sic habet: *Operam, bonaque tecum mea faciam, qua dictum est conditione, communia.* Signa Consensus; Usus & Tractatio rerum, de quibus agebatur, quasi sint communia, nuntium, verba, &c. Contrariò, Consensu dissolvitur Societas, promissione scil. & Responsione hujusmodi. Promissio, *Omnium qua nobis intersunt bonorum dimidiam partem tui juris habebis, si mei juris facias alteram partem eorundem.* Resp. *Habebis alteram partem, si mihi dimidium co. cesseris.*

4. Manda-

4. Mandatum est contractus ex consensu, de faciendo aliquid gratuito. *Vultejus, lib. 1. c. 38. vide Inst. de mandato, ff. & Cod. Mandati & contra.*

Promissiones 1. Mandatarii: *vendam donum centum sestertius (prout mihi mandasti vel à me petisti) si ratum facies quod fecero in hac re.*

Signa consentus nuntium, verba, &c.

2. Mandantis: *Ratum sum habiturus quod feceris, si centum sestertius domum meam vendideris.*

Significatur item consensu, verbis, nuntio, &c.

§. 3.

*Contractus Juris Civilis Proprii vulgariter nuncupati.*

Qui vocabantur Contractus Juris Civilis Proprii, erant Stipulatio, & Literarum Obligatio.

1. In Stipulationibus manifestius fiebant fuerdictæ promissiones, & magis explicite: Non enim est stipulatio specialis contractus species, sed omni contractui intercedere solebat. Hinc dicit Imperator quod *Conventionalium stipulationum totidem erant genera, quæ sunt rerum contrahendarum. §. 3. Inst. de Divisione stipul.* Quæ verba sic explicat glossa in locum: ‘Hoc est, inquit, quot possumus dicere genera contractuum, tot sunt genera stipulationum, id est, ubicunque potest contrahi, ibi potest stipulatio intervenire: Nam stipulatio proprie non est contractus, ut ff. de verb. signif. l. Labeo, hæc Glossa. In his autem stipulationibus promittebat obligandus, se daturum vel facturum illud, de quo interrogabatur, an illud fuerit daturus vel facturus? Qui plus voluerit de more stipulationum, legat DD. in Inst. lib. 3. Tit. 16, 17, 18, 19. ff. de verb. obl. l. 1. &c. *Vultejum* Juris. prud. Rom. lib. 1. cap. 39.

2. Et quæ dicebantur literarum obligationes. *Inst. de literarum oblig.* non primario ex literis oriebantur, sed ex contractu aliquo, velut, emptione, conductione. Literæ vero nihil aliud præstabant, quam significationem obligationis perhibere ex his contractibus ortæ.

## §. 4.

## Contractus Innominati i.

Contractus *Æstimatorius* est contractus innominatus ex Consensu, quo id agitur, ut rem vendam, & æstimationem quam indicasti solvam, aut si vendere non possim, ut eandem ipsam restituam; sin nec vendere nec restituere possim, tum id agitur ut mihi retineam, & æstimationem tibi de meo solvam: *Vult. lib. 1. Jurisp. R. c. 41. ff. de æstimatoria.* Promissiones sunt hujusmodi: *Hunc Equum si mihi sine pretio reddas die crastino, sive tibi serves, aut alii vendideris, viginti vero minus mihi pro eo tunc numeres, gratum eris quod feceris, illudque ratum sum habiturum.*

Significatur Consensus, Equi traditione mihi has condiciones postulanti, verbis, &c. Equum recipientis hæc promissio; *Aut tibi restituam crastino die, prout voluisti, Equum; aut vendam 20 minus, vel mihi retinebo, dictumque equi pretium tibi numerabo.* Signa, acceptio equi ab eo qui has condiciones exegerit, verba, literæ.

Permutatio est contractus innominatus re & consensu constans, quo certa species cum certa specie rei ejusdem generis commutatur. *Vult. Jurisp. R. lib. 1. c. 41. ff. de rerum permutatione.*

Promissio, *Dabo tibi enseni meum, si mihi dederis tuum.*

Signa, Traditio ejus hac conditione petenti, verba, literæ.

Responsio, *Dabo meum, si mihi tuum dederis.* Signa, acceptio ensis, verba, &c.

Plures etiam dantur contractus, quibus promissiones non desunt, sed nomina: Harum 4. sunt combinationes, ad quarum aliquam contractus hi reducuntur.

1. Promittentis, *Do ut des.* Respondentis, *Dabo ut des.*

2. Promittentis, *Do ut facias.* Respondentis, *Faciam ut des.*

3. Promittentis, *Faciam ut des.* Respondentis, *Dabo ut facias.*

4. Pro-

4. Promittentis, *Faciam ut facias*. Respondentis, *Faciam ut facias*.

Significatio consensus in his promissionibus nihil distat à ratione significandi in cæteris; non igitur in singularum signis immorandum est. Harum mentio in extrema illa lege: *l. Naturalis. ff. de præscriptis verbis*.

Notandum, quod in omnibus juris contractibus ubi conditio interponitur, parum refert, an verbum in futuro, an in præsentì tempore usurpetur. Sive enim dixerim, *Do tibi 20 libras, ut des equum*; sive *dabo tibi viginti libras, si dederis equum*, perinde est. Quamvis enim pronuntiaverim me equum dare, non tamen statim & in præsentì datio fit. Tum enim primum conditionalis promissionis pars absolutè valere incipit, cum conditio est impleta. In nostris promissionum Typis potius verbo futuri Temporis *Dabo* sum usus, ut quam maxime Oratio ad Naturam accederet contractus.

## §. 5.

*Quasi-contractus.*

1. Negotiorum gestio. Causa hujus obligationis sic recensetur. *ff. de obl. & act. l. si quis absens*. 'Ideo hoc, *inquis Gains*, receptum est, quia plerunque homines eo animo peregre proficiscuntur quasi statim redituri, nec ob id ulli curam negotiorum suorum mandant, deinde novis causis intervenientibus, ex necessitate diutius absunt, quorum negotia desperare iniquum erat, quæ sane desperarent, si vel is, qui obtulisset se negotiis gerendis, nullam habiturus esset actionem de eo, quod utiliter de suo impendisset; vel is, cujus gesta sunt, adversus eum, qui invalisset negotia ejus, nullo jure agere possit. Hæc *Gains & Imperator, Inst. de oblig. quasi ex contractu §. 1.*

Promissio ejus cujus negotia gesta sunt. *Si negotiorum meorum curam geres, qua nemini sunt mandata ut curentur, ratum sum habiturus quod feceris, & solvam que in rerum mearum procuratore expendis*. Non hujus promissionis persona obligata est autor immediatus; lex enim cavet immediate: persona autem cujus res sunt gestæ, consensit

omnino legi, iisque quæ lex vult. Lex vult fieri secundum tenorem expressæ hujus promissionis; ergo & persona vult & consentit, quia vult omnia quæ lex vult. Lex enim est pactum civium, illiusque per consequens pactum cujus negotia gesta sunt, si ipse sit civis. Promissio negotia administrantis: *Si facies rata qua fecero & qua in rerum tuarum procuratore expendero, solves, res administrabo.* Signum consensus est, administrationis aditio, verba, nuntium. Priori promissioni consensus signum est 1. Communis hominum natura, quæ consentit iis quæ manifeste è re sunt, è re autem est illa promissio, cum alias disperirent res à nullo curatæ. 2. Signa omnia, quibus probatur eum, cujus res sunt gestæ, legi consentisse.

2. Tutela est jus ac potestas in homine libero constituta, ad tuendum eum qui propter ætatem se defendere nequit, *Inst. de oblig. ex quasi contractu. ff. de oblig. & act. l. 5.* vel Tutela est quasi-tractus quo ex Administratione pupilli oritur mutua obligatio. §. 2. *Inst. de oblig. ex q. contractu l. 5. §. 1. ff. de oblig. & Action.*

Promissio pupilli: *si fideliter administraveris res meas, ratum habebō quod feceris, & expensas solvam.*

Signa consensus. 1. quia lex vult, cui consentire creditur civis, quia commodum est, cui favere in propria causa omnes supponuntur.

Promissio Tutoris: *Fideliter administrabo res, modo ratum habeas quod fecero, & expensas solveris.*

Significatur consensus aditione Tutelæ, verbis, &c.

3. Ex communione etiam fit Jure Civili quasi-tractus, puta si res communis sit sine societate, veluti quod pariter iis legata donatave fuerit, vel ex hæreditate descendit: si alter quid expenderit ad rem conservandam augendamve, alter tenetur ad partis expensarum præstationem. *Inst. eod. ff. eod. l. ead. & l. 1. & 16. ib. & l. 18. ff. Famil. Eriscunda.*

Promissio 1. *Ejus, quod pro re communi servanda eroga-veris, pendam dimidium; rem ipsam, cum volueris, dividi suam,* mediate etiam per legem hic consentit huic obligatus.

Promissio 2. *Dividi rem suam, & si pendes dimidium pro re communi, erogabo,* signa: Actualis erogatio, &c.

4. Ex

## 4. Ex Hæreditatis aditione. ff. eodem. l. ead. Inst. eodem.

Promissio, defuncti; *si solves legata omnia debitaque mea, hæres meus eris.* Signa voluntatis: testamentum, legis tenor, cui consentire creditur, si testamentum non sit vel in scriptis vel nuncupativum: significatur autem consensus legi verbis expressis, commodorum à lege receptione, &c.

Promissio, hæredis: *Solvam legata omnia debitaque, si me ex asse hæredem constitueris:* probatur consensus aditione hæreditatis, &c.

5. Ex indebiti solutione: Indebiti solutio est contractus improprius, quo is, cui per errorem indebitum solutum est, obligatur ad ejus restitutionem. *Vulscijs de Jurisp; R. lib. 1. c. 42. ff. de condiçt. Indebiti. & eod. Inst. de oblig. qua ex quali contractum. ff. de oblig. & act. l. 5.*

Promissio. *Quod ceperim indebitum, tibi solvam, nec ultra detinebo.* Signa: lex cui consentire probatur, ut supra, atque infra etiam, ubi de obligatione ad Magistratus agitur.

6. Exhibitio est contractus improprius, quo is, qui rem tenet, in qua alius interesse habet, eo ipso quod rem tenet, interesse habenti consensisse intelligitur de re illa, quando-  
cunque ipsi libuerit, exhibenda. *Vulscijs ib. ff. ad exhibendum.*

Promissio, *Rem illam, in qua tuum est interesse si quando tibi libuerit, exhibebo.* i. e. ut interpretantur Juris Consulti, faciam in publico potestatem, copiam, videntæ & apprehendendæ rei: Signa consensus eadem quibus probatur eum legi consensisse.

Sic hæc habent obligationes vulgariter nuncupatæ *Quasi contractus*, atque hoc modo obligant homines in statu pacti: Nisi autem legi consensissent prius, in qua de his singularibus cautio est, adeoque per consensum ad legem probaretur ad speciales hos casus consensus, nulla esset inter has obligationes, easque quæ à contractu procedunt similitudo. Aliis fateor rationibus in iisdem casibus homines ad easdem præstationes obligantur aliquando etiam naturaliter: In tribus enim prioribus casibus Gratiitudinis obligat lex: Ingratus enim merito censetur, qui Tutori, Socio in Legato, aut cuilibet alii, qui in rebus eius gerendis



gerendis pecuniam simul cum opera expenderit, nolit expensas solvere, sordesque naturæ arguit, cum quis velit conditionem alicujus ob amicam affectum deteriorari.

In cæteris qui sequuntur casibus, aut noxa fit ex non præstatione, aut vel debitum non solvendo, vel res alterius non exhibendo damnum inferitur, & minuitur ei commodum cujus intererat solvi aut exhiberi rem. Hæres, si legata aut debita solvenda non curet, fidem defuncto ditam fallit, quæ dari ex aditione hæreditatis supponitur; generaliter vero in *quasi-contractuum violatione* fidem publice Magistratibus & legi factam frangi est certissimum, præsertim si iudicium detrectetur.

Notandum quasi Contractus in hoc à Contractibus distare veris, quod in Contractibus consensus in qualibet singulari conventionione significatur, in quasi-contractibus contentus specialis arguitur ex consensu universali ad leges, quibus cavetur de præstationibus his in hujusmodi casibus fiendis; & proinde quot sunt species juris in quibus obligatur quispiam ad aliquid dandum vel faciendum, idque non à contractu vero, tot sunt subditorum quasi-contractus, quia subditi omnes se obsecuturos legi pollicentur.

Advertendum etiam quod quamvis non ita sint explicitæ fere in contractibus promissiones, quemadmodum in nostris his exemplis, neque nostra hæc exempla sic plena sint, & prætionum singularum naturis adæquata, quam possint fieri, si omnes contractuum cautelæ interposerentur, tamen significabatur ex minutis illis signorum quicquid vel in nostris, vel in quibuslibet aliis contractuum typis connotari potuit. ‘Si enim dubia contrahentium intentio ex verborum significatione non colligitur, tunc id quod actum est solemus interpretari ex natura contractus: sic intra contrahentes actum id esse præsumitur, quod ex natura contractus dari vel fieri consuetum est. *l. cum quid 3. ff. de reb. creditis.* Ubi dicitur quod in contrahendo igitur, id est, quod tacite venit ex natura contractus, pro cauto habetur, licet expresse non sit dictum iur. conventum. Itaque si vinum vetus mutuo datum est, non licet pro vino veteri reddere  
‘novum,

novum, quia hoc tacite actum censetur, ut in eodem genere eademque qualitate & bonitate, qua datum est mutuum, reddatur. *d. l. 3. l. Eum qui Kalendis. ff. de verb. oblig.* Hæc Bronchorst in *Reg. l. ad l. semper. 34. ff. de reg. Juris*, quæ etiam huc facit. Generalibus igitur qui contractuum verbis, *mutuo do, Commodato, Oppignoro, Depono, &c.* utitur, quamvis conditiones expresse non adhibeat, quæ in legibus de deposito, mutuo, commodato exprimentur, ad easdem tamen, lege expositionem verborum explicante, obligatur.

§. 6.

*Contractuum & quasi-contractuum exempla Biblica.*

Sicut Obligationum ex delicto, contra præceptum de Innocentia ad Innocentes extendenda, ita nec desunt Obligationum ex contractu exempla, præcepta, judicia Biblica.

Emptionem & Venditionem ex contractu quem *Abrahamus* cum *Ephron* iniit, erudite explicavit *Gulielmus Velvodius*, juris civilis Romanorum iusta facta collatione. Cujus formula sic *Gen. 23. ad finem.* describitur. 'Pro fundo, *inquit Abrahamus*, cum duplici caverna pecuniæ am dabo, quam tu à me accipias hac conditione, ut illic mortuum sepeliam. *Respondit Ephron*, Fundus de quo te inter & me agitur quadringenta siclis argenti valet. *Abrahamus* hoc audito, pecuniæ quam postulaverat *Ephron*, quadraginta scil. siclos probatæ monetæ appendit, præsentibus *Hettæis*. Ita *Ephronis* fundus, cum duplici caverna, arboreque quæ circumquaque in toto ejus spatio steterant, *Abrahamo* jure Emptionis, in possessionem esse fit. Mandati exemplum idem *Abrahamus* exhibet capite proxime sequenti, *Gen. 24.* Ubi interposito etiam juramento servo mandat, ut filio uxorem ex terra patriæ adsciceret, ejusdemque fidei grande illud negotium Mandato commisit, ex cujus successu prospero promissum *Dei Opt. Max.* perimplendum erat, quo ex stirpe *Abrahami* omnes orbis terrarum gentes beatas fore pollicitus est.

Non autem hic expectandum [a] quæcipiam est, ut omnes contractuum.

contractuum & quasi-contractuum formulas, quas nobis jus civile exhibet, ex Sacro etiam Textu exemplis demonstrarem, aut confirmarem præceptis, sufficit quod sacrè literè generaliter interdictum testentur; Ne quis fidem violet; & si quis violaverit, Deum fore vindicem (*vid. Num. 1. supra cap. eod.*) & quod nonnulla de peccatis contra hoc Naturæ placitum Deus graphice delineaverit judicia; ex quibus de cæteris propter rationis paritatem, ubi opus erat, par adæquari debuit sententia. Talia de Commodato & Locato extant *Exod. 22. 14, 15. si commodatum acceperit quis aliquid a proximo, & contractum fuerit aut mortuum, reddendo reddet commodatarius: si Dominus adfuerit (& conspexerit vitium non accidisse culpa commodatarii) non reddet. Multo minus, si à locante pretio conductum fuerit.* Solutio enim pretio conducens absolvitur. Tale item extat iudicium de Deposito, *Exod. eod. vers. 7, 8, 9, &c. Si quis deposuerit apud amicum pecuniam, aut vas, aut bovem, aut asinum, aut quodcunque iumentum in Custodiam, & deinde sint a depositario furto surrepta, & latuerit fur, causa talis ad Deos, id est, ad iudices ordinarios defertor, fidemque faciet depositarius, interposito juramento Jehova, quod non extenderit manum suam in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem.* Extant etiam decreta de Mercede servo mercenario ex contractu quotidie solvendo, *Deut. 24. 15. Lev. 19. 13.* Debita enim erat huiusmodi Merces ex contractu quem vocant Juris Consulti, *Do ut facias.* Lex item generalis est, qua omnis huiusmodi perfidia coercetur, *Liv. 6. in principio, Locutus est Dominus ad Mosem dicens, si quis peccaverit & contempto Deo, negaverit proximo depositum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel in societate fefellerit, vel vi aliquid extorserit, vel sic alumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, & insicians insuper pejeraverit, vel si quodlibet huiusmodi aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines; convictus delicti ex obligatione non præstita, omnia que per dolum malum obtinere sibi que acquirere voluit, domino reddet, & quintam insuper partem, præter sortem principalem dicto Domino tui damnum inferre voluit, rependet. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti,*

*Sacerdoti, juxta estimationem mensuramque delicti; qui indulgentiam peccatori petet coram Domino, & remittetur ei quicquid hujusmodi peccaveris. Sed de his satis, ad proxima pergamus.*

**Num. 5.** *De communibus in Mundo rationali Principii de fide servanda effectibus. De ejusdem Principii influentia ad formandam in Christianis universalem Magistro obedientiam. Quatenus facta in Sacramentis, Baptismi praesertim, stipulationes, & vota ejusdem Obedientiae specialiter causae haberi debeant.*

Tam multi sunt effectus Fidei, & tam insigniter in communi vita notabiles, ut eandem Cicero non sine causa fundamentum totius justitiae dixerit. Neque enim absque fide vicissim data acceptaque aut Domus aut Civitas aut Respub. statufve aliquis sive civilis, sive Ecclesiasticus constare poterit. Nisi mutua fides esset, quisque pro se & serere & metere, & bubulum agere & Opilionem, Pistorem, Lanionemque haberet necesse. Idem sibi quisque esset & pannifex necessarius & pannorum sartor, calceorum sutor & veteramentarius; nisi enim alter alteri posset credere, unumquemque pro se omnes artes & officia exercere oporteret. Quod incommodum cum ipsum vitae fructum plane tolleret, fidei servandae Obligationem conscientiae hominum in sevit Deus, ut alter alterius necessitatibus subveniret, & fidenter res nostras nobis invicem committentes, mutuam & praestemus Opem, et accipiamus Auxilia.

Imprimis autem Religionis Christianae observantiam stipulationes initiatorum firmant. Unde Baptismum dicit *D. Petr.* non tam ratione carnalis ablutionis salutarem, quam quod stipulationem piam, & à bona conscientia pro-

manantem contineret 1. *Pet.* 3. 21. Σαζω, inquit Αρθή Helus. Βολήσιμα ἢ σαρκὸς ἀπίθειε ῥύσαι, ἀλλὰ σωτηρίας ὁμοιωθεὶς ἕπερ' ἡμᾶ εἰς θεόν. In Confirmationis, & Euchari- stica etiam facta S. mixcos celebrat one, pacta in Baptis- mo Fidei & Obedientia (ut Theologi mytterium inte- pretantur) sic quaedam quasi repromissio & pia coram Deo & Ecclesia stipulatio. sic Heliodoro præcipit S. Hieronymus. Recordare Tyrocinis tui diem, quo Christo in Baptismate conse- cratus in Sacramenti eius verba jurasti. Epist. l. ad Helio- dorum. Καπιζουαρος, inquit C ecumenius in Rom. 6. ὁμολογήσει ἀποτιθῆναι κέρας πρὸ ὄψεω, ἔν' ἀποτάσσῃ τῇ αἵμαρ- τία, ἔν' τῷ διαβόλῳ. Aquam ingressi (inquit Tertullianus) contestamur nos renuntiare Diabolo & pompe, & angelis eius. V. Tertull. de spectac. c. 4. eundem de corona militis c. 3. Bysilium de spir. sancto. Const. Apottol. c. 41. Ambros. de his qui initiantur mytteris. lib. 1. c. 1. August. de fide & operib. per totum. Plinius ait de Christianis, quod Sacramentis astringebantur ne furta, ne la- trocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent &c. lib. 10. Epist. 97.

Stipulatio quæ à Deo & Ecclesia in omnibus retro sæ- culis ab iis requisita est, qui nomina Christianæ Reli- gioni dederunt, videtur hujusmodi. Ipsum me, & com- moda quæcumque temporali huic vitæ inservientia lu- bens seponam, crucemque vitæ Christianæ nimis familia- rem & consuetissimam comitem tollere non verebor, ut Christum unicum meum dominum, regem & imperato- rem sequar. Et sum obtemperaturus, & facturus quæ mandaverit (quantum poterō) omnia. Nec pensi fa- ciam vivam, an moriar; ditescam, an rebus ad vitæ usum spectantibus indigeam; modo juxta Imperatoris & Do- mini nostri Jesu Christi præcepta mihi contendenti ad procurandam ipsius gloriam (quæ mihi finis vitæ est unicus) hæc eveniant aspera. Ille enim qui Dominus est noster, cuique Christiani omnes inservimus, quod nostra interest integrè plenèque procurabit. Abrenun- tio proinde Satanz, cultuique & operibus ejus, omni- umque illi inservientium Ministrorum. Abrenuntio ip- sis carnis nostræ concupiscentiis in sensuum delinitione oc- cupatis, & quibuscumque Mundi pompis, moribus usu- busque

busque Christianæ pietati repugnantibus. Universim denique domi & foris, tam in privatis quam in publicis confidam ipsi Deo: Præceptis ejus & consiliis, sedula, studiosa, sincera mente parebo.

Si quis negaverit sic à se pactam esse fidem, is eatenus se Christianum esse diffiteatur: quia neminem nisi hæc conditione in Ecclesiæ suæ societatem Pastor admittit *Christus*. Si quis falsus fuerit sic pactam; ad omnem igitur Christiani cultus partem ex data fide se esse obligatum confiteatur necesse est.

Atque hoc ipsum est *S. Basilii* argumentum, *lib. 2. de Bapt. qu. 1.* ubi contendit Christianum omnem qui baptisatus est, sic vivere debere, ut mortuum peccato se ostendat, vivum Deo in Jesu Christo. Ἄφελαστον, inquit, σὺ δὲ κωλύεις τὸ ἀκολουθεῖν ἐν αὐτῷ τῷ ἰσχυρῷ ἐπὶ ἐσὶ ζῶντι τῷ θεῷ ἰσοκλήτως. Irrevocabile se obtinuit pæctione Christianus, ut Domino suo in omnibus sit obsequens. Quod quidem ipsum est Deo integrè & perfecte vivere.

**Num. 6. De Statu personarum in Regnis & civitatibus ex data acceptaque fide constituto. Quatenus ex fide data ad Obedientiam Principi exhibendam tenentur subditi. De variis item consensus formulis, quibus Principis vel Principum virorum imperio reddimur obstricti; veluti per verba expressa, vel per Procuratores & Deputatos, vel per usum Feodorum & jurium a Principatu dimanantium, ut in Regno Angliæ, ubi terræ omnes a Rege tenentur Feodorum jure. De Exlegibus, sive Utlagariis an juste dicantur capita habere lupina? An Actus regiminis quis possit excercere, cui populus nondum consensit: De Obligatione infantum item & minorennium sub tutela legitimi Principis educatorum. De Obligatione & statu personarum in familiis. Quod ad leges Ecclesiasticas alias prius obligati sæpe ex pacta fide ulteriori Obligatione innectuntur.**

Magistratus omnis generis, Imperatores scil. Reges, Principes, Duces, Senatores, quicumque etiam potentiam in Aristocratia vel Democratia excercent, seu quancunque res politicas administrandi facultatem, si Naturæ leges solummodo attendamus, jus suum non aliunde videntur ex illiori quocunque, aut certiori Principio petere, quam à subdito-

subditorum consensu, & data Fide. Hinc fere subditi *Fideles* vocantur; quod ad Obedientiam Principibus præstandam *fidem* suam aliquo modo attrinxerunt. Hinc etiam obsequium illud quod debent cives aliique subditi dicitur *fideltas*.

In constituendo autem imprimis imperio Principi aut Principibus viris diversimode solet dari Fides. Primo, vel immediate per sponsones ore prolatas, Juramenta Allegiantiz, Prorenationes, vel Recognitiones quascunque; veluti cum facta interrogatione consensus significatur, vel per rescripta & literas regimen tale implorantes, vel per verba expressa; quale exemplum notavit *Reyherus* ex *Jud. 11. v. 6, 7.* & sequ: 'Ubi seniores Galaaditæ dixerunt ad *Jeptham*, veni & esto Princeps noster, ut contra Ammonitas depugnemus: *Jeptha* vero dixit eis. Si vere venistis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, Egone ero vester Princeps? Qui respondi, & dixerunt ei, Dominus qui hæc audit, ipse sit mediator & testis, quod nostra hæc promissa faciemus. Ita & seniores ex tribu Judæ tibi præfecerunt Davidem atque ungi fecerunt in Regem suum. 2. *Sam. 2. 4.* Significatur aliquando consensus per manuum elationes atque acclamationum & plausus gectus, imperii implorati, & promissi obsequii indicium facientes. Ita electo *Saulo*, clamavit omnino populus & dixit, *VIVAT REX.* 1. *Sam. 10. 24.*

Secundo, non solum per nosmet ipsos, sed aliàs, mediantibus iis quibus rerum nostrarum procuracionem, administrationem, & arbitrium Committimus, de Imperio constituendo heri poterit Conventio. Ita ad *Samuelem Ramatha* degentem *Israelita*, postulantes ut ipse illis præficeret Regem, effati sunt, *Constitu tu nobis Regem, ut judicet nos pro more gentium cæterarum.* 1. *Sam. 8. 5.* Ita inter *Germanos*, certo Electorum numero in omne undequaque imperium summus præficitur Imperator. Et sane in conciliis quibuscunque, stipulatio quæ à senatoribus illic fit, omnes etiam absentes obligat, quorum suffragia imprimis designabant & constituerunt senatores tali potentia præditos. Paciscuntur enim absentes per Deputatos suos & fidei Commissarios. Qui justè eorum vice leges ferunt, ipsosque peræque repræsentant, qui autores esse



esse voluerunt, ne jam electi in ordinem senatorium aliquando eligerentur, & qui proinde in alios contulere suffragia. Cum enim quaestio esset, qui ceterorum omnium partes sustinerent in concilio de reipub. regimine, contentiebatur generaliter de quaestione hac ratione dirimenda, eos scil. *communi omnium iudicio ad id Officium electos fore, quibus Major suffragantium pars consenserit*; adeoque fiebat ex primario hoc consensu, ut abnuendi postea, contradicendi que potentia ex propria conventionem exuantur.

Tertio. aliter etiam consentire videntur per usum Feodorum, vel jurium etiam aut commodorum quorumcumque quae princeps non nisi illis, qui se subditos & fideles profitentur, solet concedere. Cujusmodi consensus in Regno Angliæ pulcherrimum est exemplum. Omnes enim terræ & tenementa quæ à subditis Angliæ possidentur, à Rege tenentur Feodorum more, idque vel immediate vel mediate. Rex enim solus, ex confessio Angliæ jure, Feodi tenens non est: *Illius*, ut inquit Juristæ Nostrates, *seculummodo est directum dominium, cuius nullus est autor nisi Deus*. Ita *Bracton. lib. 1. c. 8.* unde & sacra Regis patrimonium dicuntur, subditi igitur quamvis directum non habent, habent tamen à Rege utile Dominium. *Vide Cœcum supra Littleton lib. 1. c. 1. §. 1.* Sicut autem in emptione & venditione ex receptione venditi ad pretium persolvendum tenetur emptor; ut supra exposuimus; ita ipsa Feodi acceptatio contractus de Obedientia præstanda initi signum videtur sufficiens. *In contrahendo enim quod tacite venit ex natura contractus, pro casto habetur. l. cum quid. ff. de reb. cred. Et si dubia contrahentium intentio sit, id quod actum est solemus interpretari ex natura contractus. v. §. comment. de quasi contract.* Rex autem Feoda nulli confert tenenda sive mediate sive immediate, nisi ex conditione præstandæ ligeantia. Sicut enim *Normannus victor*, ut imperium gladio sibi acquisitum per fidem mutuo datâ acceptamque firmaret, etiam interpolio juramento pactus est, *quod se modeste erga subditos gereret, & equo jure Anglos, quo Francos tractaret*; Ita omnem Angliæ incolam contra omnes homines fidelitatem sibi jurare, & hominum sibi facere coegit, totamque ita terram descripsit, ut nec Hyda esset in tota Angliâ, quin valorem ejus & possessorem sciret,

ret. Cum traditione igitur Feodorum ad modernos etiam possessores traducitur Obligatio. Quæ ex fide, quæ data supponitur, *Fidelitas*; ex feodalis contractus *Liga, Ligeantia* dicitur; ex quibus tenentur Feodi possessores ad ea præstanda quæ ad dignitatem & incolumitatem Domini spectant; cumque Rex sit supremus Dominus, ipse Regis.

Neque prædiorum solummodo Feodaliū, sed commodorum seu jurium quorumcunque receptione poterit quis se subditum recognoscere, si commoda hæc ad subdi volentes solummodo extendi voluerit princeps, veluti si quis *Breve Regium*, ad suum interesse recuperandum impetrari sui causa fecerit incola, qui Feodum non tenet; vel etiam judiciis aut tutela Magistratus usus sit: Reges enim ceterique summi Magistratus non nisi requisita alligantia, ea scilicet conditione & lege, aut saltem suppositione hujusmodi, exhibere dicitur commoda & præsidia, & contra dicto jure uti nolentibus, ex legibus quibuscunque & subdi recusantibus hæc nolunt exhiberi. Unde Juris apud Nos communis Regula, *Utlagatus habet caput lupinum*, id est, qui legibus uti nolunt, iis non magis Magistratus, non magis lex quam lupo cavet, neque ulciscitur prius illatas exlegi injurias. Universalis enim juris est, & quod apud omnes obtinet, eum qui sub conditione quidquam recipit, ad præstandam conditionem recepto annexam ex contractu teneri; Et proinde quisquis sibi assumpserit quæ subditis solummodo propria voluit lex, se etiam subdile apertum fecit indicium; non secus (ut modo dixi) quam ex venditi receptione tenetur Emptor ad pretium ex natura contractus persolvendum. Si quærat uterius, an juste Utlagatis sive exlegibus denegetur auxilium Regni, & juris communis præsidia? differri & protrahi posse non dubitamus, dum subditi omnes ab injuriis vindicentur, & de futuro ne damna iis ex aliorum maleficio accidant, cautum sit. Non omnino autem vindicari (quod phrasi Juristarum nostratum est *habere caput lupinum*) & post omnes subditorum injurias reseritas vindicari, perinde Utlagato fore infructuosum existimo.

Fingamus modo principem aliquem virum aut viros bello forte injusto imperium aliquod arripuisse, ita ut

partio

patio nulla secuta sit, qua quasi fidelitatis vinculo, subditos sibi obnoxios redderet. Hinc iam imperio jam occupato principem hunc plura edidisse de moribus formandis rescripta, quas & leges dixerit; peccantibus quascunque perduellionis aut lætæ majestatis pœnas intermineretur, (quæ omnia in *Britannia* Regno nuper perpetravit *Olivarius Cromwellus*.) Nisi princeps hujusmodi vim adhibeat, nemini se non ridendum exhibebit Legislatorem. Sin & vim adhibuerit (sicut adhibuit *Cromwellus*) nemo tamen se novis hujusmodi legibus observandis ex naturali aliquo juris principio censere obligatum; sed tantisper fortè morem geret, dum eludere imperium poterit, vel quamdiu usui aut lucro suo & justî Principis hujusmodi crediderit obsequium. Negliget autem cassisque perumpet leges, quam primum is sibi, & Principi cui fidelitatem debuit, inobedientiam novo Principi frustuosam putabit fore. Relinquitur ergo potio rem nullam subditorum conscientias obligandi rationem esse, quam quæ per fidem recte datam acceptamque fit.

In Quæstione, an actus Regiminis quis possit exercere cui populus, signo aliquo voluntatis manifestato, nondum consentit? Possit exercere sapius, idque sine injuria censui. Omnibus scilicet istiusmodi casibus, in quibus consentire populus debuit. Puta, si certissimum atque exploratum sit regimen hujusmodi, absque damno cujuscunque populo conducere. Omnes enim jus habent etiam omnibus benefacere, etiam beneficium ignorantibus neque agnoscentibus. Omnesque etiam subditos id velle quod eorum interest, Naturæ vox est. Neque opus est in re aperta, ubi absque cujuscunque injuria omnium interest imperium exerceri, moram facere, aut diutius præstolari sententias clarius proferendas.

Si vero ex occupato istiusmodi regimine contra Innocentis alicujus jus peccetur, vel si reclamet & regimini consentire liber adhuc recuset populus, isque mente & ratione humana humano more utens, non plane morbidus & destitutus judicio; æquum est ut ipsi pristina sua fruantur libertate etiam quamvis existimet princeps uberius commodum ex Obedientia subditorum iis ipsis esse proventu-

RUR

rum. Ratio est, quod commodi & voluptatis suæ, unusquisque optimus censetur æstimator. Neque alius quis quid Titio sit appetibile ipso Titio melius poterit dignoscere. Alter enim si quid interesse putet, labi tamen & errare possit. Si autem damnum alicunde sustinendum sit; ex proprio errore quam alieno illud sustineri æquius est.

Si ultra quaeratur, *Annon quotquot sub Imperio legitimi Principis sunt nati, etiamsi propter ætatis defectum æserte nondum consenserint, obsequentes tamen se eidem præstare non debeant?* Sic videtur statuendum. Infantes & minorennes quoscunque aut ex condicione Feodi quem à Principe forte tenet quisque, aut ex aliorum jurium usu, qualia supra recensuimus, aut saltem ex debito gratitudinis propter tutelam hætenus præstitam, obedientiam aliquam Principi debere. In plurimis sane casibus ex Feodi receptione etiam quasi fide mutuo data & accepta obligantur. Si enim infans feodum teneat, ad servitium quod à feodatario debetur præstandum tenetur. Dominus enim Feodi non alia conditione tenendum confert Feodum nisi pacta tenentis Obedientia. Qui autem Feodum temporale aut aliud (qualia modo memoravimus) beneficium hac conditione recepit, libertatem perdidit. Hac enim conditione concedi solent, ut recipientes Ligii, id est, fideles & obediens Principi reddantur subditi.

In aliis autem Regnis & politis in quibus ex jurium istiusmodi receptione conspicua non est Obligatio, ex tutela tamen minorenum diu præstita nascitur aliqualis ad Obedientiam ex gratitudinis debito Obligatio. Cum enim adhuc Infantes aut minorennes nondum ratione aut robore sibimetipsis defendendis valerent, vitam eo tempore fortunæque sartas tectas publica lex & iudicium fecit; Et nefarii homines qui consilii & virium impotes forte oppressissent, imperii terrebantur vindicta, ne damnum minoribus inferrent: Huic beneficio cum lege gratitudinis Principi (ut parenti cuidam) par referendum sit, Princepsque exigit Obedientiam, nisi alia obstat prior & potior Obligatio, ad obsequium saltem istiusmodi teneris præstandum, quale solet & debet à gratitudine naturaliter proficisci. Quale autem illud sit, capite sequenti, ubi de

gratiudinis debito ex professo differemus, plenius declarabitur.

Concesso igitur præter Fidelitatis aliquam propter beneficia ab Imperio defluxa Obligationem ex Gratiudine oriri, sicut etiam ad parentibus obtemperandum lege gratiudinis liberos teneri infra differemus, potior tamen nulla conscientias subditorum obligandi extat ratio, quam quæ per *fidem datam acceptamque* fit. Dato enim certas ex utroque fonte esse Obligationes, toto tamen genere (ut suo loco ostendimus) Fidei quam Gratiudinis potior est, & prior Obligatio.

Et sane in Majoribus potentiorum familiis, (in quibus quædam videtur Civitatis sive Imperii imago) maxima pars pactioibus conficitur. Paterfamilias imprimis Uxorem sibi devinctam habet Imperii Sociam, ac non nisi ex conventionione sacrâ, sive pacto, cuius *formalanti* constituit Deus. Et quicumque alias in familia sunt præter ipsam prolem personarum status & conditiones, servi puta, vassalli, Feudatarii, Ministri, cæterique ejusmodi omnes ex variis contractuum figuris serviunt, & familiaræ adsciscuntur. Filios, quotquot sunt, Natura subditos habet parens: sed ea ratione subditos, ut contra Naturam peccet, si quicquam asperum durumve vel *supra* naturali contrarium jubear. Et notatu non indignum est viros quosdam doctissimos, qui Imperium omne dominiumque ex patria solummodo potestate derivatum voluerunt, ad legum tamen Obligationem in Imperiis istiusmodi procreandam populi consensum necessarium pronuntiarunt. Quod non aliud est, quam patriam potestatem pactis & conventionibus populi (cujusmodi ex ista Hypothesi sunt leges) firmare & stabilire. Vide *Sanderfonum de Oblig. Conscient. Prælect. 7. nn. 13, 25, 26, 27.*

Alii dato *Adamum*, universi generis nostri patrem, primum extitisse totius Orbis regem, Legem Naturæ asserunt tanti Imperii hæreditatem primogenito semper detulisse; adeoque Regi legitimo (qualis proculdubio erat *Adamus*) neque defuisse, neque defuturum legitimum hæredem. Indeque recte consequi ajunt, quod aliquis modo est, à primo rege *Adamo* recta descen-

dens

deus hæres, cui jus regni in totum terrarum orbem jure competit. Adeoque ex naturali hoc jure hæreditario, non ex consensu, succedere debere Reges. Qui contrariam tuentur partem, jubent factum testum regium illud jus iis esse, si qui sunt qui probare poterunt se debere in istiusmodi jus hæreditarium, naturaliter, absque quoruncunque consensu conticendere: sed si nullus in toto terrarum orbe modo sit princeps, qui tale jus Imperiû ab *Adamo*, vel *Noacho*, vel ab alio quocunque Patriarcha derivatum apud se restare uspiam contenderit; nec proximus *Adamo* vel *Noacho* jure Naturæ hæres quoque modo poterit dignosci, perinde erit talia non esse jura, & talia non uspiam apparere.

Si autem jus hæreditatis istiusmodi uspiam appareat, neque sanè possit apparere. Proximo forte loco quærendum erit, *Ubi restabit tandem Imperii Jus?* An scilicet in populo; an in senioribus, & familiarum parentibus? An forte in Occupante? Resp. Si Imperium ex consensu stabiliat, non necesse est ut alterutrum dicatur. Ubicunque enim jus illud fuerit, sive in populo, sive in senioribus, sive in Occupante, sive in hærede *Noachi* existente forte alicubi, sed nullibi comparente, quocunque dato casu, rectè ad principem transfertur, quod universali omnium quorum interest consensu transfertur. In universali enim omnium consensu unius cujusque particularis consensus comprehenditur; etiam legitimi principis, si quis talis revera sit. Neque queri quis poterit de jure malè translato, cui transferendo ipse consentit; Volentibus enim & consentientibus non fit Injuria. Neque difficiles esse solent subdixi in consentiendo. Omnium enim, qui pacem suam & prosperitatem amant, interest, ut quoquo modo stabiliat Imperium, ne in mala *Αναρχία* incidant. Ejusdem cum antecedenti consensu valis est ex post facto Rati habitio: Is enim consensum implicat. *Imo qui tacet, ut inquitur Juris Consulti, non videtur nolle.*

Si ex consensu patrum familias conferatur Imperium, perinde est ac si universali omnium consensu conferatur. Virtualiter enim in parentum consensu, & liberorum consensus implicatur. Adeo ut parum intersit an parentum,

an totius populi quis consensum exigat. In adhibendo enim consensu parentes suos sequi ferè solent & debent liberi.

Male autem, ut mihi videtur, summorum regum prerogativis consuluerunt, qui eadem planè, nec alia esse asserunt Regum in subditos, quam parentum in liberos jura. Multis enim ex causis, propter parentum puta crudelitatem, cessante scil. in filios naturali affectu, tollitur ex communi Juris Consultorum sententia liberorum ad hujusmodi parentes observandos Obligatio. Qui autem summo atque absoluto legibus Principi, facto suo aut alio jure, subsunt, ex ipsius crudelitate aliave improbitate, (ex eorundem sententia) non censentur deobligati.

Neque firma mihi videtur eorum argumentatio, qui obligationem statuunt majorem oriri ex parentum mera potestate, quam ex fide data. Quam fidei dationem humanam dicunt Ordinationem. Potestas enim parentum in liberos in debito gratitudinis fundatur. Officia autem ex fide data jure naturæ immutabili & æterno, non ex humana solummodo ordinatione, recte & constanter Officiis ex gratitudine in parentes derivatis præjudicant, & præponi debent; ut capite *de comparatione Officiorum* uberius differemus. Et quamvis datio fidei actus humanus sit, Obligatio tamen ex data fide non mere est humana, sed Dei ipsius & Naturæ Ordinatio.

---

Num.

Num. 7. *De Fidei data in Principe aliisque Magistratibus effectibus. An in Imperiis pacto constitutis fides data summum Principem Liget? De Imperio absoluto, summo, mixto siue summo minori. Quomodo potestas cui regimen imperii comittitur conventionibus & pactis varii generis possit limitari?*

Diximus supra *Hobbium, Theologo-Policum, & ceteros* Atheismi Doctores inauditam hanc superioribus retro sæculis defendere voluisse sententiam, Principes ad fidem generaliter servandam ex conscientia naturali nullatenus esse obligatos. Hic igitur respondendum duximus argumentis quibus contendunt, Principem ex factis in constitutione Imperii data fide conventionibus naturaliter non teneri.

*Capite Leviathanis* 18. 'Ii, ait, qui Principem pactis obligari existimant, non distinguunt inter Obligationes quæ fiunt per verba, & ligationes quæ fiunt per Capistra; nec cogitant verba per se infirma esse; postquam autem summa potestas constituta & armata est, tum demum vi tantæ potestatis verba etiam Capistra fiunt. Ludit hic nequam Philosophus; quasi esset uspiam, qui non distingueret inter Capistra, quæ obstringunt capite damnatis gulam, & verba, quibus fidem paciscimur & obligamus conscientiam: *Hobbium* contra hic culpamus, quod pactæ fidei nullam plane Obligationem esse dixerit.

Quamvis enim Latina *Leviathanis* versione metaphora Capistri ludat, ut periculoso suo dogmati tenebras offundat; in Anglica tamen Editione Originali (quæ patriæ suæ mores imprimis inquinare conatus est) verba expressa sunt; 'that Opinion, That any Monarch receiveth his Power by Covenant, that is, On condition, proceeds from want of understanding this easie Truth: That Covenants being but Words and Breath, have no force



force to Oblige, contain, constrain, or protect any  
 man, but what it hath from the public Sword, that is,  
 from the untied hands of that man, or Assembly of  
 men that hath the Sovereignty. Quæ nisi sententiam  
 mutasset & retractare voluisset, hæc aut simili phrasi,  
 verbum verbo, fide curasset Latine reddi. Dogma  
 illud, Monarcham quemcunque potentiam suam ex  
 conventione, id est ex conditione, recipere, ex non in-  
 tellesta facili hæc veritate venit, Quod conventiones  
 seu pacta, cum verba tantum seu spiritus sint, nullam  
 vim habeant, qua obligent, contineant, obstringant, vel  
 protegant quempiam, præter eam quam à publico sunt  
 nacti gladio, id est, à manibus liberis hominis illius,  
 aut hominum cætus, penes quos Imperium sive summa  
 potestas est. Ubi hoc saltem hic videtur animadvertendum,  
 gravem Philosophum sententiam hæc suam  
*facilem*, scil. *veritatem* dicere, quod cæteri omnes do-  
 cti indoctique homines (uno aut altero excepto Atheo)  
 falsissimum & portentosum asserunt dogma, *Pacta*, scil.  
*seu Conventiones non obligare conscientiam*; sive nullam  
*vim habere, præter eam quam à publico mutuatur gladio,*  
 Cum vero Obligationem fidei servandæ contra negantes  
 Legum Naturæ existentiam *supra* explicaverim & defen-  
 derim, non opus erit ejusdem confirmationem hic repe-  
 tere: Cumque *facili* huic *Hobbianorum veritati* Naturæ  
*de fide servanda* placitum apertè contradicat, ipsa placiti,  
 si suo loco confirmetur, Veritas Argumenti omnis, quo  
 tam perniciosum confirmetur dogma, præcidet firmitatem.  
 A generali tam noxii dogmatis ostentatione, ad  
 Argumenta quæ propius quæstionem attingunt, si placet,  
 modo descendamus. Imprimis autem falso supponit  
*Principem omnem in omnibus necessario totius civitatis per-*  
*sonam gerere; adeo ut quæ actor facit princeps, autor sem-*  
*per faciat civitas.* Deinde is, *inquit*, in quem confer-  
 tur potestas summi, cum nemine paciscitur conferen-  
 tium, & proinde nemini eorum injuriam potest facere,  
 propter quam à potestate sua privaretur. Communis  
 contraria est sententiæ, Reges Principesque humanæ na-  
 turæ participes, legibus ejusdem naturæ teneri: Con-  
 ventiones insuper pactaque Regum obligatoria contrahi  
 posse

posse & solere; adeoque fidei servandæ (quæ communis Naturæ Lex est) tam ad summos Imperatores, quam ad infimam plebem extendi Obligationem. Neque verum agnoscimus, cum principis fortè damnem facta contra jus fasque & commune pactum perpetrata, mei ipsius facta me necessario damnare: Cum neque id omnibus quæ nequiter ab eo fieri possunt, & contra datam utrinque fidem, meam protinus sustineat personam. Neque quæ auctor ferit Princeps, (quicquid contra Paradoxum defendat *Hobbius*) autor ipse semper fecerim.

Nobis in hoc argumento distinctius tractandum videtur; neque omnia confundenda summaque Imperia imis miscenda duximus; quod tamen fecit *Hobbius*, qui nullam potestatem agnoscit, nisi Summam & Absolutam. Esse enim dicimus ubi Summum est atque Absolutum Imperium; Esse ubi Summum non tamen Absolutum; Esse ubi neque Absolutum neque Summum. Absolutum Imperium est, quod nullis constringitur legibus, promissis, pactis. Summum dicimus, non tamen Absolutum, quod nulli iudicio humano est obnoxium, pactis licet, aut legibus, aut juramentis obstringatur. Summo autem Minus est, quod non tantum pactis, legibus & juramentis, sed & aliorum censuris & iudiciis est obnoxium. Si igitur à populo potestatem ex conventionem imprimis acceperunt Principes, æquum iustumque est ex communi sententia, ut pacto utrinque convento ex utraque parte stetur. Conveniri enim potest non solum de imperio, sed contra *Malmesburienfis* sententiam, etiam de Imperii modo; puta ut rex partem habeat summi imperii, partem Populus aut Senatus: ut *Lacedæmon*, ubi jus belli (ipso *Hobbio* fatente) erat in Rege, Rex tamen ipse iudicio *Ephorum* erat subiectus, quamvis regimen illud ab ipso *Hercule* jure hæreditario extitit derivatum. Antiqua etiam fere omnia *Græcia* & *Germania* Regna ex Historicorum fide hæreditaria narrantur, non tamen Summa. An ex Electione & Successione iudicetur Natura Imperii? Et an Successio figuram Imperio assignet; an sit solummodo veteris continuatio? v. *Osiandrum* in *Grot. lib. 1. c. 3. ad Th. 10.* Ex contractu, ut videtur, Populi & Principis, & de modo imperii, & de successione, re adhuc integra conveniri

conveniri potest. Ex eodem contractu possunt libertates & jura, de quibus convenit, vel Populo retineri, vel in Regem conferri. *Nihil enim tam congruum est humane fidei, quam quae inter contrahentes placuerunt, servari.* Non igitur necessarium est, quod sentit *Hobbius*, quod omne jus, quod quoquo modo conferri poterit, conferatur in Regem. Rectius *Seneca*. 'Interdum Populus est quem timere debemus, interdum si ea civitatis disciplina est, ut plurima per Senatum transigantur, gratiosi in ea timentur viri. Interdum Singuli sunt, quibus potestas populi & in populum data est. Aliquando ex communi Principis & populi consensu mixtum est Imperium; ita ut partem Populus, partem Senatus, partem Imperator potestatis vindicet; quibus sane *summa, quae conferri potest, confertur potestas, non solum ex legibus, sed in leges in illos confertur imperium; neque quod bona fide confertur, nisi contraria utrinque conventionem tolli potest.* Apud Deum precibus & lachrymis subditi possunt & debent sub iniquo istiusmodi Principe conditionem suam deplorare, non tamen contra personam ejus aut dominium insurgere. Recte *Tacitus*, 'sicut sterilitatem & nimios imbres, & caetera Naturae mala, ita debemus luxum & avaritiam dominantium tolerare. Vicia erunt donec homines, sed neque haec continua, & meliorum interventu pensantur.

Atque idem plane de summo imperio dicendum, imperium illud licet non sit Absolutum. Cui enim summa potestas est delata, is à solo Deo, non item à subditis, potest judicari. Neque enim summa potestas potest aliam sibi superiore habere potestatem. Non enim est summa potestas, cui alia praefertur superior. Ubi autem Princeps non habet superiorem, nemo de ipso aut contra ipsum judicium ferre potest. Nam ille, à quo provocatur, minor est illo ad quem provocatur. *Epiri* reges jurabant se imperaturos secundum leges, *Epirotæ* se imperium regis conservaturos secundum easdem leges; summum tamen poterat esse in his Regibus imperium. Ex juramento enim Deus testis & vindex, non Populus constituitur. Ita Paterfamilias, si quid familiae se facturum promiserit, quod ad familiae gubernationem pertinet, reus promissi fit

fit; non tamen eo desinet jus habere summum, quantum fert familia. Nec maritus maritali potestate privatur, eo quod aliquid uxori promiserit; ad promissum tamen servandum obligatur. Quod autem qualicumque Obligationi subest, illud non est Absolutum; adeoque summam habere poterit Princeps potestatem, non tamen Absolutam; quo fiet, ut (phrasi Grotiana) *artius reddatur imperium*, non ex Principio aliquo extrinseco, sed (sicut ego interpretor) ex propria conscientia, & divinæ vindictæ metu, quibus facta conventione coercetur libertas, quæ absolutæ legibus, pactis & promissis potestati alias competeret. Illud autem *gener* videtur observandum, quæstionem non tam *ste* conjici his terminis, *An à summa potestate detur provocatio?* quam, *An constituta possit imperium sive potestas non summa, & à quo detur provocatio?* Ex absurdo item consequenti argumentatur *Hobbius*, 'si Princeps, inquit, pacta cum violaverit, violasse negaverit, quis litem determinabit? Nisi autem determinetur, reditur ad Anarchiam, nec est civitas amplius. Duo hic respondenda sunt. In imperio non summo (quale modo descripsimus) rempublicam ex conventionem sic posse constitui, ut si Princeps à conditione pacta defecerit, ad Anarchiam tamen respublica non redeat. Dubia enim expedient, qui ad dubia expedienda ex prima conventionem sunt constituti. Conveniri autem a Principio potest, ut ad Consules, Tribunos, Duces, Comites, Senatus, aliosque infinitos, qui supponi possunt, imperii moderandi Principes succedaneos commissa ex pacto descendat potestas. In cujusmodi constitutionibus ita dividitur imperium, ut partem habeat Rex, partem Consules, Tribuni sive alii Commissarii, in quos ea potestas est delata. Ex voluntate enim contrahentium jus suum quisque si poterit alienare, poterit idem id jus prohibitu vel in plures dispertire, vel in unum, eundemque Principem simul & semel, quo absolutum constituitur imperium, sine omni conditione vel exceptione transferre. Hoc etiam secundò responsioni huic videtur addendum, male supponere Philosophum, Anarchiam suam sive statum Naturæ, statum esse belli; quod etiam supra advertimus. Illic igitur animadversis consentaneè modo di-

cimus, quod status ille Naturæ (in quo positi aliud possint pactum statim de futuro reipublicæ regimine inire) pluribus eorum, qui ratione utuntur, multo obtrabilior videatur, quam status Tyrannidis. Ex quorum sententia non est rationi dissentaneum, ut ejusmodi fiant contractus, qui ad majus malum evitandum regressum dent ad eum, quem verum plures cogitant naturæ statum, obportentæ quæ in eo fingit *Hobbius*, & horrenda aliis *μορμολυκία* minime formidandum. Si autem hac in re diversorum diversæ sint sententiæ, æquum est rebus suis administrandis ut quisque suam voluntatem ex propria sua non ex aliorum sententia gubernet.

Ultimo sic pergit ad Argumenti sui confirmationem.

‘ Quando in actu populari potestas summa collocata est,  
 ‘ pactum tale intervenisse nemo dicit. Quis enim adeo  
 ‘ hebes est, ut populum (exempli causa Romanum qui  
 ‘ imperium Romæ summum habuit quondam) summam  
 ‘ illam potestatem tenuisse per pactum cum Romanis, &  
 ‘ proinde populum Romanum à Romanis, nisi bene regnasset,  
 ‘ deponi potuisse dicat? Resp. In tota hac disputati-  
 one non quaeritur, an servandum sit pactum quod mutuo  
 consensu contractum non est, aut de quo nullo modo po-  
 tuit, aut potest conveniri; sed an quæ actu contrahitur  
 inter Regem & subditos conventio servari debeat? Vel  
 an possit intemerata conscientia violari? Sane ubi pactum  
 nullum est, ibi nulla potest esse violatio pacti. Si igitur  
 Populus jure solummodo utatur Naturali, in quo nullum  
 est pactum, jure nullo excidit propter violationem pacti.  
 Contractus enim, qui non existit, non potest violari. Si au-  
 tem Populo Romano inter se invicem publice conventum  
 sit, ut Democratia utantur, quamdiu sine reipub. confu-  
 sione fieri poterit, eo autem casu, ut liberum sit eidem  
 populo Rom. Imperium vel in *Senatum*, vel in *Monar-*  
*cham* ex mutuo consensu transferre (quod ipsum est De-  
 mocratiam, si male gubernet Populus, deponere) ego non  
 video cur hujusmodi non iniri possit & servari pactum. Si  
 autem (quod ut plurimum fit) ita pactum sit, ut non in  
 totum populum, sed in Ephoros, Consules, Tribunos,  
 Decemviros, aut alios (quomodocunque appellentur)  
 Commissarios conferatur ex conditione jus ad imperii  
 modera-

moderamen spectans, ut nisi bene regnassent Comissarii, deponantur: aut ad conditionem, cui pacta fide se obligavit, popularis Magistratus obligatur; aut nulla est naturalis ex fide data obligatio, adeoque verum erit popularem Magistratum potestatem à populo tenere, & (si ita conventum sit) iudicio populi deponi posse. Sic notat *Entropius Hist. Rom. lib. 1.* ‘Exactis regibus consules à populo duos imprimis creatos, ut si unus malus esse voluisset, alter eum similem habens potestatem coerceret. Populo item placuit, ne imperium longius quam unum annum haberent; ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles semper essent, qui se post annum scirent futuros esse privatos. *Tarquinio* item *Collatino* marito *Lucretia* eodem anno sublata est populi suffragio dignitas consularis: Placuerat enim Populo, ne quisquam in urbe maneret qui *Tarquinius* vocaretur. Loco illius tum factus est *Valerius Publicola* Consul; qui fasces, imperii insignia, in concione Populo submitit, qui leges etiam tulit de provocatione adversus Magistratus ad Populum, sacrandoque cum bonis capite ejus qui regna occupandi consilia inisset. v. *Livium. lib. 2. Decad. 1. cap. 7. 8.* Nec alia de causa plebs Romana Decemviros ab imperio deposuit, Consulesque & Tribunos plebis restituit, nisi quod contra leges (quæ commune populi pactum censebantur) res male administrarent. Dicimus etiam in Democratia, quamvis pluribus sit concessa (puta Consulibus, Tribunis, Decemviris, seu quocunque alio titulo insignitis) aliqua imperandi, consulendi, forte etiam & judicia faciendi potestas, plures tamen in ea civitate esse, qui tali potestate destituuntur; qui & plebs dici possint. Hi igitur, ut ad formulam *Hobbianam* quam proxime accedamus, sic pro se videntur posse promittere. ‘Nos alii è populo Romano vobis hac vel illa dignitate constitutis vel constituendis, & ejusdem civitatis municipibus pollicemur, nos ratos esse habituros quodcumque alias feceritis, modo has aut illas in imperando conditiones observetis. Quas cum non observent delegatum Imperium nacti, tollitur à subditis Obligatio, utpote qui pactum expleverint, cui fide data prius erant, sed non absolute, nec nisi ex conditione à Magistratibus

præstandâ, obligati. Si autem quærat in perplexo istiusmodi & mixto Dominio, quis erit Judex inter Subditos & Magistratus, an Conditiones Magistratus observaverint? Respondebimus, non alii quam qui ex primâ institutione in id Officium sunt constituti, aut in quos alias utrinque est consensus.

His ita excussis patet quam frivola sint, quam falsa & communi hominum rationi adversa toties repetita hoc in Argumento *Th. Hobbii* paradoxa. *Quod Imperium omne, Dominiumque (sive ex institutione sive despoticum) Absolutum sit. Levit. c. 20.* quasi Dominus aut Imperator non possit constare, qui non sit *αὐτοκρατορὶς ἡ ἀρκεδονία*.  
 Quod summa potestas, sive ea in uno homine sit, ut in *Monarchiis*, sive in uno cætu, ut in *Democratiis* & *Aristocratiis*, collocata, tanta revera sit, quantum eam facere possunt homines. *ibid. ad finem cap.* Quod nihil injustum dici possit quomodocunque ab eo patratum, cui summa rerum potestas est delata. *c. 21. ibid.* Quod nulla in subdito dari possit in terris suis aut re familiari proprietas, qua Rex ab earum usu excludi possit. *ib. c. 24.* Quod potestas legislativa in nullo possit nisi in summo Rege subsistere. *cap. 26.* Quod summa potestas legibus non potest subjici: & plura istiusmodi passim, præsertim. *cap. 26. & 29.* In quibus omnibus (ut *supra* 1. hujus *capitis* vidimus) Jureconsultorum omnium judicia sibi prorsus adversari cernit. Negant enim uno ore omnes vel plenipotentissimum Imperatorem naturali ex parte fide Obligatione liberum esse aut exemptum: sicut igitur per me licet communis sententia post omnes Novatorum iustus firma adhuc atque inconcussa, *Neque summi principis cum populo pacta nulla esse, neque pro libitu rescindenda, verum tam Principis quam cujusque subditi conscientiam paciscentis obligare.* Sin forte Donatio summi imperii absoluta imprimis extiterit, neque interposita conditione facta sit, non potest pro libitu populi revocari: Imo non magis quam ex jure civili Romanorum, si quis se servum ad pretium participandum cuiquam mancipasset, mutata voluntate poterat se rursus emancipare & in libertatem asserere. Utrinque enim quatenus data pactaque est fides, videtur servanda. Populus sane Romanus, qui plena

plena libertate per multa sæcula est usus, ita ut Romæ nomi-  
 nini quisquam præterquam legibus pareret, neque cui-  
 quam Regi aut Populo vestigial penderet, tandem tamen  
 ad evitanda potentiorum factiones, & mala iisdem conse-  
 quentia, ita se Imperatoribus consensu publico mancipa-  
 vit, ut in priscam libertatem (saltem nisi ex Imperatoris  
 Majestatis remissione) nulla retrorsum darentur vestigia.  
 Nec mirum, cum lege regia Populus in Principem  
 omne imperium suum & potestatem concesserit, *ut notat*  
*Ulpianus*, ff. de Const. Princip. l. 1. *Es imperator*  
*Inst. de jure Nat. §. sed quod Principi. Cod. de veteri*  
*Jure §. 7. ubi dicit imp. Justinianus*; lege antiqua,  
 quæ regia nuncupabatur, omne jus omnisque potestas  
 populi Rom. in imperatoriam translata sunt potestatem.  
 Cujus antiquissimæ legis fragmentum Romæ servari in La-  
 teranensium aede notavit. *Ant. August. de legibus*. Quæ  
 autem in imperatorem publico consensu sunt collata, im-  
 peratore dissentiente postea tolli non possunt. Atque  
 hæc de imperiis pacto constitutis (quæ solummodo ad  
 hoc caput spectare poterunt) dicta sunt. In causis ad Ec-  
 clesie necessariam gubernationem spectantibus, quinam fi-  
 dei servandæ effectus sint, varie ambigitur. Sane cum in  
 rebus ejusmodi nondum sedentur plane lites omnes &  
 controversiæ, nec omnium eadem sit ratio; Ad stabilen-  
 dam caritatem & procurandam Ecclesie ædificationem,  
 experimur quotidie in causis etiam ad Religionem & cul-  
 tum numinis spectantibus, ex consensu civium leges fieri  
 de faciendis aut non faciendis, ad quæ prior extabat, si  
 non evidentior, Obligatio. Quemadmodum Deus ipse  
*O. M.* Natura licet jus imperii in populum suum te-  
 nuerit, & à Deo *Moses*, ex consensu tamen Obedientiam  
 stipulantium, alteram etiam priori additam non dedigna-  
 tus est aut Deus aut ejus Minister *Moses* populi Obliga-  
 tionem acceptare. Vide *Exod. cap. 24.* Neque enim in  
 dubiis solum verum est, sed certo jure, quod abundans  
 legum cautela non noceat. Hinc forte fit, quod in plu-  
 ribus etiam ad Religionem spectantibus, ubi in confesso  
 est & institutionem fuisse divinam, & divinæ institutio-  
 nis rationem adhuc constare, eadem tamen placitis Prin-  
 cipum pactisque civium lata lege confirmantur. Publicum



cum divini numinis cultum, Preces Liturgicas, & Gratiarum actiones, Sacramentorum celebrationes, Ministrorum Ordinationes, divinitus omnia esse præcepta nemo (puto) ambigit: imo neque jam multi Episcoporum Auctoritatem, aut Diei dominicæ observationem ex institutione divina, aut saltem Apostolica processisse dubitant. In his tamen omnibus, quæ necessariæ videntur leges, & divinitus constitutis maxime consentaneæ, à cleri imprimis suffragiis in convocationibus & conciliis Provincialibus, aut alias, ut melius expedit, captis fere diriguntur, atque ulteriorem tandem sanctionem ex Principis placito civiumque consensu in unaquaque fere Christianorum re-pub. accipiunt.

---

Num?

**Num. 8.** *An ex Sacrarum Scripturarum autoritate nova Malmesburiensis dogmata confirmentur; Nihil scil. injustum à Principe fieri posse; Nullam esse posse subdito in rebus suis proprietatem, qua Rex ab earum usu excludi queat; Nihil à Principe præcipi posse quod improbum sit; Regis Mandatum quæcunque subditorum acta indubie justa facere; Ubi queritur quid per S. Scripturæ Phrases. 1707. ממוסו Sam. 8. Obedire in omnibus & subjici Principibus. Col. 3. Tit. 3. intelligi debeat? An propter Principis præceptum Christum abnegare debeat Christianus? De Exemplis Naamani & Saxonæ ducis: an veræ Religionis ex præcepto Principis abnegationem justificent? An negans sententia a Regula, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, quicquam derogat?*

Ne prior minus succedat. nova jam in recenti tuenda thesi progreditur via, & Theologum induit *Malmesburiensis*, se Philosopho nihilo, ut videtur, nervosiorum. Sed ante expertum bellum triumphasse intempestivum est. Sequi igitur fas sit etiam Theologicè dissentientem, & in argumenta contra communem sententiã lata animadvertere. Primum Hobbii argumentum extat, *Leviathan. Part. 1. c. 20.* ex verbis *Samuelis* desumptum. 'De jure,' inquit, **Regum,**

Regum, Deus ipse per *Samuelem* dicit, hoc erit jus Regis, qui regnabit super vos. Filios vestras accipiet, ut sibi disponat in curribus suis, &c. Denique vos eritis ei servi. Hæc potentia est absoluta. Cives omnes Regis servi sunt. In Originali Anglica editione verba ipsius sunt *Samuelis*, adeoque *Dio* ipsi inique imputata. *This shall be the Rights of the King, &c.* Repudiabat enim redditionem apud populares suos ubique, idque jure receptam, *This shall be the manner of the King*; cui consona est quæ apud *Junium & Tremellium* habetur, *Hæc erit ratio ipsa Regis*: quod nisi fecisset, neque pro jure Regum Absoluto ex hoc textu potuisset contendere. Nulla tamen necessitas urget, quo minus aliter exponamus vocabulum *וְשָׂוָהוּ*, quam per *jud.* Significat, secundum *Mercerum*, Modum, conditionem, statum, qualitatem, formam, rationem, dispositionem, Sic *Jos. 6. circumdederunt civitatem וְשָׂוָהוּ secundum modum hunc, &c. 2. Reg. 1. 7.* Dispositio ab *Hieronymo* redditur; ab aliis, habitus externus. Ita forma, *וְשָׂוָהוּ* Tabernaculi *Exod. 26. 30.* dicitur. Sed quod ad rem propius. *1. Sam. 2. 13.* ubi de nequitia & corruptis moribus filiorum *Eli* agitur, *וְשָׂוָהוּ*, sive ratio, dicitur forma illa quam servabant isti Sacerdotes non lege, sed nefaria usurpatione, & præfidentia autoritatis suæ, quemadmodum hic pravus Regum notatur mos Tyrannidem exercere volentium. Adeoque non solum pro quacunque generaliter dispositione ponitur, sed diserte non raro, pro mala; unde nonnunquam ut notant apud *Ebræos* doctiores per voces *culpa, crimen*, exponitur. Ita certe apud *LXX. Sophon. 3. 15.* *וְשָׂוָהוּ כְּעֵינֵי תָּא אֲדִינָא מַלְא* Cū, ubi *וְשָׂוָהוּ* transfertur per *אֲדִינָא מַלְא* Cū. Indignaretur forte *Hobbins*, si nos sic reddamus latine, *Hæc erit peccatum Regis*, ita tamen cum latine reddi possit, ne ex hoc loco *jud.*, sive legitimam Regis hanc esse *prærogativam*, ut subditos in infimam servitutem redigat, nimis anxie contendat.

Quin & jus ejusmodi absolutum quilibet pro lubitu faciendi Regibus Iudæorum non competisse multis rationibus liquido constare poterit.

Imprimis enim ex suprema illa, quam Deus creandis Regibus

Regibus, *Dent.* 17. imposuit, manifestum est Regem legibus esse obstrictum: sic autem ex constitutione divina apud *Israelitas* erat Lex Regia. 'Si statueritis vobis creare Regem more omnium vobis finitimarum Gentium, cum creatore, quem Jehova Deus vester elegerit; videlicet, de vestra consanguinitate; neque vobis licebit hominem vobis præficere extraneum & alienigenam. Porro is ne multos equos habeto, neve multas uxores habeto, neve argenti, aurive multum habeto. Cumque acciderit eum in Regni sui solio sedere, hanc sibi legem ex Sacerdotum Levitarum exemplari exscribito; eamque apud se habeto, & legito per omnem vitam suam, ut discat Jehovam Deum suum vereri, curetque ut omnibus verbis legis hujus & institutis pareat, ne contra suos consanguineos animo insolcat, neve de disciplinâ ad dextram aut sinistram deflectat, ut diu vivat in Regno suo, tum ipse, tum ejus nati intèr *Israelitas*. Quid autem est, animo esse elato & insolenti erga fratres suos, & consanguineos, nisi hoc sit, 'filios eorum arripere ut disponat in curribus suis, filias in unguentarias, coquas & pistrices: servos eorum, ancillas, greges, agros, vineas & oliveta in proprios usus disponere, & quod extremum est, ipsos quos habere debent fratres, quasi mancipia, in servitutem redigere? Hunc tamen morem esse nonnullorum Principum non diffitemur, qui ubi semel imperium nati sunt, nimia potentiz suæ confidentiâ, tantum sibi tribuunt, quantum liber. Ita *Julia Bassiani* Imperatoris noverca privigno suo impudenter dixerat. *Si liber, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* Usus hunc præsertim in Oriente obtinuisse, quilibet fere de subditis statuendi, non negamus: Immutabile tamen hoc principum fuisse jus, nemo, imo neque *Hobbes* ipse, sanus dixerit. Si hoc Regium fuisset etiam in sacro *Israelitarum* imperio sine controversia jus, mirum quod non hoc *Achabo* Regi, quod solertissimæ in Imperii juribus & prærogativis *Isabela* nullatenus innotuit. Sane si jure suo *Nabothum* illum improbulum à possessione majorum amovere se potuisse censuisset, non pretium, non alias ei obtulisset vineas; aut saltem animo non ita fuisset,

fuiſſet, ob negatum ab eo, etiam oblato pretio, prædium contriſtato; non cibum, quaſi grande aliquod ei accidiſſet & *ſadradu* malum, præ doloris impatientia reſuſciſſet. Si *Hobbianum* hoc *ius Regis* cognoviſſet cætera- rum artium peritiſſima *Iſabela*, exquisitis ſibi tot technis opus ei non fuiſſet, ut ſine ſuo potiretur; meliusque famæ ſuz conſuliſſet, quam ut ſe ad nullas perfidiz aut injuſtitiæ ſpecies erubere offendere. Quorſum tum Jejunii ad ſpeciem pietatis improba indiſtinctio? quorſum *Nabothi* in ſublime eveſtatio? Quorſum teſtium impie perjurandorum ſubornatio? V. 1 *Reg.* 21. 9, 10. Non ſolent ita Reges ſua ignorare, quæ ſecundum leges habent, jura. Sed ſimplex forſan erat illa & plumbea hominum ætas, quo tempore ſi noſter vixiſſet *Hobbius*, ingenio longe & ſagaciſſimam Reginam, & jure conſultiſſimos omnes tum temporis aulicos ſuperaveſſet. Et principi ſuo *Athabo* viam maxime compendioſam in hæreditatem tantopere deſideratam demonſtraſſet: dixiſſet utique *Nabothum* Regis *Achabi* jure eſſe ſervum, nihil ſibi habere, acquirere, aut poſſidere debere, niſi ſaltem ea ratione, ut ex nutu Regis Domini ſui pendeant. Cives enim omnes, ex eodem *Hobbiano* jure, Regis ſervi ſunt; & quicquid acquirunt, Domino acquirunt Regi. Quæ omnia quam abſurda, improbabilia, falſa & perverſe diſta ſint, ſuperius animadverſa indicant.

Si quis dixerit *Hobbius* Latinâ *Leviathanis* verſione nuper editâ, *rationem* non *ius* Regis tranſtuliffe. Animadvertat idem, Authorem ſibi ipſi *ſuorum* tenebras opinionum ſuz offundere, eandem non mutare voluiſſe, proprium tamen argumentum hæc redditione notabiliter diſtraſſiſſe. Aſſeruerat enim in utraque Editione Deum *de jure Regum*, non *pravâ ratione*, aut *diſpoſitione* locutum. Hæc igitur probanda erat conclusio, utque hanc probaret, *Deum* aſſerit Anglice hoc *ius* dixiſſe *Regis*: ſi conſtaret Textus, egregio argumento. Ex emendationi vero verſione Argumentatio fit mendoſior. Non facile enim probaverit eadem eſſe *jura Regum*, & *imperandi rationes*; de *pravâ* enim Regum Tyrannidem exercentium ratione locutum abunde liquet.

Ex ſuperioribus etiam patet, quam infirmum ſit al-  
terum

terum illud *Hobbii* Theologiam profitentis, vel ut re-  
 etius loquar, cum sanctis ludentis, argumentum, quod  
 ex *Matth.* 21. 1, 2, 3. deduxerat. Ubi ait, quod *quicquid*  
*is qui summam habet potestatem exegerit à subdito suo, recte*  
*exigitur, quando opus erit; & quod, utrum opus sit, nec-*  
*ne, ipse iudicabit,* ostendi potest ex verbis *Christi* discipu-  
 lis suis mandantis, *Ite in vicum, qui vobis est ex aduerso,*  
*& statim inuenietis asinam ligatam, & pullum cum ea;*  
*soluentes eos adducite ad me. Et si quis vobis aliquid dixe-*  
*rit, dicite, Domino his opus est, statim autem mittet eos,*  
 Quis, uno dempto *Hobbio*, hinc argueret Regum, adeo-  
 que *Christi* regis, jus in omnia generaliter esse agnitum?  
 Alia sane multæ excogitari possent rationes, cur pulli  
 Dominus eum Discipulis *Christi*, necessitatem usumve e-  
 jus allegantibus, posset gratuito permittere, vel scil. quod  
 noverit *Jesum*; sicut erat *Bethania*, & in vicinia post  
 suscitatum *Lazarum* notissimus: vel quod velit expectare  
 eventum. Quis autem celeberrimo Prophetæ, qualis  
 ubique habebatur *Jesus*, *Asinum* non precario commodar-  
 ret? Vel, quod valde mihi videtur credibile, illud con-  
 tingere poterat, ex miraculosa & præpotenti Dei virtute  
 in animum Domini, supernaturali aliqua adeoque ineffa-  
 bili ratione, operante atque efficaciter cogente. Quic-  
 quid id erat, *Jesus* ex omniscientia sua præcognovit, no-  
 tavitq; Evangelista factum, non ut ordinarium Regii juris  
 argumentum, sed ut exeraordinarium, quo Divinitas  
*Christi* assereretur, miraculum; non ut temporalis Regni  
 prærogativas sibi arrogaret, sed ut argueret divinum sibi  
 adesse spiritum, seque revera esse *Messiam*. Quo enim  
*Spiritu Esaiæ, cap. 62. 11. Zachariæ, cap. 9. 9.* olim  
 hæc fore prædixerant; eodem illa *Jesus* prævidit, iussit,  
 fecitque, ut illa implerentur vaticinia prophetarum. Mi-  
 rum autem videtur, facti hujus commune Regum jus à  
*Malmesburiensi* assignatam esse rationem, qui temporale  
*Christi* dominium in terra nullum esse tantopere contem-  
 derit, vide *Leviathan. Cap. 41, 42. &c.*

Alios etiam textus in suam rem traducit *Theologus*  
*Malmesburiensis*. De servorum obedientia dicit *S. Paulus*.  
*Servi obedite Dominis vestris in omnibus. De obe-*  
*diencia filiorum dicit. Filii obedite parentibus in omnibus.*

Debita ergo à filiis & servis patribus suis & Dominis, est Obedientia simplex. Porro *Matth.* 23. 2, 3. dicit Christus. *In Cathedra Moſis ſedent Scriba & Phariſai, omnia ergo quæ dixerint vobis, ut ſervetis, ſervate & facite.* Ecce rurius Obedientiam ſimplicem. Etiam *S. Paulus. Tit.* 3. 1. *Iſtis ſuggere ut ſe ſubſciant Principibus, ac Poſteaſibus obtemperem.* Obedientia hæc ſimplex eſt.

His omnibus ut ſimul & ſemel apte reſpondeatur, illud mihi aſſignatam vocabulum *omne* prout in ſacris ſcriptis uſurpatum deprehendimus, ſæpius non ſignificare Universalitatem ſimpliciter & ſine conditione, ſed omne ſaltem quod commode, quod ſine abſurditate, iniquitate, injuria fieri poſſit. Ita *Matth.* 18. 19. ‘ Si duo è vobis conſenſerint in terra de omni re quam petierint, fiet eis à patre meo. Et omnia quæ precando petieritis, ſi credideritis, accipietis. *Matth.* 21, 22. *Marc.* 11. 24. Non tamen omnia ſimpliciter faciet Deus, quæ petierit fidelis; ſed omnia quæ poſſit ſalva gloria ſua, & commode petentis. *Delectio Chriſtiana* (ut inquit Sanctus *Paulus*) *omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet* *I Cor.* 13. 7. id eſt, quæcunque cum ratione credi, ſperari, ſuſtineri poſſint. Neque enim credit quæ ſcivit Deum non dixiſſe, neque ſperat niſi quod ab eo promiſſum adverterit, non ſuſtinet quod ſine alterius injuria ſuſtinere non poſſit. & *I Cor.* 2. 16. *Spiritualis* (inquit *S. Paulus*) *judicat omnia*: Non artem forſan Chymicam aut Chalinopoieticen, ſed quæ convenit ſpiritualem ſcire. *Marc.* 16. 15. *Prædicare, inquit Chriſtus, Evangelium omni creatura.* An omni ſimpliciter & ſine exceptione? Spline igitur, & Stellis, æquis & afinis prædicandum erat? Nihil minus; ſed creaturæ ſaltem omni, quæ non ineptum eſſet futurum prædicationis Evangelicæ objectum.

Porro quod in locis ab autore citatis obedientia ſine exceptione univerſalis non intelligatur, argumento eſt, quod ſæpius contingat, ne poſſint præcepta hæc univerſaliter ſumpta ſimul obſervari. Quid enim ſi aliud Dominus, aliud Pater jufferit, Scriba & Phariſæus hoc, *Nero*, vel ſummus pro tempore imperator contrarium præceperit faciendum? Qui potero ſimpliciter, in omnibus,

cum

cum contraria præceperint, obtemperare? Hic igitur oportet sensus sit; Parendum esse Regibus, Scribis, Phariseis, Dominis, Parentibus, si ea præcipiant quæ licita & honesta factu sint. Sic vulgo à Theologis dici solet: si Rex quippiam ex indifferentibus præceperit, nascitur à præcepto Obligatio; atque ea propter forsan *Servator* ipse dignatus est vestigal solvere; sin ei iusserit quæ legi Dei sunt contraria, incassum sunt edicta. Spiritum veteris Christianismi revera sapit, quod habet *Tarrianus Assyrius in Orat. Contra Græcos*. τίνϑ, inquit, χάειν καὶ δάφ μαρώτα]ϑ μίσημαι; περὶ ἅπαντες ὄφρυς πολλῶν ἢ βασιλέως, ἔπιμϑ παρέχον· δουλεύον ὁ δεσπότης καὶ ὑπὲρ τοῦν; πῶ δουλείαν μισῶ. Διδόν μόνον ἀρνοῦν καλῶν καὶ ἰσοδοῦμαι, τεθνῆξομαι μᾶλλον, ἵνα μὴ ψεύσις καὶ ἀχάεις ἰσοδοῦμαι. *Cum ego, Christianus, tanquam hominum turpissimus odio omnium sum exceptus? Præcipit Rex ut tributa solvam? solvere sum paratus. Servire & ministrare me dominus jubet? servitium agnosco; iussus solummodo Deum abnegare, non persuadetur, Moriar potius, ne mendax & ingratus demonstrarer.* Ubi quod de Dei abnegatione est dictum de quolibet contra expressam Dei legem peccato obtinere debet. Hinc *Servator* cum casum dijudicaret an *Casari* liceret *Tributum* pendere? *Mach. 22. 21.* Ita Regi suum tribuendum respondet, ut jus Dei non lædatur. Qui locus ab *Hobbio* objectus in Autorem videtur retorquendus: imo sedeant licet in Cathedra *Mosis* Scribæ & *Pharisæi*, Deo tamen magis esse obtemperandum, quam illis, quam *Anna Pontifici* aut *Caipha* cæterisque populi *Judaici* Magistratibus, vel hominibus quibusvis diserte pronuntiarunt *Apostoli*, *Actorum* cap. 5. 29. & alibi. Sed quoniam de abnegatione Numinis, adeoque *Fidei* divinæ modo mentio fit, interrogemus mirandum hunc *Oraculorum* in *Theologia Hypophetam*, an ex jussu Principis Christiano *Christus* abnegandus sit? Supponamus enim aliquando nobis mandatum à Principe esse, ut ore publice profiteamur, nos (quamvis revera credamus) *evangelio Christi* non credere. Quæritur an parendum sit?

Respondet *Hypopheta*, omnino esse parendum. Ratio est, quod oris professio sit tantum res externa, neque pluri quam quilibet



quilibet alius corporis gestus, quo Obedientiam testamur. (Hic iterum Anglicam Originalem sum secutus; quia in latina versione Epicurum Magistrum imitatus in dogmate quocunque quod male audire posse suspicatus est, de industria semper est *Σιωπῆς*. Verba Anglicè sunt. *Profession with the Tongue is but an external thing, and no more than any other gesture, wherein we signifie our Obedience.*) ‘Hominemque Christianum in rebus hujusmodi (si corde in Christum credat) eandem habere libertatem, quam concessit *Naamano* Propheta *Elisha*, 2 *Reg.* 5. 17.

Hic sane veteri *Priscillianistarum* errori, aut eidem non absimili patrocinari est conatus, de quo *S. Augustinus*, lib. *contra mendacium ad Consentium*, cap. 2. ‘Nec in eo, inquit, malo debemus *Priscillianistarum* esse participes, in quo cæteris hæreticis convincuntur esse pejores: ipsi enim soli vel certe maxime ipsi reputantur, ad occultandam suam, quam putant, veritatem, dogmatizare mendacium; atque hoc tam magnum malum, ideo justum existimare, quia dicunt in corde retinendum esse, quod verum est, ore autem ad alienos proferre falsum, nullum esse peccatum: & ad hoc esse scriptum. *Qui loquitur veritatem in corde suo*, tanquam hoc satis sit ad justitiam, etiam si loquatur quisque in ore mendacium, &c. Sed non sic intellexerunt Apostolum Martyres veri, Martyres sancti, viderunt enim, tenueruntque quod scriptum est *corde creditur ad justitiam, Ore confessio fit ad salutem*. Ita *Augustinus*.

*Hobbins* sane cum videret (sicut alios quamplurimos) textum illum (*Matth.* 10. 33.) sibi contra insurrecturum, ubi ait *Servator*: *Quicumque me abnegaverit coram hominibus, abnegabo eum & ego, coram Patre meo qui est in caelis*; hac arte eum posse eludi existimavit, dicendo, voces illas nisi *δῆλον* tantum abesse à significando prædicatum subjecto convenire universaliter, ut solum omnibus convenire dicat, ex eorum numero, qui post longam cum *Christo* conversationem in terra testes erant facti resurrectionis, & tandem per *Christum* specialiter ad Evangelii prædicationem deputati & missi; cujus-

cujusmodi erant ( quantum ex illius verbis assequor ) *Apostoli* tantum, & 70 *Discipuli*.

Ita ut *quicumque me denegaveris*, idem sonet, ac *quicumque ex Apostolis, aut 70 Discipulis me denegaverit*. Hic submonere liceat, iniquum esse eum concertatorem, qui pari conditione non est contentus. Vox illa, *omnis*, ubi ex illius partibus stat, magnum quid, se Judice, valebit; ubi è communi, nihil. An vero ita limitanda sit vox, parallelis scripturæ locis, uti decet, expensis, *Lector* judicium det. *Marc. 8. 24. 38.* ‘Postquam advocasset turbam cum Discipulis suis, dixit eis (*Jesus*) ‘*Quicumque vult pone me venire, abdicet seipsum, & tollat crucem suam. Nam quemcunque puduerit mei & meorum sermonum in gente ista adultera & peccatrice, Filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit in gloria patris sui: qualia etiam recensentur, Luc. 9. 23. 26. & 2 Tim. 2. 11, 12, 14.* ‘Certus est hic sermo: si cum eo mortui sumus, & cum eo etiam vivemus; si patientes fuerimus, etiam & conregnabimus; si abnegamus, ille etiam abnegabit nos: si infidi sumus, ille fidus manet; negare semetipsum non potest. Hæc suggerere, &c. Nihil manifestius videtur, quam *Apostolum* hic ad jussa, promissa, minas *Christi* respexisse, *Matth. 10. 28.* ‘Ne timete vobis ab iis, qui trucidant corpus, animam autem trucidare non possunt. & 38. ‘Qui non accipit crucem suam, & pone me sequitur, non est me dignus. Idem de sui abnegatione, & cruce ferenda apud *Evangelistas Lucam & Marcum* extat præceptum. Neque aliud hic suggerit, quam ut patientes simus, neque *Christum* abnegemus. Hæc ipsa denique præcepta promissis confortantur, *Matth. 10. 32.* ‘Quisquis agnosceret me coram hominibus, agnoscam & ego eum coram patre meo, qui est in cœlis, 2 *Tim. 2. 12.* Si patientes fuerimus, & conregnabimus. Eodemque faciunt minæ: ‘Abnegabo eum coram patre meo qui est in cœlis; pudebit me ejus, quum venero in gloria patris mei; non conregnabit mecum, abnegabo eum, sensus exhibent perinde comminatorios. Summa est, præceptum apud *Timotheum* ita generaliter est positum, ut ostendatur etiam omnes obligari; alias enim frustra

esset publice à *Timotheo* suggerendum : idemque sonant *S. Pauli* ad *Timotheum*, & *Servatoris Christi* apud *S. Mattheum* verba ; Utrumque ergo ad omnes extendendum. eodemque modo ex citatis cæterorum *Evangelistarum* locis arguendum est, cum non solum ad discipulos, sed ad turbam, omnesque (voce universalitatem connotante) dirigatur Oratio.

Neque exemplum *Naamani* communi officit sententiz : nam neque videtur necessarium, incurvationem sui ipsius coram *Idolo* abnegationis veri Dei fuisse signum. Ut vero quid hac in re sentire oporteat, clarum sit, quibus potius utar verbis nescio, quam quæ habet *Tostatus* in 4. *Reg. c. 5. q. 25.* 'Sciendum, inquit, est, quod *Naaman* volebat colere idola, nec etiam volebat fingere quod colebat illa, scil. frequenter se humiliando coram eis, ut putaretur colere ea, quia in hoc non poterat dispensare *Elizæ*, cum esset per se malum : sed habebat *Naaman* officium sustentandi dominum suum *Regem Syria*, quando ambulabat & quando adorabat coram *Idolis* ; & tamen non poterat sustentare eum *Naaman*, quin etiam flecteret genua coram illo *Idolo* coram quo flectebat *Rex* genua : & tum non flectebat *Naaman* genua ut adoraret *Idolum*, neque ut *Rex* putaret quod adorabat *Idolum* ; sed quia non potuit sustentare regem flectentem genua, nisi ipse quoque flecteret. Et tunc dicendum, quod *Naaman* nullo modo peccabat, quia nihil faciebat ad cultum *Idoli*, nec significabat se facere, sed exequabatur officium suum. Sic enim, si esset aliquis *Christianus*, vel puella *Christiana* in terra *Sarracenorum*, & labentes vestes *Dominæ* suæ teneret, ne in terram caderent, & sic intraret cum *Domina* sua in Templum *Mahometi*, & maneret ibi, ac flecteret genua, quando *Domina* inclinaret se in terram, non peccaret ex hoc, si non intenderat per hoc aliquam Reverentiam exhibere *Mahometo*.

Atque hic etiam casus erat (ætate *Lusberi*) *Saxoniæ* ducis, qui, Theologis etiam reformatis illud approbantibus, Imperatori *Domino* suo, perinde atque *Syrus* ille *Naaman*, juxta officii exigentiam in cultu *Idololatriæ* similiter inserviebat : neque tamen veram abnegasse Re-

ligionem

igionem est creditus, cum in cætera omni vita quantum ab *Idololatria* abhorreret, abunde perspectum esset. Neque alius est ab hoc casus, quem *Tertullianus de Idololatria cap. 16.* supponit, ‘Utinam, inquit, nec videre possimus, quæ facere nobis nefas est, sed quoniam malis ita circumscedit sæculum *Idololatria*, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non *Idolo*, officiosos habent. ‘Plane ad sacerdotium aut sacrificium vocatus non ibo (proprium enim est *Idoli* officium) sed neque consilio, neque sumptu, neque alia opera ejusmodi fungar: si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps *Idololatriæ*: si me alia causa conjungit Sacrificanti, ero tantum spectator Sacrificii.

Cæterum quo excusetur *Christum* abnegans, aliud habet, quod proponat autor, *Leviath. p. 3. c. 42.* ‘Illum, ait, qui subditus est, sicut erat *Naamanus*, & à Rege suo aliquid, quodcunque illud sit, facere coactus est, ita ut non sponte sua, sed in ordine ad Obedientiam legibus patriis faciat, factum illius non esse, nec illi imputandum: Neque illum esse sed Regem suum qui negavit *Christum*.

Rationes cur his tam libere ab *Hobbio* dictis non assentiar hæ sunt:

1. Quia *Feroboamus*, cum, ne deficeret ab eo Populus, *Idololatriam* instituisset, & vitulos, quos fecerat, tanquam Deos, colendos exhibuisset. 1 *Reg. 12. 28.* non in propria solum persona, quod aiunt, peccabat; sed id egit, quo omnis *Israelitarum* populus & personæ singulares peccati etiam constituerentur rei, ut patet, 1 *Reg. 14. 16. & 15. 26. & 16. 26.* 2 *Reg. 3. 3.* ‘Depulit *Jeroboam Israelitas* à sequendo *Jehovam*, & induxit eos ad peccandum peccato magno, & ambulabant filii *Israelis* in omnibus peccatis *Feroboami* quæ fecerat, donec amoveret *Jehova Israelem* à facie sua &c. 2. *Reg. 17. 21, 22, 23.* Hoc per omnem scripturam *Feroboami* insigne, quod is fuerit, qui peccavit ipse, & *Israelem*, ut peccaret, fecit. Esto autore rege peccasse populum, eoque procurante, in schisma & *Idololatriam* fuisse prolapsum: peccabat tamen populus, Schismatisque & *Idololatriæ Deo*, cui immunes à reatu nequaquam punit, pœnas dedit.

Q 9

2. Quia

2. Quia manifesta signa edidit *Deus*, quibus illorum honestavit facta, qui, quo sibi obedirent, mandatis Regum contrarii sunt: promulgavit legem *Nebuchadnezzar*, qua omnes tenebantur ad auditam Musicam proci- dere, & imaginem auream adorare: *Shadrac*, *Misac*, & *Abednego* non solum à cultu abstinere, sed aperte coram Rege profitentur se neque Deos hos fictitios esse culturos, neque imaginem illam auream, à quocunque erectam, esse adoraturos. Quid igitur fit? Vincti in fornacem ignis abjiciuntur mediam, sed ut habet textus, *Dan. 3. v. 27.* ‘Non est dominatus ignis in corpus eorum, neque pilus capitis eorum adustus, neque eorum clamides erant mutatae, imò neque odor ignis eos pervasit. Quippe, ut fatebatur Rex, ‘Deus mittens Angelum suum eripuit servos suos qui confisi sunt in ipso, quoniam ab edicto Regis prævaricantes exposuerunt corpus suum, ut non colerent, neque adorarent ullum Deum, præterquam Deum suum. Verum viros istos qui intrudebant *Shadrachum*, *Misachum*, & *Abednegonem*, quoniam fornax valde erat accensa, interfecerunt scintillæ ignis.

Idem Rex, ut patet *Dan. 6.* ‘Statuto regio cavir, & interdicto firmavit, ne liceret quicquam à Deo aut homine per triginta Dies peti, nisi ab ipso Rege; si quis hac ex parte deliquisset, pœna erat ut in foveam Leonum projiceretur. *Daniel*, quum cognovisset exaratum esse scriptum illud, ingressus est domum suam, cui fenestrae erant apertae, in canaculo ejus ex adverso *Jerusalem*, & ter quotidie procumbens in genua sua orabat, & confitebatur coram Deo suo, quemadmodum fecerat antea. Cum autem ob hoc facinus esset in Foveam Leonum projectus, ‘misit Deus Angelum suum, qui occlusit Leonum os, ne eum læderent; quippe purus erat, & ab omni peccati labe inventus liber, *v. 22, 23.*

Ad ultimum tandem tanquam ad *Triarios* confugit Auctor argumentum: ‘Si quis, *inquit*, doctrinam hanc (eam notat, qua docetur, obnegationem *Christi* propter præceptum Regis non esse peccatum) ‘cum Christianitate sincera non satis convenire dicat; libenter ab eo doceri velim, si in civitate *Christiana* contigerit habitare *Mehemetanum* aliquem, eundem civem; illumque civita-

‘tis

‘tis illius Rex adorare *Deum* ritu *Christiano* in Ecclesia  
 ‘juberet sub mortis pœna: Utrum is *Mahometanum* illum  
 ‘in Conscientia mortem pati obligatum esse diceret, po-  
 ‘tius quam Legi patriæ obedire? Si dicat mori de-  
 ‘bere, privatis Civibus omnibus libertatem concedit  
 ‘pro Religione sua privata sive vera sive falsa obedi-  
 ‘entiam legitimis suis Principibus denegare. Si dicat  
 ‘debere adorando obedire, tunc sibi permittit, ac jus  
 ‘postulat, quod aliis negat, quod est verbis *Servatoris*  
 ‘nostri contrarium, *quicquid vultis ut faciant vobis homi-*  
 ‘*nes, hoc facite illis.*

Resp. varios posse sub his verbis contineri casus; Aliud enim est esse *Mahometanum*, aliud post maximam, quæ possibilis erat, adhibitam in indaganda Religionis veritate diligentiam, ad hunc cultum esse additum: Crassa enim, & quæ evitari possit, ignorantia, nemini jus acquirit novum, aut conditionem meliorem reddit.

2. Aliud est *Christum* aut *Mahometum* abnegare, aliud *Idoli* alicujus interesse sacris: hoc licere, cum illud non liceat, exemplis *Naamani* & *Saxoni Ducis* supra ostendimus.

3. Aliud erit, si non eadem sint positiva à *Christo* & *Mahometo* edita præcepta: abnegare enim fas erit *Mahometum*, si lex *Mahometi* illud sinat: Nobis non licet esse tam audacibus, quoniam specialiter à legislatore nostro contrarium hac in re cautum existit.

4. Dico summatim, si possit ea esse certitudo Religionis *Mahometica*, præceptique hujus particularis, de non abnegatione *Mahometi*, quæ est certitudo Religionis, & præcepti *Christiani*, ad mortem potius quam ad obedientiam Principis obligatum fore *Mahometanum* dicemus. Neque inobediens dici potest qui morti se submittit ex Principis jussu; neque sequetur inde in cæteris vitæ actibus debitam tolli Regibus obedientiam, sed in illis solis in quibus utrique, *Deo* scil. *Imperatorique* simul obediri non possit. His autem actibus qui absurdum dicit Regibus refragari, non tam ratione contendit, quam verbis Principium petit: si enim cætera postponamus, atque de eo unice quod interfit, faciamus judicium: æquius erit, & naturæ etiam humanæ convenientius, *Dea*

potius quam Regi obtemperare, quod majori Deus sit ad remunerationem sive per præmia, sive per pœnas faciendam, virtute & potentia.

**Num. 9.** *An si quis in pollicendo verbis de futuro se daturum aliquid declaret, ad illud dandum quod promisit se daturum teneatur?*

Negativam partem tueri videtur *Hobbius lib. de Corp. Politico part. 1. c. 2. §. 5. & 7.* 'Cum nulla, inquit, signa sint transferendi jus, nisi verba, oportet ut verba vel præsens tempus significant, vel præteritum; nec sufficit, si futurum solum denotent: qui enim de futuro loquitur, verbi gratia, *cras dabo*, plane significat se adhuc non dedisse; jus igitur hodie immotum est, manebitque donec actualiter det. & §. 7. *si: habet*, In libera donatione verba nulla obligant, nisi sint de præsentis, aut de præterito. Cum enim de futuro sint, nihil transferunt, nec intelligi possunt prodiiisse à voluntate donatoris. Et similia habet. *Leviath. p. 1 cap. 14.* Contra *Hobbius* ratio naturalis mihi videtur militare; nec tantillum suppetit mihi argumenti, quo credam promissa, quæ verbis de futuro proferuntur, aliis quibuscunque, (si quæ alia sunt, sintne enim in conventionibus aliqua, nisi de Logico saltem, si non Grammatico futuro, valde dubito) minus valere: si quis enim sic promisit, *Dabo tibi cras pecuniam*, crastinus cum illucescat dies ad dationem obligatur, obligatur quippe ad factum illud quod promisit, promisit autem se daturum, sive dationem ipsam, mediante autem datione, rem: virtualiter igitur rem ipsam debet promissor, cum illud debeat, ex quo soluto, necesse est rem ad me transferri. Sed verba de futuro nihil actu transferunt? Nihil vafsum magis. Transferunt enim jus illud, quod priusquam promississet, habuit ad non dandam, seu retinendam rem promissor, etiam ultra diem crastinum; eumque necessitati donationis obnoxium reddunt.

## CAP. V.

De Gratitude erga bene meritos  
exhibenda.

**Num. 1.** *Ex tertio Naturæ placito declaratur Naturam velle, ut qua erga quemquam alius est benevolentia, eadem ille erga hunc sit, & parem meritis vicem, quo possit modo, rependat. Ubi Testimonia & judicia Ethnicorum, Adversaria in Hesiodium carmen, & S. Matt. Textum. Cap. 5. 47. & Luc. 6. 32.*

Tertium etiam esse Naturale de gratitudine placitum facile constabit cuiquam, qui Ethnicorum conscientias & judicia diligenter percontaverit. Ejusmodi enim Naturalis Conscientiæ placito præcipi videtur, 'ut qua erga quemquam alius est benevolentia, eadem ille erga hunc sit, & parem meritis vicem juste vicino quisque pro virili rependat. Quid, inquit *Seneca*, tam laudabile, quid tam æqualiter in omnium animos receptum, quam referre bene meritis gratiam. Huic uni (virtuti scil. qua vicem meritis ex gratitudine referimus) non posuimus legem, tanquam satis Natura cavisset: quomodo nulla lex amare parentes, indulgere liberis jubet: supervacaneum est enim in quod imus, impelli. Quemadmodum nemo in amorem sui cohortandus est, quem dum nascitur, trahit, &c. De Beneficiis lib. 4. cap. 17. V. & cap. 16. ib. 'Non referre gratiam & turpe est, & apud omnes habetur; ideo de ingratis & ingrati queruntur, &c. Si: idem *Seneca* De Beneficiis, lib.



lib. 3. cap. 1. quod & advertit Cicero de Offic. 2. 'Omnes beneficii immemorem odisse. Et de finib. 5. 'Vel in ipsis pueris, inquit, sicut in speculis Natura cernitur; Quanta studia decertantium sunt? Quæ memoria est in his bene merentium? quæ referendæ gratiæ cupiditas? Atque ea in optima quaque indole maxime apparent, in qua hæc honesta, quæ intelligimus, à Natura quasi adumbrantur, sed hæc in pueris expressa. Et de Offic. 1. 'De benevolentia, inquit, quam quisque habeat erga nos primum illud est in Officio, ut ei plurimum tribuamus à quo multum diligimur. Et Pag. 23. ib. 'Sin erunt merita, ut non ineunda sed referenda sit gratia, major quædam cura adhibenda est. Nullum enim Officium referenda gratia magis est necessarium. Nam cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi Officii, alterum reddendi: Demus, necne, in nostra potestate est. Non reddere, bono viro non licet, si modo id facere possis sine injuria. Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi; nec dubium quin maximo cuique plurimum debeat: in quo tamen imprimis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim multa faciunt temeritate quadam sine judicio, vel modo, in omnes; vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati: quæ beneficia æque magna non sunt habenda atque ea quæ judicio, considerate, constanterque delata sunt, &c. ib. Idem de Claris Orat. 'Hesiodium illud ab omnibus laudari dicit, qui eadem mensura reddere jubet, quæ acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis. Hesiodium autem illud de quo loquitur, est hujusmodi.

Εὐ μὲ μισροῖς Ἰδὲ γένοιτο, εὐδ' ἀποδύναι,  
 Αὐτὸς τὸ μέτρον, ἢ λείον αἶμα δυνάει. Lib. 1. vers. 348.

Quod sane *Distichon* si quis ad contractum *Mutui* solummodo restringere voluerit, ubi res quantitate consistens hac conditione traditur, ut is cui creditur, tantundem iterum rependat, non ibo inficias, nec litem movebo, modo intelligat is *Ciceronem* secus sensisse, & liquido certe ex sequentibus apparet, velle *Poetam*, quamvis nullus hujus-

hujusmodi contractus intercesserit, aut ex fide Obligatio, ut beneficio absque ingratiis juste retribuatur. Et versus prisca simplicitate gloriosos:

Τὸν φιλόφροντα φιλοῦν, καὶ πρὸς αὐτοῦ περὶ εἶναι,  
καὶ δῶκεν ὅσων δῶ, καὶ μὴ δῶκεν, ὅς κεν μὴ δῶ.

*Amantem te ama, & juvantem te juva,  
Et da ei qui dederit, neque da ei qui non dederit.*

*Vers. 352.*

*Phocylides* autem modum mensuramque quibus retributio fieri debet ita describit, ut *Hesiodi* priora illa, si non de mutuo, sed reddenda beneficii gratia intelligatur preceptum, optime interpretentur. Quid enim congruum rependi existimavit bene merenti post accepta beneficia, brevi & consentienti sententia hac perbelle est complexus.

Νικήν δ' ἔρδοντες ὅτι κείνοι καὶ δῶκεν.

*Vincere benefacientes convenit superabundanti gratiarum  
Copia.*

*Vers. 76.*

His etiam consona habent & Philosophorum, & Jure peritorum Doctissimi. Δωραμίον, (ita *Aristoteles*) ἀντιποδοῦσαν τὴν ἀξίαν, ὅν ἕκαστος, καὶ ἰκανόν. *Ei qui potest retribuendum est pro dignitate eorum qua accepit, idque libenter.* *Aristotel. Ethic. Nicomach. lib. 8. c. 13.*

*Ulpianus*, inter veteres ejus ætatis facile jure consultissimus: ‘Eum dicit qui donaverit, alium ad sibi remunerandum naturaliter obligare: quem nihilominus non ditiozem dicendum esse asserit, priusquam ἀντίδωκεν receperit. l. sed & si. 25. §. Consuluit. 11. ff. de petit. Hæc In quem locum sic commentatus est *Glossator*, ‘Hæc naturalis Obligatio ex puris & meris motibus animi cuiusque descendit. Omnis enim creatura movetur ad benefaciendum ei, qui sibi benefecit: Et talis Obligatio ex instinctu Naturæ procedit; & non est illa talis donatio, quæ ex nudo pacto nascitur. Ingratitudinem vitium censerit longe pessimum, vulgo quidem, sed verissime dici solet. Ita *Pardulphus Præceptis.*

*N. 11.*

Nam cætera delicta adversus proximum quidem male committuntur, sed fortassis nec bene nec male meritum: Ingratus autem contemnit eum, à quo beneficiis affectus est. Si quæ igitur actio jure proposita est unquam, certè actionem ingrati justissima ratione introductam fateri oportet.

Neque sane aliquid mihi videtur propius ad communem hominum sensum accedere, quam quod notat *Micio* ille *Terentianus*. *Adelpb. Act. I Scen.*

*Errat longe, mea quidem sententia,  
 Qui imperium credit gravius esse aut stabilius,  
 Vi quod sit, quam illud quod Amicitia adjungitur.  
 Mea sic est ratio, & sic animum induco meum.  
 Malo coactus qui suum Officium facit,  
 Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet.  
 Si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit.  
 Ille quem beneficio adjungas, ex animo facis,  
 Studet par referre, presens absensque idem erit.  
 Hoc patrum est, potius consuefacere filium  
 Sua sponte recte facere, quam alieno metu.  
 Hoc Pater ac Dominus interest, hoc qui nequit  
 Fateatur nescire imperare liberis.*

Affirmat hic senex ex beneficiis Obligationis sensum sponte adolescentibus innasci, ejusdemque vi, propter innatam scil. humano generi Gracitudinem, certius affectus duci, quam si metus cogat, propterea quod quisquis beneficio adjungitur ex animo studet par referre. Hac arte igitur unica, hoc solo stratagemate devinciendos regendosque tenellorum animos pronuntiat. *Adrastus* apud *Euripidem* gratias agens *Theseo* pro procurata mortuorum funeratione & sepultura, sic inquit.

— Χειρὶ ἀγῆρῳ γ' ἔξωκῶ, ἡναιῶν δὲ  
 Παιδῶντες, ὑμῶς ἀντιδῶν Ὀρφιλοῦκῶ.

*Et gratiam non senescentem habebimus, generosa enim Passi, vos vicissim afficere beneficiis debemus.* In fine supplicum: & *Chorus* similiter in *Medea*.

Αἰεὶς

Ἀχρεῖς ὄλοιθ', ὅτε παρῆκα  
 Μὴ φίλος πῦρ, καὶ δακρῶν ἀνοίξω--  
 --Τι κληῖδα φρονῶν.  
 Καὶ μὴ φίλ' ὑποτ' ἔστω.

*Quicumque ingratus est pereat, cui adest  
 Amicos non colere, primum aperienti  
 Scrinium mentis,  
 Et mihi amicus nunquam fuerit.  
 Et Plautus, in Persa—Improbus homo est,  
 Qui Beneficium scit sumere, & reddere nescit.*

Hunc innatum etiam Ethnicis Gravitudo sensum ostendit Servator, cum excellens aliquid & extraordinarium, quodque supra communem sortem sit, moralemque gentilium virtutem excederet, à Discipulis suis exegerit. Si inquit diligatis eos, qui vos diligunt, quæ vobis erit gratia? Nam & peccatores eos diligunt, à quibus diliguntur. Et si bene feceritis iis qui vobis benefaciunt, quæ vobis erit gratia? Nam & peccatores hoc idem faciunt. *Vel ut versio Persæa.* Si amore complectimini eos qui vos amore complectuntur, quid eximii vobis est? Peccatores etiam idem exercent. Et si bonum illis facitis, qui bonum vobis faciunt, excellentia vestra quænam erit? Peccatores enim idem faciunt. *Luc. 6. 32. & Matth. 5. 47.* Ubi in vetustis codicibus (secundo scil. & quarto MS. *Parisiensibus*) legitur ἔχῃ ἃ ἰσθ-  
 νικῆι ἔται ποιῶσι. *Nokne & Gentiles sic faciunt.* Astipulante non solum editione latina, sed & enarratore *Chrysostomo*, ut notat in locum *Lucas Brugensis*. Peccatores autem Stylo Judaico dicebantur omnes à repub. Judæorum alienigenæ, sicut à Græcis peregrini omnes dicebantur passim Barbari. Monet etiam Apostolus ad *Romanos*, 12. *com. ult. Ut inimicis benefaciendo eorum devincamini malisiam, & in Amicitia demulceamini Officia:* quod tamen ea ratione fieri non posset, nisi natura essent homines ad gratias referendas & rependenda beneficia prompti, & vulgo notatum est inhumanum esse eum Animum, qui benevolentiam, etsi nolit impendere, nolit tamen rependere. Cui consonum est, inter antiquiores Ecclesiæ patres, S.

*Ambrosii* illud *lib. 1. Offic. c. 31.* ‘Esto ut aliquis se excusare possit quod non dederit, quomodo excusare potest quod non reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non reddere non licet.

Quin & feras ipsas Gratitudinis virtute tangi videri potest apud *Gellium* ex egregia Leonis & *Androdi* *Historia lib. 5. c. 14.* nec non *Elpidis* Samii apud *Plinium. lib. 8. 16.*

**Num. 2.** Thomæ Hobbii contra hujus Principii existentiam argumentatio discutitur.

*An Gratitudinis sensus per se mentem humanam afficiat, an solummodo per accidens, quatenus ex Gratitudine lucra consequimur temporalia, & mala, precipue bellicum vitæ statum devitamus?*

*An Natura homines gratis in beneficia propendeant? An desperatis emolumentis ex conscientia naturali deserenda sit Amicitia? Ciceronis, M. Bruti, Senecæ aliorumque sententiæ.*

Visa jam communi hominum de necessaria ad Gratitudinem exhibendam, eaque naturali Obligatione, ad *Hobbiana* Hæreseos discutienda Paradoxa modo descendamus; quæ videri possunt, *Leviathan. parte 1. c. 15. De civitate cap. 3. num. 8.* & alibi passim. In hoc nobiscum convenit, nosque etiam strenue asserimus; *Eum qui beneficium datum accipit, conari debere, ne danti iusta causa sit beneficii dati penitendi.* Dempto autem Conscientiæ bono (sicut id bonum semper tollit *Malmesburiensis*) rationem non probimus. Distinguendum enim est de eo, quod dicit, ‘Neminem dare, nisi ut bonum sibi acquirat; vel ut verbis ejus utar, nisi respicientem ad Bonum sibi. Propterea quod actionis voluntariæ finis Bonum volenti est.’

‘Quæ

Quod bonum si frustra expectandum esse homines scierint, nullum erit benefaciendi initium, neque confidentiæ mutæ, neque mutui amoris, neque reconciliationis inter inimicos, manebunt ergo in conditione belli, quod est contra legem naturæ primam, quæ pacem quærendam esse dicitur. Quibus verbis hoc intelligere atque indicare videtur Philosophus, communi Philosophiæ perpetuus Adversarius, Gratitude, utcumque nobilis sit virtus, mentem per se humanam non afficere, aut delectare, sed solummodo per accidens, quatenus per actus quibus gratos nos ostendimus, evitamus mala, infortunia, vel calamitates aliquas temporales alias nobis necessario obventuras. Providere enim homines opinatur omnia in bellicum vitæ statum esse recursura, nisi homines se generaliter præstarent erga beneficos gratos. Neque enim, *inquirit*, mutuum esset auxilium, aut hominis ad hominem reconciliatio, nisi quisque teneretur gratiam bene merenti ex lege Gratitude referre, atque nisi ita se obligatum quisque sentiret. Illudque Principio tanquam exploratissimum sibi postulat concedi, nihil à quopiam agi nisi ut ipse aliquid ex eo lucretur, imo præter conscientiæ Bonum, jucundamque futurorum ex recta conscientia expectationem.

His contraria videtur communis omnium tam antiquorum, quam recentiorum sententia; Homines scilicet omnes in actus Gratitude naturaliter propendere; quamvis nullum aliud bonum ex ejusmodi actibus esset consecuturum, nisi bona spes de futuro, & præsens ex recta conscientia voluptas. Propriam etiam dicimus aliorumque quos percontavimus experientiam, communi potius quam *Hobbiana* sententiæ suffragari. Cogitavimus aliquando (idque absque omni Religionis Christianæ aut præceptorum inde firmatorum intuitu) patri, matri vel alii summe amico Gratiæ esse referendas. Indigens forte erat, indigentia, quatenus potuimus, succurrimus, idque ex ipso naturæ instinctu, quia ex naturali Obligationis Conscientia placuit sic agere. Ingratum contra esse, natura humana indignum, nec nisi cum ægritudine aliqua animi sustinendum videtur. Neque quicquam sane nos moverunt docta Sophismata, aut *Hobbianorum* momentosa,

gravesque è longinquo petitæ consequentiæ, *quid tandem de hominum statu fieret, & quomodo, nobis modo armillarum cessantibus, omnia in belli statum reverterent?* Imo tali circumstantiarum situ, quo nulli possit innotescere Grati- tudinis, aut Ingratitudinis exemplum (cumque adeo nullum aliud inde nisi inculpatæ conscientiæ bonum indipisci gratus potuerit) observavimus ad hoc officium non deficere Obligationis sensum, aut saltem (si quando deficiat) propter Animadversionis defectum deficere, eundemque quoties se quis penitus excusserit, redire.

Secundo, quamvis perutilis isthæc de Grati- tudine videtur Naturæ Lex, non tamen verum videtur, omnia necessario in bellum ruitura, nisi statim observe- tur. Nec poterit quispiam (sit licet oculatissimus) illud certo providere, quod non est certo futurum. Adeoque nec providentia futuri status bellici, Grati- tudinis ratio seu fundamentum dici meruit. Antece- dens inde probari possit, quod Regulæ de initiis be- nefaciendi, & de mutuis auxiliis, cæteraque omnia mo- tum, quæ modo commendantur, phænomena, eadem quæ nunc sunt poterunt conservari, quamvis ad Grati- tudinem lege aliqua Naturali compositi non essemus. Possent enim Contractus de qualibet peragendâ re, vel eâ non peragendâ fieri, per quos ad quælibet obligaremur; imo ad eâ ipsa, quibus faciendis ex jure Grati- tudinis mo- dò videmur obstricti.

Neque sane concedendum videtur quod ita Autor po- stulat, libere dicam, an temere: quod *nemo det nisi re- spiciens ad Bonum sibi*. In cujus sensu acceptam (neque enim Conscientiæ naturalis tranquillitatem, aut gaudium inter bona numerat) nullo modo fas est admitti propo- sitionem: promptos enim nos natura etiam citra lucri respectum fecit ad beneficia, ubi sine rerum nostrarum dispendio penes nos sit aliis benefacere; veluti si Titium in Eremito offenderem jam in paroxysmo, puta, Epilep- tico, humi prostratum, & à ferâ statim occupandum, & perimendum, quem tamen facile poteram, vel occisâ ferâ, vel in fugam pulsâ à præsentis vitæ discrimine libe- rare; puta etiam me nec hominem hunc miserum visu- rum rursus, nec commodi quicquam mihi ex humano hujusmodi.

hujusmodi facto emersurum: Quæro jam an non inhonesti me arguet conscientia, nec oblatrabit mihi implacida mens, nisi opem pereunti jam Epileptico obtulerò? An potero, (*nisi dura silex, aut stem Marpesia Cautes*) quietus laniens adsistere, & coram intueri belluam vivos prostrati depascentem artus, idque sine omni humana inclinatione, aut affectu, qui suadeat ut à periculo eum, cum cito & tuto illud præstare potero, tuear & defendam? si nequeam quietus crudeli hujusmodi Homicidio interesse, aut sine magnâ animi ægritudine nequeam, ergò gratis in beneficia humana propendet Natura, ergò ubi ne minima emicare videtur lucelli spes pulchrum videbitur, hominem homini benefacere, inhonestum à benefaciendo abstinere.

Et sane prisca omnis (exceptâ fortasse Epicureorum Hæreticâ pravitate) hoc in argumento nobis consentit Philosophia. Ubi, *inquit Cicero*, sancta est Amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto (ut dicitur) peccatore? qui etiam deserendus est & abjiciendus, desperatis emolumentis & fructibus? *Cicero de Offic. 3.* Et alibi Amicitiz locus ubi esse potest, aut quis amicus esse cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? Quid autem est amare, ex quo nomen Amicitiz ductum est, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiam si ad se ex iis nihil redeat? *De Finib. 2.* Et in eodem libro. *A. Torquatus* meâ causa mihi amicus fuit, non suâ: nisi hoc dicis, suâ, quòd interest omnium rectè facere. Ubi mentis & conscientiz interesse sive bonum solummodo (non aliâ quæcunque emolumenta) in Amicitia voluit, docuitque respicienda. Quod de omni peræque Virtute verum docent philosophi. Virtus est affectio animi separatâ etiam Utilitate laudabilis: ita *Cicero. Tusc. Q. lib. 4.* Et *de Finib. 2.* Honestum, *inquit*, intelligimus quòd tale est, ut detractâ omni utilitate, sine ullis præmiis fructibusque per seipsum laudari possit. Generaliter illud *Claudian* est receptum. Ipsa quidem virtus pretium sibi. Et, A servitute conabor revellere Civitatem hanc: si secura fuerit quæ debet fortuna, gaudebimus omnes; sin minus, ego tamen gaudebo: *Ita Brutus* in Epist. ad *Ciceronem* impellit.



‘impellimur naturâ, ut prodesse velimus quam-plurimis.

*Quartus* apud *Senecam de Beneficiis liber* totus in hac quaestione versatur, *An beneficium dare & invicem gratiam referre per se expetenda res sit?* Ubi imprimis Epicureos corripit, quod honesta in mercedem colant, quodque iis non placeat virtus gratuita, ‘quæ nihil in se habet magnificum, si quicquam habeat venale: quid, inquit, est turpius quam aliquem computare, quanti vir bonus sit, cum virtutem nec lucrum invitet, nec absterreat damnum? Calcatis Utilitatibus ad illam eundum est, quocunq; vocavit, quocunq; misit, sine respectu rei familiaris, interdum sine ulla sanguinis sui parsimoniâ vadendum, nec unquam imperium ejus detrectandum. *Cap. 3.* Si recipiendi spe tribuerimus, locupletissimo cuique non dignissimo daremus, nunc vero diviti importuno pauperem præferimus. Si ut prodessemus sola nos invitaret Utilitas, minime beneficia dittribuere deberent, qui facillime possent, Locupletes & Potentes & Reges, aliena ope non indigentes, Dii vero tot munera quæ sine intermissione diebus ac noctibus fundunt, non darent. In omnia enim illis Natura sufficit: plenosque & tutos & inviolabiles præstat. Nulli ergo beneficium dabunt, si una causa esset, se intueri & commodum suum. Illud non est beneficium sed fœnus, circumspicere non ubi optime ponas, sed ubi quaestuosissime habeas; & *Cap. 9.* Plurima & maxima beneficia in nos Deus confert sine spe recipiendi: quoniam nec ille collato eget, nec nos ei quicquam conferre possumus. Ergo beneficium per se expetenda res est: Una spectatur in eo accipientis Utilitas. Ad hoc accedamus sepositis commodis nostris. *Cap. 11.* Si Utilitas me & sordida computatio liberalem facit, si non illi prosum, nisi ut invicem ille mihi proffit, non dabo beneficium proficiscenti in longinquas regiones, non dabo abfuturo semper, non dabo sic affecto, ut spes illi nulla convalescendi, non dabo ipse deficiens. Atqui (ut scias rem per se expetendam esse, benefacere) advenis modo in nostrum delatis portum, & statim abituris succurrimus; ignoto naufrago navem qua revehatur & damus,

‘ & in-

& instruimus. Discedit ille vix satis noto salutis auctore & nunquam amplius in conspectum nostrum reversurus. Debitores nobis Deos delegat, precaturque ut illi pro se gratiam reddant. Interim nos juvat sterilis beneficii conscientia, &c. *ib. Cap. 11.* Adeo beneficium utilitatis causa dandum non est, ut sæpe cum damno & periculo dandum sit. Sic Latronibus circumventum defendo, ut tuto transire permittatur; reum gratia laborantem tuor, & hominum potentium factionem in me converto, quas illi subtraxero sordes, sub accusatoribus idem fortasse sumpturus; cum abire in partem alteram possim, & securus spectare aliena certamina, spondeo pro Judicato & suspensum amici bonis libellum dejicio, creditoribus ejus me obligaturus, ut possim servare proscriptum, ipse proscriptionis periculum adeo. Cum interrogaveris quid reddat beneficium? quid Justitia? quid Innocentia? quid magnitudo animi? &c. Respondebo, bonam Conscientiam. *Cap. 13.* Viri officium est beneficium dare; quare ergo dat? Ne non det, ne occasionem benefaciendi perdat. Vobis (scil. Epicureis) voluptas est inertis otii facere crepusculum, & securitatem sopitis simillimam appetere, & sub depressa umbra latitare, tenerrimisque cogitationibus (quas tranquillitatem vocatis) animi marcentis oblectare torporem, & cibus potationibusque intra hortorum latebras corpora ignavia pallentia saginare. Nobis voluptas est dare beneficia, vel laboriosa, dum aliorum labores levent; vel periculosa, dum alios à periculis extrahant; vel rationes nostras aggravatura, dum aliorum necessitates & angustias laxent. Beneficium ejus commodum spectat cui præstatur, non nostrum, alioquin nobis illud damus. Itaque multa, quæ summam Utilitatem aliis afferunt pretio, gratiam perdunt. Mercator urbibus prodest, Medicus ægris, Mango venalibus; sed omnes isti, quia ad alienum commodum pro suo veniunt, non obligant eos quibus profunt. *Cap. 14.* Non est beneficium quod in questum mittitur. Hoc dabo, hoc recipiam, auctio est. *Cap. 15.* Quomodo injuriam facere per se vitanda & fugienda res est, sic beneficium dare, per se expetenda. Illic turpitudine contra omnia præmia

in scelus hortantia valet, ad hoc invitat honesti per se  
 efficax species. *Cap. 16.* Fixum est, honestum ob nul-  
 lam aliam causam, quam quia honestum sit, coli;  
 Quis ergo controversiam facere audebit, an gratum  
 esse honestum sit? Quis non ingratum detestetur ho-  
 minem, sibi ipsi etiam utilem? Quid tibi videretur cum  
 narratur de eo, qui adversus summa beneficia amici sui  
 ingratus est? Quomodo fecerit, utrum tanquam tunc  
 turpem fecerit, an tanquam utilem rem sibi & profu-  
 turam commiserit? Puto nequam hominem existimas,  
 cui poenâ, non cui curatore opus sit: quod non acci-  
 deret, nisi gratum esse, per se expectandum honestum,  
 que esset. *Ubi Seneca* solerter advertit honestatem, &  
 turpitudinem esse, cui præmium, & poena ex divina sal-  
 tem providentia debetur; quod nisi esset, non poenis,  
 sed Curatoribus generi humano opus esset; *Cap. 20.*  
 Sed inest huic bono etiam utilitas aliqua. Cui enim  
 virtuti non inest? sed id propter se expecti dicitur,  
 quod quamvis habeat aliqua extra se commoda, semotis  
 quoque illis ac remotis, placeat. Et *Cap. 22.* Est magna  
 in ipso opere Merces rei, & ad alliciendas mentes in-  
 gens honesti potentia, cujus pulchritudo animos cir-  
 cumfundit, & delinitos admiratione luminis & fulgo-  
 ris sui rapit. Ac multa hinc commoda oriuntur, &  
 tutior est vita melioribus, amatque, & secundum bo-  
 norum Judicium; ætasque securior, quam innocentia,  
 quam grata mens prosequitur. Fuisset enim iniquissi-  
 ma rerum natura, si hoc tantum bonum miserum, &  
 anceps, & sterile fecisset. *Cap. 24.* Omnis virtus &  
 præsertim grati animi multum quidem præstat, sed  
 non vult ob hoc diligi; amplius quiddam in se habet,  
 nec satis ab eo intelligitur, à quo inter Utilia numeratur?  
 Gratus est quia expedit? Ergo quantum expedit. Non  
 recipit sordidum virtus amatorem. *Cap. 25.* Proposi-  
 tum est nobis secundum rerum naturam vivere, & Deo-  
 rum exemplum sequi: Dii autem quodcumque faciunt,  
 nihil in eo præter ipsam faciendi rationem sequuntur;  
 Nisi forte existimas illos fructus operum suorum ex fu-  
 mo holocaustorum, & Thuris odore percipere. Vide  
 quanta quotidie moliantur, quanta distribuunt, quanta

\* tas terras fructibus impleant, quam opportunis & in  
 \* omnes oras ferentibus ventis maria permoveant, quan-  
 \* tis imbribus, repente dejectis solum molliant, venasque  
 \* fontium arentes redintegrent, & infuso per occulta  
 \* nutrimento renovent! Omnia ista sine mercede, sine  
 \* ullo ad ipsos perveniente commodo faciunt. Hæc quo-  
 \* que nostra ratio, si ab exemplari suo non aberrat, ser-  
 \* vet, ne ad res honestas conducta veniat: pudeat ullum  
 \* esse venale beneficium. Gratos habentus Deos, si  
 \* Deos quidem imitaris, da & ingratis beneficia. Nam &  
 \* sceleratis sol oritur, & piratis patent maria.

Si cui hæc non abunde huic Argumento videantur suf-  
 ficere, videat apud *Alexandrum Neopositannum* in Con-  
 vivio familiari *Atilium* hanc defendentem *Ibesin*.  
 \* Eum qui opis emolumentive causâ largitur, vir-  
 \* tutis nomen amittere, ingentiaque fœdere animi ho-  
 \* na; Neque, ut à *Cicerone* citat, si obtuam causam cui-  
 \* quam commodas, beneficium id putandum est, sed for-  
 \* neratio. *Genial. diar. lib. 5. c. 1.*

---

S f

Num.

**Num. 3.** *Quatenus ex Principio naturali de Gratiitudinis debito, cultus Dei Creatoris, tam apud Gentiles, quam apud Judeos & Christianos est receptus; Cultus item Jesu Christi Θεου Υιου, & Spiritus sancti apud Christianos; Ubi beneficia quæ in homines confert æterna Trinitas, Pater, Filius & Sp. Sanctus, summatim simul recensentur.*

Gentilium, si qua historię fides, omnium sapientissimorum cultus in unum præcipue Deum summum ferebatur; in eundem invisibilem, & per cuncta meantem Deum, quem Optimum Maximum sere Romani, quem Judæi Christianique *Jehovam* Creatorem nuncuparunt. An *Jab Pater* sit Romanorum *Juppiter*, & casus inde per *Jovem* verbotenus *Jehovam* nolet, non anxie contendimus: Hujusmodi enim λογμαχίας nihil mihi videtur inanius. Nullum tamen di. imus tam excordem extitisse hominum Nationem, ut sine nobilissima aliqua causa efficiente mundum hunc expromi edive posse censuerit. Communis sanè erit Paganorum fides Deum *Opt. Max.* effictorem Universi, molitoremque esse: Neque enim moror Epicureos, Atheosque paucissimos, dum generalem depingo sententiam. Mundum autem hunc præsertim inferiorem, propter ingentem Creatoris in homines dilectionem, hominum poussi num causa plurimi factum existimarunt. Huic igitur Numini & Grati as esse pro beneficiis exhibendas, eidemque ut mala averruncaret, & bona largiretur, supplicandum di. utabant. Quorum prius ex innato debite Gratiitudinis sensu, posterius ex Sui amore dimanavit Officium. Nec mirum: cui enim nisi plane cæcutienti obscura esse poterant summi hujus Dei in homines collata Beneficia? Quocunque enim homo oculos converterit, sive in se descenderit, mentemque suam contempla-

contemplaverit, divinæ particulam auræ; five corpus suum, divinum plane Opificium; five cælum, terram, mare, elementa mixta conspexerit, quid ni cum *Αἰαίο*, quem etiam citet Apollolus, *Αἴ.* 17. 28. exclamaverit?

————— Μισαὶ δ' εἶδες πᾶσαι ἔ ἀγνῶσι,  
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγορᾷ, μισήδ' ἀλάωσα,  
καὶ λίωβρις. πάντη δ' εἶδες καχρήμῃδα πάντες,  
Τὸ γὰρ εἰ γὰρ ἔσμεν—————

————— Pleni sunt Deo omnes quædam vici,  
Omniaque hominum fora, plenum etiam est mare,  
Et portus; Et Deo omnes vivunt,  
Ipsius enim & nos soboles sumus—————

‘ Circumspice (sic jubet *Hermes*) humani corporis Opificium, perdisce quis tam pulchræ imaginis conditor.  
‘ Quis oculorum pictor, quis nares auresque tornavit?  
‘ Quis labia distendit oris? Quis nervos retendit, atque  
‘ ligavit? Quis irrigavit venas? Quis ossa congescit  
‘ solida? Quis carnem pellicula tenui circumtexit? Quis  
‘ digitos, articulosque discrevit? Quis fundamenta pedum extendit? Quis perforavit poros, atque meatus  
‘ aperuit? Quis splenem coegit atque compressit? Quis  
‘ Pyramidalem impressit cordi figuram? Quis jecoris  
‘ porto rexit fibras; pulmonum sculpsit fistulas; atque  
‘ alvo capacem amplitudinem tradidit? Quis honoranda  
‘ corporis membra in propatulo figuravit? Quis obscœna  
‘ in obscuro prorsus abdidit? Vide quot divinæ artis opera in una materia demonstrantur, singula pulchra, recte  
‘ dimensa, nec non propriis invicem officiis differentia.  
‘ Quis singula effinxit? Qualis mater? Qualis pater?  
‘ Nonne hæc solus invisibilis Deus cuncta propria voluntate molitus est? Ita *Hermes Trismegistus* in *Operib. Marsil. Ficini. pag. 1843*. Quod idem argumentum ex humani corporis fabrica pluribus explicat *Cicero de Natura Deorum, lib. 2*. Circumspiciat deinde idem dominium illud, imperiumque quod in omnes circumquaque creaturas liberale concessit Numen. Neque enim nihil est quod

Angelis dignitate proximum hominem suffecerit ; quod operibus suis Dominum substituerit ; quod omnia animalium genera ei subjecerit, sive terrestrium, sive aquatili-um, sive etiam per inane voluntium. Quas Deum colendi, celebrandique causas divinus cecinit vates. *Psalmo 8.* Sane nisi Deus humanum genus supra alias omnes animantium species unice dilexisset, eas omnes, quasi Mancipia, in manus hominum haudquaquam tradidisset. En ! ut ex divino Numinis imperio sociæ omnes nobis officiosè inserviunt Creaturæ ! Ex Elementis imprimis & mixtis, quæ fecit Deus, corpora constant humana. Sol, Luna, Hæretæ, cæteraque passim mirabilia cæli luminaria & suum nobis lumen impertiunt, & influentias. Plantæ, quæ vegetat tellus, & panem nobis, aliosque delicatos sufficiunt cibos, seque ipsas exhauriunt, ut nobis præstent alimenta. Volatilia cæli, Nautilia maris, nobis ex Dei beneficio vivunt, nostris usibus, & pro nostro iudicio occiduntur. Nec solers apis pro se mel conficit, nec industria avis sibi extruit ex naturæ instinctu nidum. Ovis innocuum pecus, nobis in fructu est, carnem suam nobis nutrit cibum ; lanam nobis vestimentum. Robustus ad nostra, non sua plaustra bos. Fortis ad nos vehendum Equus. Sollicitus, sciensque ad prædam nobis, non sibi indagandam canis. Hæc atque alia innumera, quæ dici non possunt, cum in nos contulerit Deus, hoc insuper est, quod ad propriæ scientiæ & virtutis imaginem nos efformaverit, quod (ut inquit poeta)

*Os sublime dederit, — calumque videre.*

*Jusserit, erectosque in sidera tollere vultus :* id est, quod ad speculandum & intelligendum nobilissima quæque, nec subtilia tantum, sed maxime sublimia, ipsamque summum Deum, contemplandum & colendum aptos nos promptosque effecerit, & sibi secundos mortales (ut *Ciceronis* utar Phrasi) Deos creaverit. profligatissima Mortalium gens Homo, nisi expenderemus infinita hujusmodi in nos collata beneficia, imo nisi cultum pro virili beneficiorum autiori summo rependeremus. Sed de beneficiis Dei, & recessaria ad Gratiitudinem ratione audiamus si placet *Secundam.* 'Non dat Deus beneficia ? Unde ergo ista curæ possides, quæ das, quæ negas, quæ servas, quæ ratios ?  
' Unde

Unde hæc innumerabilia, oculos & aures & animum  
 mulcentia? Unde ista quoque luxuriam instruens copia?  
 Neque enim necessitatibus tantummodo, usque in deli-  
 cias armamur. Tot arbutta, non uno modo frugifera,  
 tot herbæ salutares, tot varietates ciborum per totum  
 annum digestæ, ut inertia quoque fortuita terræ alimenta  
 præberent? Jam animalia omnis generis: Alia in sicco  
 solidoque, alia in humido innascentia, alia per sublime  
 demissa, ut omnis rerum naturæ pars tributum aliquod  
 nobis conferret. Flumina hæc amantissimis flexibus  
 campos cingentia, illa præbitura commercia, via vasta  
 & navigabili cursu vadentia, ex quibus quædam statis  
 diebus mirabile incrementum trahunt; anhela & fer-  
 venti subjecta cælo loca subita vis æstivi torrentis irri-  
 get. Quid medicatorum torrentium venæ? Quid in ip-  
 sis littoribus aquarum torrentium inublatio? Si pauca  
 quis tibi donasset jugera, accepisse te diceres benefi-  
 cium? Immensa terrarum late parentium spatia negas esse  
 beneficium? Si Domus tibi donatur, in qua marmoris  
 aliquid resplendet, & tectum nitidius auro & colori-  
 bus sparsum, non mediocre munus vocabis: Ingens ti-  
 bi domicilium, sine ullo incendii aut ruinæ metu stru-  
 xit; in quo vides non tenues crustas, & ipsa qua secan-  
 tur, limina graciliores, sed integras lapidis pretiosissimi  
 moles, sed totis variaz distinctæque materiæ, cujus tu  
 parvuli frustra miraris, tectum vero aliter noctu, aliter  
 inter diu fulgens: Negas te ullum munus accepisse? Et  
 cum ista quæ habes magno æstimes, quod est ingrati ho-  
 minis, nulli debere te judicas? Unde tibi istum, quem  
 trahis, Spiritum? Unde istam, per quam actus vitæ tuæ  
 disponis & ordinas, Lucem? Unde sanguinem, cujus  
 curru vitalis continetur calor? Unde ista palatum tuum  
 saporibus exquisitis, ultra satietatem, laceffentia? Un-  
 de hæc irritamenta jam lassæ voluptatis? Unde ista  
 quies in qua putrescis, & marces? Nonne si gratus es,  
 dices?

————— *Deus nobis hæc Otia fecit,*

*Namque erit ille mihi semper Deus, &c. Lib. i. 4. De be-  
 neficiis. cap. 5. & 6. Themistius Orat. 16. e regium hæc  
 refert de summo Deo Testimonium, Te a, inquit, quid*



ἐν οἷς Θεὸς διαφέρει ἔστιν : αἰδιότης ζωῆς, αὐθάδεια δωμάτων,  
 καὶ τῆ μὴ διαλλάσσει ὑποδοῖν ἀνθρώποις. *Tria sunt in quibus  
 excellit Deus: Vita aeternitate, potentia exuberantia, & in  
 eo. quod non desinat hominibus benefacere. Mercatorius  
 Trism. gistsus* 'Cave, inquit, ne aliud quicquam quam  
 'Deum Bonum dicas, Profanus enim hic esset error. Re-  
 'liqui vel Dii vel homines honorati sunt nomine Boni.  
 'Dus autem Bonus est, non secundum honorationem,  
 'sed sua ipsius natura. Altera Dei appellatio Pater est,  
 'ob eam causam quod ille omnia gignit, & arris enim Offi-  
 'cium est, generare. Ita *Merc. in sec. serm. Perinan-*  
 '*dri. Et similia parte. 2. Serm.* quibus concordant illa  
 Servatoris. *Mat. 23. 9.* 'Nolite vocare patrem super ter-  
 'ram; Unus enim pater vester, qui est in cælis. Et  
*Matth. 19. 17.* 'Quid me dicis bonum? Nemo enim  
 'bonus nisi solus Deus. Ita apud *Platonicos* Deus solum  
 & summum Bonum semper dicitur, & ex sola bonitate  
 mundum produxisse. *v. Pansam. De Osc. c. 36. & sequ.*  
*cap. 81.* 'Deum se amare & imagines suas. Duas autem  
 'esse Dei Imagines, mundum & hominem. Ex hac dilecti-  
 'one *Amorem* vocari *magnam Deum.*

Sed alia jam restant dicenda, etiam ipsa Creatione (no-  
 bis modo) Utiliora Beneficia, quæ se Deo Opt. Max. de-  
 bere omnes uno ore agnoscunt Christiani. Cum enim  
 Homo, qui ex dicto Creationis beneficio Deum supra  
 modum diligere tenebatur, perduellionis in Dominum  
 suum reus est compertus, adeoque infinitis pænis ab eo  
 infligendis merito obnoxius, Methodum humanæ restitu-  
 tionis adinvenit infinita Dei φιλαθροφία, qua nullam ali-  
 am (aut saltem nullam præstantiorem) Divina invenire  
 potuit sapientia. Quæ semel, simulque jugiter est provi-  
 sum, ut justitiæ Dei summi, & hominum necessitatibus  
 satisfaceret. Filium scil. suum Unigenitum humana im-  
 buit natura, qui ex hujusmodi naturarum Unione, & suf-  
 ficienter potuit pro omnium hominum peccatis satisfacere,  
 & revera satisfecit. Homo enim improbus (quam  
 peccando perdiderat) animum suam sibi redimere non  
 valuit, nec pro infinito reatu piaculum aliquod Deo offerre.  
 Quomodo enim fieri possit, ut pro præteritis peccatis  
 pretium aliquod supererogaret, aut *λεῖψον* aliquod merito-  
 rium

rium divinæ justitiæ persolveret, qui neque in diem unum absque ulteriori peccatorum incremento potuit vitam producere? *Non enim, ut discrete monet Apostolus 2 Cor. 3. 5: per nos idonei sumus qui aliquid, ut per nos ipsos, vel cogitemus: Sed quatenus idonei sumus, id totum ex Deo est.* Pluris erat *διδότω*, qui solus poterat hoc Redemptionis obire munus, quam cætera omnis mundi Universalitas: Majoris proinde benevolentiae erat, Christum dedisse *διδότω*, quam mundum condidisse. Hoc igitur nobis tam necessarium Redemptionis Opus sacra mirum in modum efferunt Oracula, notantque fere ex non vulgari benevolentia, atq; amore processisse. ‘Sic Deus dilexit mundum, inquit *Servator ipse*, ut filium suum unicum dederit, ne pereat quispiam fidelis sed habeat vitam æternam. *Job. 3. 16.* Deus Amor est, inquit *S. Joannes*, in eoque patuit Dei in nos Amor, quod filium suum unicum in mundum dimiserit, ut per eum vivamus. In eo est Charitas, non quod Nos Deum amaverimus, sed quod ipse nos amaverit, filiumque proinde suum miserit pro peccatis nostris piaculum. *1 J. b. 4. v. 10, 11. & c.* Et *S. Paulus Apostolus ad Cor. 8. v. 6.* ‘Cognoscimus inde Domini Nostri Jesu Christi in nos benevolentiam quod propter nos is factus fuerit pauper, ut nos ex ejus paupertate ditaremur; quodque *ut notat idem ad Philip-pensos. 2.* Cum æqualis Deo sine rapina haberetur, verus Deus ex vero Deo, nec injuria creditus, seipsum assumpta sibi humanitate & servili forma ad mortem usque Crucis humiliaverit; Ultrisque patris iræ se pro nobis subjecerit.

Opera autem divinæ bonitatis nostri causâ præstita, si inter se contulerimus, Opus Redemptionis majoris esse benevolentiae inde argumentantur Theologi, quod Homo nondum creatus nihil uspiam male mereri potuit, quo minus crearetur. Creatus autem ex nihilo & maximâ dignitate auctus, postquam nequiter à Deo ad Diaboli partes desciverat, omni quod ex Dei gratia tenuit, vel tenere poterat, vitæ bono privari meruit. Hæc igitur divinam in nos dilectionem mire commendat Circumstantia, quod pro fontibus & inimicis suis Servator noster & Lominus vitam suam impenderit. Nemo enim

vulgò

vulgò hominùm majori charitate, ( imò haud fere tantà quispiam ) est pravitus, quàm ut quis animam suorum amicorum causà impendat; Quod ipse Servator notat, *Job. 15. 13.* Cumque ut dicit Apostolus, *Rom. 5. 7.* Pro viro bono, inforte & amico vix nihilominus quisque mori sustinerit, hinc valde præclarum illustremque reddidit amorem in nos suum, quod cum adhuc nocentes essemus & inimici, Christus pro nobis est mortuus. Aliud insuper, quo Opus ipsum Redemptionis priori Creationis quasi palmam præripit, est, quod magni constiterit hoc postterius, nec sine Divini sanguinis impendio perfici potuerit: Ex quâ contemplatione *S. Bernardus* Redemptionem tantò Creationi prætulit, quanto Deus homine est præstantior. "In primo, inquit, opere dedit me mihi Deus, in secundo dedit se mihi, & in quo se mihi dedit, me mihi reddidit, Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiam me millies rependere possim, quid sum Ego ad Deum? Pro opere Creationis omnes Naturæ vires se rependere debere; pro dono Redemptionis per sanguinem filii Dei, etiam omnia nostra rependamus, nihil tamen par donò nos posse vicissim rependere rectissime judicavit.

Aliud Egregium summi Dei Opus est, quod communiter *Regeneratio* sive *Sanctificatio* dicitur, quodq; Spiritui Sancto in Sacris Scripturis fere tribuitur. Ne enim beatitudini, quam suis in cælo præparavit Deus, assequendæ sumus inidonei, sanctum suum Spiritum emundandis Naturæ sordibus, suis gratiose concessit. Nec sane Philosophorum præstantissimi Deum omnis veritatis illustratorem esse discebantur: sed intelligentiæ esse datorem, lumenque rerum omnium, & Notiorum cognoscendarum facultatibus nostris suppeditare. Virtutem denique omnem & beatitudinem largiri quidam fatebantur. Christiani autem plenius, planiusque nullum Opus perfecte bonum agnoscunt, nisi quod *ex fide procedit per dilectionem operante*. Dona autem Fidei, Sp̄ci, Charitatis, aliarumque omnium virtutum, quas nobis à Christo commendat Evangelica Veritas à Deo esse profiteamur. *Ad S. Jacobo* didicimus, *Omne perfectum opus exiit, à*

*Paire*

*Patre luminum descendisse. Cumque Divina Charitate nulla virtus sit præstantior; à S. Paulo didicimus Dei Charitatem per Spiritum sanctum cordibus nostris diffundi, Rom. 5.*

Ab hoc Spiritu omnis descendit Prophetia & divinæ mentis revelatio; Ille orat qui Apostolos imprimis, quorum doctrinam nos modo sequimur, in omnem veritatem manuduxit. Ille est qui obducta Evangelicis veritatibus aperit corda, sicut olim *Lydia* (cujus Historia *Actuum* 16. legitur.) Ille leves hominum mentes Divinis Oraculis attentiores reddit: Ille ἰσχυρὰ credendorum ἰσχυρὰ (quam fidem dicunt Christiani) mentibus conciliat, Evangelicarum Ille veritatum firmam animis inserit confidentiam, fidemque quam prius adornavit, exercet, sanas saluberrimasque Christi doctrinas in memoriam nobis revocat, *Joh. 14. 25.* Rebellibus insuper carnis affectibus, & turpi omni concupiscentiæ resistit. *Rom. 7. 15.* Ubi denique prece ad Deum opus est, (& quando non opus est?) mentibus nostris se immiscet, & mixtas gemitibus supplicationes, quæ fando exprimi non possunt, pro nobis interponit.

Sicut autem amoris divini per magna commendatio est, quod non pro bonis & amicis, sed pro fontibus & inimicis filium dederit: ita nec minor est ejusdem dilectionis laus, quod *Christus ipse in calum ascendens Spiritus sancti duntaxat etiam in rebelles & contumaces profuderit, ut digni evaderent quibus conviveret Jehova Deus;* ut notat ex Psalte Apostolus, *Eph. 4. 8. Psal. 68. 18.* Hac Arrha tandem data, justitia, jure, pietate, fide nos sibi, quasi quodam conjugii vinculo, despondit Deus, ut apud *Hoseam. c. 2.* legimus.

Infinitem sane esset Creationis, Redemptionis, Sanctificationis sive Regenerationis beneficia plene recensere. Hæc summa, quæ modo leviter attigi & quasi delibavi, capita Christianorum pietatem in naturali Gratitude Principio recte fundandam probant. *Tatianus* igitur *Asiyrus* cur Religionem Christianam diffiteri noluit, bene respondit: *ὅτι μὴ ἴδὼς, καὶ ἀχάρως ἀποδείξω, Νεὶ & mendax & ingratus demenstrer.* *Tertullianus* Christianum Dei cultum Gratitude vocabulo scite nuncupavit.

Integram Theologiam dividit *Ursinus* in tres partes, seu Titulos: quarum prima de Miseria Hominis, secunda de Liberatione, tertia de Gratitude differit. Hac ipsa autem Gratitude Religionem omnem nostram erga Deum vult consistere. Ne compendii studiosor autori injuriam fecero, verba ipsa attexere non gravabor. 'Est, *inquit*, 'Gratitudo in genere virtus agnoscens & profitens, à quo, ' & quanta beneficia acceperis, & studium præstandi, benefactoribus mutua Officia honesta & possibilis. Complectitur veritatem, & justitiam: veritatem, qua agnoscit, & prædicat beneficia accepta; justitiam, qua studet gratiam referre æqualem bene meritis. Christiana Gratitudo est agnitio & professio gratuitæ redemptionis per Christum à peccato & morte, & serium studium vitandi peccata, omnemque Dei offensam, & vitam instituenti ex ipsius voluntate. Hujus Gratitude etiam duæ sunt partes, Veritas, & Justitia. Veritas agnoscit & profitetur beneficium gratuitæ Redemptionis, & pro eo gratias agit. Justitia offert Deo *arsidue*. Deus autem non postulat alia à nobis *arsidue*, quam verum sui cultum seu Obedientiam, & bona opera. Necessariam autem conversionem asserit, quia non possumus nos gratos Deo præstare nisi simus conversi. 2. Necessaria bona opera, quibus Gratitude nostram præcipue declaramus. 3. Lege Dei bona opera cognosci, quibus Deus colitur, & ostenditur Gratitude. 4. precatione Deum Principaliter coli & celebrari, adeoque ad Gratitude eam requiri. Hos igitur quasi communes locos in doctrina Religionis Christianæ tractandos suscepit. Et in confessione *Basilensi. ars. 8.* 'Fieri dicuntur opera fidelium, non ut satisfaciant pro peccatis, sed solummodo ut his Deo pro maximis beneficiis nobis in Christo exhibitis se aliquo modo gratos esse declarent: *qua in Margine sic explicantur.* Gratitude consistit in remuneratione acceptorum beneficiorum. Deo autem nihil rependi potest, quia nullius indiget. Respicimus ergo in ea, quæ à nobis requirit, Officia. Hæc autem sunt Fides, & opera Charitatis, Fidem postulat sibi ipsi: Charitatem proximo.

Et revera quamvis divinæ beatitudini nihil per nostra quæcunque

quæcunque merita, immo neque per Religionem, aut fidem adquiratur, juxta quod cecinit psalter *Psalmo. 16. 2.* Si quæ tamen exigit Deus præstanda, quæcunque id faciat ratione, ad ea pro viribus nostris perficienda ex lege gratitudinis obligari nos indubium est. Secus enim si à nobis fieret, maximi & nobis beneficentissimi Dei voluntati impie obfisteremus. Et certe beneficia quæ in nos ingenti munificencia confert Deus pro funiculis sunt censenda humanis quibus (*Osea* prophetæ utar verbis) suos ad sui Amorem & obedientiam allicit. Ex hujus beneficiorum contemplatione, honorem, adorationem, cultum exigit. *Exod. 20. 2. Deut. 5, 6.* ‘Ego inquit sum Jehova, redemptor tuus, qui eduxi te è terra Ægypti, qui ex domo servorum te liberavi. Et *Esaia 42. 5, 6.* Sic locutus est Deus fortis Jehova, ‘Creator calorum & qui expandit eos, qui terram porrexit, resque omnes ex ea prognatas. *En magnifica Creationis opera! Qui vocavit Messiam juste, ut confirmaret manum ejus, & custodiens eum tradidit in fœdus populi: En qua ad redemptionem spectant! Qui tradidit etiam eum in lucem gentium ad aperiendum oculos cæcis, ad educendum è clauetro vinctos, & ex carcere sedentes in tenebris. En qua ad illuminationem & conversionem spectant!* ‘Ego sum Jehova, & illud est nomen meum. Gloriam autem meam alteri non dabo, &c. Quasi dixisset, ego Jehova qui tanta vestrum causa feci, atque etiamnum facio, gloriam, honorem, cultum propter hujusmodi beneficia mihi jure debitum, eodem jure exigo. ‘Sicut enim alii vulgo, ubi bene fecerunt suspici & coli volunt, sic item & ipse volo. Quamvis enim ex humano honore aut æstimo nihil mihi ipsi accedat, cum tamen honor & cultus ad me pertineat, neque autor ero, neque sinam ut meus cultus à me ipso aliò divertatur. Et quid si nostri causa, hæc apud Deum (ad conservandum sibi honorem proprium) concepta est Zelotypia? ‘Deus enim (sic inquit *Aquinas*) ‘Gloriam suam quærit, sed propter nos, non propter se. Nobis enim expedit Deum nosse, non illi.

T t 2

Num.

**Num. 4. De Origine Idololatriæ, sive divini inter Gentes cultus: Solis, scil. Lunæ, Planetarum, Elementorum, Bonorum, ut putabantur, Dæmonum, Deorum Indigetum. Et quatenus ex Naturali de gratitudine placito hæc proflexerit Veneratio. Historica fides & testimonium; Ubi Catalogus, ex fabulosa Theologia Gentilium Deorum exhibetur, beneficiaque singulatim recensentur propter quæ cultus est adhibitus. De philosophica interpretatione divinorum nominum, & inde secuta fabulosa Theologiæ in emendatiorem reformatione, ex Cicerone & Seneca; Fonte tamen Venerationis, Gratitudinæ scil. nullatenus immutato.**

. Diximus de cultu summi Dei. Erant etiam & alii vulgo cultus fundamentum in Naturali gratitudinis sensu nati, temerarii tamen & omnium (modo Christianorum) sensu idololatrici: Qualis erat Solis, Lunæ, Planetarum, Elementorum, bonorum Dæmonum, Heroum sive virorum illustrium, qui postquam præclare vita sua sunt defuncti, vel de patria quisque sua & concivibus, vel de humano communiter genere bene meriti, in Deos relati sunt, & cælo donati. In omni enim re sibi utili, seu brutâ seu seu rationali; sive elementari, sive mixtâ, Θεός η, divinum aliquid inesse suspicabantur Gentilium vulgus, illud autem quicquid suspicabantur Divinum Divino cultu sunt dignati: Ex *Prodicō Chio* refert *Sextus Empiricus*,

*Empiricis*, Περὶ δὲ αὐτῶν, *inquit*, ὁ Χρῖστος ἥλιον θεοῦ καὶ σταβί-  
 νω, καὶ ποταμούς, καὶ κρήνας, καὶ κρηδοὺς πάντα τὰ ὠφέλιμα ἔργα  
 τῷ βίον ἡμῶν οἱ παλαιὸι θεοὶ ἐνόμιζον καὶ τὴν αἰσῶν ἀσθενῶν ὄφελον  
 λατρεῖν καὶ ἀσθενῶν Αἰγυπτίους τῷ Νεφθον καὶ διὰ τούτου τῷ μὲν Ἄρτον Διὶ  
 μίλειαν νομιζοῦσθαι, τῷ δὲ Οἶνον Διότυπον, τῷ δὲ ὕδαρ Πουσιδαῶνα,  
 τῷ δὲ πῦρ Ἴφαιστον, καὶ ἥδη ἄλλοι ἐκχρησθέντων ἕκαστον. *Solem, in-*  
*quit Prodicus Chium, & Lunam, Fluvios, item & Fontes,*  
*ac universim omnia quæ vitæ nostræ profunt veteres pro*  
*Diis habuere, juxta quod ab iis perceperunt commo-*  
*dum; quomodo Ægypti Nilum. Et hac ratione pa-*  
*nem Cererem vocarunt, vinum Bacchum, aquam Nep-*  
*tunum, atque ignem, Vulcanum, & consimiliter bene-*  
*facientium unumquemque: Ita S. Empiricus, Com-*  
*ment. 8. Cap. de Diis.* Narrat *Rossius* in πανσιθά, *Flo-*  
*rida & Virginia* incolas *Solem & Aquam* cultu religioso  
 venerari, propter derivata scilicet inde beneficia: principia  
 enim hæc prima opinari sunt, cæteraque omnia ex ca-  
 lore Solis, & Aquæ humiditate produci. Ita *Ross. Pan-*  
*seb. 5. 3.* Narrat & *Alvarez Semedo* *Chinenses* cælum  
 & terram, ceu universales omnium rerum parentes co-  
 lore: *Hist. Chin. part. 1. c. 18. & cap. seq. 19.* ‘Solē-  
 nia, *inquit*, in quatuor anni tempestatibus habent Sa-  
 crificia, offerunt autem Cælo, Soli, Lunæ & Plane-  
 tarum, Stellarumque quam plurimis, Terræ etiam, Mon-  
 tibus, & quatuor Mundi partibus, Oceano, Fluviis.  
 In cujusmodi Sacrificiis non ad brutos montes, sed ad  
 Spiritum quem cogitabant illorum incolas, cultus om-  
 nis hujusmodi dirigebatur. Elementa etiam apud ple-  
 rasque gentes hac ratione culta non diffitetur *Cl. Vossius*  
*de Orig. Idololatriæ, lib. 2. cap. 5.* ‘Non obscura est, *in-*  
*quit*, ratio cur divinitatem iis tribuerent Gentes. Nam  
 sic colligebant: si patres colendi sunt, quia ipsis origi-  
 nem debemus; quanto magis cultus exhibendus est  
 Elementis, unde parentes ipsi & omne humanum ge-  
 nus ortum ducunt? A solo forte *Abrahama* oriundi,  
 meliora edocti, ab hujusmodi cultus impietate reli-  
 giose abstinebant. Clare *Jobus* *Esavita* ab hac Idololatriâ  
 se alienum narrat, *Cap. 31. Comm. 26, 27, 28.* ‘Si vidi  
*inquit* solem quando splendebat, aut lunam clare inces-  
 dentem, & seduxit se in abscondito cor meum, & oscu-  
 latam



latum est manum meam Os meum ; Hoc sane fuisset iniquitas iudicum castiganda censuris , quia abnegasset sem Deum desuper : Ubi rectè notat *Mercerus* veterum plerosque Solis & Lunæ pulchritudine & præstantia, magnâ utilitate, & commoditatibus innumeris adductos, quas hæc sidera hominibus afferunt, ea putasse Deos esse, & pro Diis adorasse. In quam etiam impietatem ipsos *Israelitas* aliquando prolapsos esse ex *Ezechielis* 8. 16. advertit : ubi & eos reprehendit propheta, quod populus faciem suam orientem solem versus, ejus adorandi causâ, converteret. *Germanos* memorat *Cæsar* (*lib. sexto de bello Gall.*) Deorum numero eos solos ducere, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur : Solem, Vulcanum & Lunam, Reliquos ne famâ quidem acceperunt. N. 5. *ib.*

*Perseus*, *Zenonis* auditor, non solum res Utiles Deorum vocabulo esse nuncupatas, sed & eos dicit Deos esse habitos, à quibus magna Utilitas ad vitæ cultum est inventa : talium autem Deorum, sive Dæmonum ( si variarum gentium vetera consulamus monumenta ) numerum pæne infinitum inveniemus. Ex talium enim Apotheosi quisque populus sibi Deos Indigites cumulabat : Neque fabulosæ hujusmodi Theologiæ finis ullus. In hujusmodi autem Historiis, de Heroum in Dæmonas seu Divos Consecratione, præveri *Romanis Græci*, *Græci Aegyptii*. Mendacem autem hujusmodi Theologiam ( uti notat in *Servio Salustianus* ) arripiebant avidè inter Græcos Cretenses, propterea fortè *Ψδγαι* dicti : A principio autem Gratitude communitè agnito ipsam hujusmodi Idololatriam originem sumpsisse, testimonium nobis suppeditat luculentum *Diodorus Siculus*. *Libro enim quinto rerum antiquarum, Cap. 15.* ( Ubi Cretensis Insulæ vetera exponit monumenta ) ne absque Naturali obligationis ad Gratitude ob recepta beneficia sensu, ullam feri potuisse religionem seu veram seu falsam crederetur, propter quæ beneficia hominibus impensa cuique Deorum inter Græcos cultus fuit adhibitus, plene enarrat.

In *Cretensi* igitur, ( quæ & communis Græcorum videtur ) Theogoniâ incertæ imprimis Originis sex masculæ

culos & quinque feminas enumerat: Mares numeratur *Saturnus*, *Hyperion*, *Coeus*, *Japetus*, *Crios* & *Oceanus*. Horum Sorores, *Rhea*, *Themis* *Mnemosyne*, *Phoebe* & *Thetis*, ὧν ἕκαστον τινῶν ἐνεργησίων ἡρώδαι τοῖς ἀνθρώποις καὶ διὰ τῶν οἰς πόντος ἐνεργησίων τυχῶν τιμῶν, καὶ μήμους αἰώνιον. Quorum, dicit, unumquemque aliqua hominum gratiâ invenisse, & propter eam, quâ in omnes erant, benevolentiam, honores & immortalem memoriam fuisse adeptos. De *Saturno* memorat, quod homines ab agresti victu & more ad vitam cultiorem traduxit, atque ad multas orbis regiones accedens singulos ad justitiam & morum simplicitatem instruxit. *Hyperionem* deinde inquit, Solis & Lunæ, aliorumque siderum motus & temporum vices, quæ ab his perficiuntur, suæ observationis industriâ primum deprehendisse, & in aliorum deinde notitiam perduxisse, & propterea patrem horum vocari, ut qui contemplationem eorum, & naturam procreavit. Ex *Coeo* & *Phæbe* *Latonam* esse natam, & ex *Japeto* *Prometheum*; qui ut fabulatores quidam tradunt, ignem Diis surreptum hominibus impertivit: si veritatem excusseris, igniarii repertor est, instrumenti videlicet, quo ad eliciendum ignem utimur.

Ex *Titanidum* numero *Mnemosyne*, ut aiunt, Ratio cinandi artem invenit, & singulis rebus conveniens nomen attribuit, quo unumquodque distincte appellare, & inter nos colloqui possimus. *Themis* vaticinandi artem, Sacrificiorum ritus, & leges Deum cultui servientes prima edocuit, & quæ ad bonam jurisdictionem, & pacis studia pertinent, monstravit.

De quibus collectim, tandem sic loquitur, ἔτι μὲν ἐν οἱ θεοὶ πολλὰ τῶν ἀνθρώπων βίην ἐνεργησίουσιν ἢ μόνον ἀθανάτων πόντων ἡξέσθησιν, ἀλλὰ καὶ ἐν πρώτοις τῶν Ὀλυμπίων ἐνομήσθησιν οἰκῆν μὲν τῶν ἀνθρώπων μετέσταν. Hi igitur Dii, cum plurimis vitam humanam beneficiis cumulassent, non divinos solum honores promeruerunt, sed primi quoque cælum post emigrationem à vita mortalium occupasse extolluntur.

Ex *Saturno* & *Rhea*, *Vesta*, *Ceres*, *Juno*, *Jupiter*, *Neptunus*, & *Pluto* nati dicuntur. *Vesta* domorum architecturam invenit, & ob hoc beneficium universi fe-

re

re homines in ædibus suis collocatam honoribus & sacrificiis dignantur.

*Ceres* Frumentum, quod sponte suâ & fortuito inter alias herbas crescebat, hominibus eousque ignotum prima comportavit, ejusque pisturam & aservationem investigavit, ac sementem facere homines docuit. Asserunt etiam nonnulli leges ab hac promulgatas esse, ex quibus homines quod justum est invicem tribuere assuefierent, atque ab hac promulgatione illam *Thestropheon* appellari. Cumque, ut inquit autor, maxima hominibus bona conciliasset, eximiis etiam honoribus affecta est, eamque immolationibus, festis & conventibus paenegyricis magnificentissimè, non modo Græci, verum etiam Barbari fere omnes alimonix hujus participes, devenerantur: Hæc apud *Agyptios* sub nomine *Isidos*, apud *Siculos* & *Græcos*, *Demetros*, & *Elenfineæ* matris colebatur.

*Neptunus* Maris negotia primum tractasse dicitur, classemque instituit, præfecturam hanc à *Saturno* adeptus; ideoque fama apud posteros increbuit, quæ in mari geruntur, in hujus potestate & arbitrio esse, & propterea solennibus eum sacris nautæ honorant. Adjiciunt & hoc, equos à *Neptuno* primum domitos, & equestris rei scientiam ab eo traditam; Unde *Ianus* & distus est. *Adlu* vero, *Plutonem* scil. Funerum ac Sepulturæ, & parentationis ritus ostendisse ferunt, cum antea nulla horum accuratio fuisset; quod in causâ fuit, ut defuncti in potestate ejus esse dicerentur, & Inferorum ei principatum & curationem antiquitas delegaret.

De *Jove* dicitur, quod, Omnibus præcelluerit Deis fortitudine, prudentiâ, & justitiâ, & cæteris omnibus virtutibus, ideo post acceptum à *Saturno* regnum plurimis vitam humanam commodis, iisque maximis adfecit. Primus namque omnium injurias punire justiciamque inter se colere, & à violentis actionibus desistere, & ad tribunal controversias deferre, judicioque discerpere homines docuit: summatim, quæ ad bonam legum constitutionem, & pacem requiruntur, ipse explevit; bonos verbis ad officium adducens, improbos autem prænarum rigore, ac metu coercens. Permeasse totum fe-

re orbem, dicitur latrones & impios homines & metu  
 removens, & æqualitatem ubique & popularem juridi-  
 cionem introducens. Aliquando etiam dicunt eum Gi-  
 gantes sustulisse: in *Creta* eos qui circa *Mylinum*, in  
*Phrygia*, eos qui circa *Typhona* versabantur. (sic enim  
 ad verbum translatum malim, quam quomodo est à vul-  
 gari, sensu longe à Græco textu distanti, redditum)  
 Aliis etiam bellis, contra Gigantes est concertatum,  
 ad *Pallenen* in *Macedonia*, & in campis *Italia*, qui  
*Phlegrai* à loci conflagratione olim, & *Cumæi* tandem  
 nuncupati sunt. Causa, ut à *Jove* in Gigantes ita ani-  
 madverteretur, fuit injusta hominum oppressio; quod  
 videlicet, proceritate corporum & virium excellentiâ  
 freti vicinos in servitutem redigerent, & statutis de ju-  
 stitia legibus non obtemperarent, bellumque his infer-  
 rent, qui ob benefacta in universum genus mortalium  
 pro Diis ab omnibus haberentur. Nec impios solum ac  
 sceleratos *Jupiter* penitus exterminavit, sed dignos  
 quoque honores optimis inter Deos, Heroasque, & vi-  
 ros impendit.

Tandem vero de *Jove* sic concludit, δια τὸ μέγιστον  
 ἐνεργασῶν, καὶ ὑπεροχῶν τῶν δυνάμεως Συμφάνως αὐτῷ πατρὶ  
 πάντων συγκαταστήσας, τῷ τῷ βασιλευσὶν αὐτῷ τῶν αἰσίων, καὶ  
 τῶν ὀικησῶν τῶν ἐν Ὀλύμπῳ, κλ. Magnitudo igitur benefi-  
 ciorum & potentiz excellentia effecerunt, ut consensu  
 omnium perpetuum *Jovi* regnum, & habitaculum in  
 Olympo tribueretur, sacra etiam præ cæteris exquisita  
 haberet. Et post migrationem à terris in cælum iusta  
 mentibus hominum, in quos beneficia contulerat, per-  
 suasio infixæ est, quod omnium quæ in cælo fiunt, im-  
 brium, inquam, & tonitruorum, fulminumque, & id  
 genus aliorum arbiter sit & moderator. Ideoque *Zena*  
 illum vocant, propterea quod vivendi auctor esse, dum  
 commodâ aeris temperie fructus ad maturitatem perdu-  
 cit, existimatur. *Patrem* quoque dicunt, tum propter  
 curam & benevolentiam erga omnes, tum quod primo  
 generis humani origo ab eo defluxisse creditur: summus  
 præterea *Rex* nominatur, propter imperii nimirum ex-  
 cellentiam; adhuc *Euboulem* & *Metietes* ab eximia in-  
 bene consultando prudentiam.

De junioribus Diis sic habet autor loco citato. ' Liberos  
 ' Jovis vulgus hos recenſet; Deas ſane, *Venerem* & *Gratias*,  
 ' tum *Lucinam*, ejuſque adminiſtram *Dianam*.  
 ' *Horas* item, quas vocant *Eunomiam*, *Dicen*, & *Irenem*.  
 ' Deos verò *Vulcanum*, *Martem*, & *Apollinem*, atque in-  
 ' ſuper *Mercurium*, horum unicuique (ut aiunt) *Jupi-*  
 ' *ter* inventarum à ſe & perfectarum rerum ſcientias in-  
 ' ventionis dittribuit, ſempiternam apud Univerſos ho-  
 ' mines memoriam & laudem iſtis conciliare volens.

' *Veneri* Ætatem Virginum commendavit, quando  
 ' (viz) nubendum ſit, aliarumque curam rerum in nup-  
 ' tialibus uſitatum. *Gratias* venuſtate faciem exornare,  
 ' & ſingula corporis membra ad præſtabiliorem habitum  
 ' jucundumque ſpectantibus decorem conformare; ad hæc  
 ' imperare beneficiis, & pro communicatis, quam decet,  
 ' gratiam referre, tributum eſt. *Lucina*, Parturientium  
 ' curam ac difficultatum in partu dolorumque levationem  
 ' accepit. *Diana* Parvulos tractandi rationem, & cibos  
 ' quosdam naturæ tenellæ convenientes invenit.

' *Horarum* etiam ſuum cuique munus cum nomine con-  
 ' ſentiens, ad ingentes hominum utilitates in gubernati-  
 ' one vitæ datum eſt; nihil enim magis quàm bonus Le-  
 ' gum ſtatus, Juſtitia, & Pax, vitam beare poſſit. *Mi-*  
 ' *nerva* Olivarum culturam & plantationem, oleique ex-  
 ' preſſionem tradidit; adhæc vellium conſarcinatio &  
 ' Architectonica, multaque in cæteris diſciplinis per hanc  
 ' magiſtram hominibus innotuerunt: *Quæ* & *Tibias* pri-  
 ' mum fabricavit, & muſicam, quæ inſpiratione harum  
 ' perficitur, & pleraque tandem fabrilium operum inve-  
 ' nit. Inde *Ergana* (i. e.) Opifex nominatur. *Muſis* à  
 ' patre conceſſa eſt literarum inventio, & compoſitio car-  
 ' minum, quæ poetice dicitur. A *Vulcano* fabricationem  
 ' ferri, æris, auri, argenti, & cæterorum omnium, quæ  
 ' ignis operationem recipiunt, inventam, & univerſum  
 ' ignis uſum excogitatum, & tum artificibus, tum cæteris  
 ' quoque hominibus expromptum eſſe dicunt. *Mars* uni-  
 ' verſam armaturam fabricari, & milites armis telisque  
 ' inſtruere, & collatis ſignis ſtrenuè decertare primus  
 ' docuit, diis adverſantes cædibus abſumens. *Apollini*  
 ' aſſignant *Citharæ* inventionem, & id genus Muſicæ;  
 ' Scien-

Scientiam medicam quæ per fatidicam exercetur artem, qua sanitatem ægroti quondam recipiebant; arcum item & jaculandi artem.

Ex *Apolline* & *Coronide* natus *Æsculapius*, cum multa in re medicâ ex patris disciplina cognovisset, Chirurgiam & Medicamentorum confectiones adinvenit, radicum etiam vires perscrutatus est, adeoque tandem provexit artem, ut pro conditore ejus ac principe colatur.

*Mercurii* inventioni attribuunt Caduceatorum (sæcialium) legationes in bellis, pacificationes etiam & fœderum libamenta. Is etiam mensuras, pondera, & negotiationis lucra, occultamque aliorum res intervertendi fraudem princeps commentus est. Elocutionem præ cæteris excoluit. Quin & palæstræ autor fuit, & ex testudine lyram commentus est. Ad *Bacchum* vero vitis inventionem, ejusque culturam, & vini conficiendi fructuumque autumnalium condendi rationem, quo ad longum videlicet tempus usum hominibus, & alimentum præbeant, *Cretenses* referunt. *Hercules* robore corporis universis mortalibus præstantior, totum pervasit orbem, justas injustis & flagitiosis pœnas infligens, & monstra ferarum, quibus infestæ regionum habitationes redderentur, è medio tollens, hominesque ubivis gentium in libertatem vindicans; ob quæ merita Sempiternis honoribus à mortalibus dignatur.

Postremo, *Dislinnam* memorat (aliam à *Dianâ*) quæ casses venatorios reperit; *Plutum*, qui primum instituit diligentiorē victus rationem, & coacervandi & custodiendi opes viam hominibus indicavit. De *Diis* hætenus. Proximos diis *Heroes* numerat, quos dicit multis post Deorum in *Creta* generationem sæculis existisse, præcipuosque *Minoa* & *Rhadamantbum*, qui omnes, ob summas virtutes & egregia in homines, quibuscum erat convictus, beneficia, honores etiam sunt adepti.

*Hac arte*, (virtute scilicet mortalibus proficua & beneficentia Heroicâ)

*Pollux & vagus Hercules  
 Innixus arces attigit igneas:  
 Quos inter Augustum recumbens  
 Purpureo bibit ore Nectar.  
 Hac te Merentem, Bacche pater,  
 Vexere Tygres, indocili jugum  
 Collo trahentes, hac Quirinus  
 Martis equis Acheronta fugit.*

Horat. Carm. l. 3. Od. 3.

Nec Romani solum ex innata gratitudine propter beneficiorum memoriam Heroas (factos post mortem Deos Indigetes) religiose colebant, sed hac in superstitione viam illis etiam praemonstrarunt Graeci. Cujusmodi apud Graecos Indigetum catalogus videatur apud *Vossium de Origine Idololatriæ. lib. i. c. 13.* Nota etiam sunt Hesiodi ad hanc rem carmina.

Ἀὐτὰρ ὅτι κἀν τῷ ποτὶ γῆθ' κτ' γαῖα κάλυψε,  
 Τοὶ μὲν Δαίμονες εἰσι, Διὸς μεγάλα διαβουλῆς,  
 Ἐδδοὶ, ὄππληθόνιοι, φύλακες θνητῶν Ἀνθρώπων.  
 Οἱ τὰ φυλάσσουσιν δίκας, καὶ χίτλι αἴερα  
 Ἥεκα ἰσχυροὶ, πάντη φοιτῶντες ἐφ' αἴαν  
 ἐκποδίσαι· καὶ τῷτο γέρας βασιλῆιον ἔχου.  
 Ἔργ. κ. ἡμερ. βιβλ. α. v. 120. & sequenti.

Sensus est primos illos aureæ ætatis homines post anteaetam divina plane ratione vitam, ubi fato cesserunt, ex consilio Jovis Opt. Max. Dæmones constituti sunt boni. Hanc enim Mercedem à Jove obtinuerunt, atque hoc illis Officium datum est, ut aerem induti, & per terram euntes observent justa & mala opera. Custodes sint hominum mortalium, & Divitiarum pro merito cujusque largitores. *Plato* item in *Cratylō* viros bonos post mortem Dæmonas constitui, id est, δαίμονας & φερσίμους voluit & *s. de rep.* hujusmodi viro- rum sepulchra, ut Hero- rum & Indigetum coli debere. Quæ Philosophorum & Poetarum (qui ethnici erant vates) scita aut originem, aut quandam saltem confirmationem fabulosæ Gentilium Theologiæ

Theologiz dabant. Unde apud *Ensebiuum* *Dæmones* huiusmodi *Dii Hesiodii* nuncupantur. v. *Ensebiuum lib. 13. prepar. Evangel.*

Nec solum Roma vetus, vel mendax Græcia hoc ritu divos confecit sibi: Ad *Ægyptios* spectat quod ex *Diodoro* citat *Vossius lib. 1. cap. 27.* Præter cælestia numina esse etiam mortales Deos *ἠγάξαντες μὲν θνητὸς, διὰ δὲ κοινῶν καὶ κοινῶν ἀνθρώπων εὐεργασίαν τετυχεύοντας ἐπὶ Ἀστυνοίας, ὡν ἑνὶς βασιλεὺς γινώσκαι καὶ τὸ Αἴγυπτον.* ‘Qui aliquando Mortales erant, propter autem prudentiam & communem erga homines beneficentiam immortalitatis facti sunt participes, quorum nonnulli apud *Ægyptios* Reges extitere.

Ad incolas *Æthiopia* spectat, quod habet *Strabo lib. 17.* *Θεὸν νομιζέσθαι, τὸ μὲν ἀθάνατον, ἕτερον δὲ τὸ αἴτιον πάντων, τὸ δὲ θνητὸν, ἀνώουμον τινα, καὶ ἔσθαι, ὡς δὲ καὶ πολλὰ καὶ εὐεργάτας, καὶ βασιλικὰς, Θεὸς νομιζέσθαι, καὶ τύπων καὶ μὲν βασιλείας κοινὰς ἀπάντων μὲν Σοφῆρας καὶ Φύλακας, καὶ δὲ ἰδιώτας, ἰδίως μὲν ἐν παρθενίᾳ ἢ αὐτῶν.* ‘Deum putant alterum immortalem, qui rerum omnium causa sit; alterum mortalem, qui nomine careat, & non sit cognitu facilis. Plerumque autem eos, à quibus beneficium acceperunt, & Regios, pro diis habent; Reges vero communes omnium Servatores & Custodes esse, cæteros verò privatim eorum quibus benefecerunt.

Ædificantur apud *Chinenses* Tempia in honorem hominum quorundam, qui cum in vita fuerint, benefecerunt, & in templis statuarum eorum eriguntur & imagines: privatim autem eadem veneratione dignantur in unaquaque familia Majores, ubi è vitâ excefferunt. Idem autor, *cap. 19.* narrat apud *Chinenses* studiosius Sacrificia fieri in honorem virorum præ cæteris bene merentium, & frequentiores statuas templaque istorum venerationi esse extructa, quibus ob bene merita & impensa publicè beneficia Gratitude studebat populus referre. De moribus item veterum *Gallorum* (*Commentario de bello Gallico lib. 6.*) memorat *Cæsar*, quod Deum maximè *Mercurium* coluerint. ‘Hunc, inquit, omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum & itinerum ducem: ‘Hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasque habere vim maxi-



' maximam arbitrantur. Post hunc *Apollinem*, *Martem*  
 ' & *Jovem*, & *Minervam*: De his eandem fere habent,  
 ' quam reliquæ gentes, Opinionem. *Apollinem* morbos de-  
 ' pellere, *Minervam* operum atque artificiorum initia  
 ' transdere, *Jovem* imperium cœlestium tenere, *Martem*  
 ' bella gerere.

Ex his aliisque quæ citari poterunt consentanea, facile  
 colligimus etiam veteris hujus vel fabulosæ Theologiæ  
 Religionem Naturalem debite Gratiitudinis sensum evi-  
 denter testari. Fabulosæ sanè hujusmodi Theologiæ ad  
 philosophiam deditiores parcius fidem adhibuere: hanc  
 plenam esse futilitatis summæque levitatis asserit *Cicero*.  
*De Nat. Deorum*, lib. 2. Nec credi nisi stultissime: sper-  
 ni igitur & repudiari fabulas, superstitionemque à Re-  
 ligione seperandam voluit. Utilitatum autem magnitu-  
 dine constitutos censuit Deos, cui Utilitates quæque gign-  
 ebant; ' suscepit, *inquit*, vita hominum & consuetudo  
 ' communis ut beneficiis excellentes viros in cœlum fa-  
 ' mæ & voluntate tollerent. Hinc *Hercules*, hinc *Cæsar*  
 ' & *Pollux*, hinc *Æsculapius*, hinc *Liber* etiam, &c.  
 ' & eodem Libro. Fabulis *inquit* spreis & repudiatis,  
 ' pertinens per Naturam cujusque rei, per *Terras Ceres*,  
 ' per *Maria Neptunus*, alii per alia poterunt intelligi.  
*Seneca* item ut populari & fabulosæ Theologiæ Philoso-  
 phicam substituerit, *Jovem*, *Liberum*, *Herculem*, *Mer-*  
*curium* diversa tantum nomina decernit unius veri &  
 ' summi Dei. Ita cum ' Naturam Naturantem (uti lo-  
 ' quuntur Scholæ) soli mundo partibusque ejus insertam  
 ' dixisset, quoties voles, *inquit*, tibi licet aliter hunc au-  
 ' torem rerum nostrarum compellare. Et *Jovem*, id est  
 ' Optimum Maximum ritè dices & *Tonantem* & *Stato-*  
 ' *rem*, quod *stant* ejus beneficio omnia *Stator*, *Stabilisque*  
 ' est. Hunc eundem si *Fatum* dixeris non mentieris:  
 ' Nam cum *Fatum* nihil aliud sit, quam series implexa  
 ' causarum; Ille prima omnium causa est, ex quâ cæteræ  
 ' pendent. Quæcunque voles illi nomina proprie apta-  
 ' bis, aliquam vim effectumque cœlestium continentia.  
 ' Tot Appellationes ejus esse possunt, quot munera.  
 ' Hunc & *Liberum Patrem*, & *Herculem*, & *Mercurium*  
 ' nostri putant. *Liberum Patrem*, quia omnium parens  
 ' sit.

' sit. *Herculem* quia vis ejus invicta sit. *Mercurium* quia  
 ' Ratio penes illum est, numerusque & Ordo & Scientia.  
 ' Nec distat Officium, si quod à *Seneca* accepisses, *An-*  
 ' *neo* te diceres debere, vel *Lucio*: Non creditorem  
 ' mutares, sed nomen. Quoniam sive prænomen ejus, sive  
 ' nomen, sive cognomen, idem tamen ille esset: Et proinde  
 ' concludit *Deum* sive *Natura* dicatur, seu *Fatum*, *For-*  
 ' *tuna*, *Jupiter*, *Liber Pater*, *Hercules*, *Mercurius*, omnia  
 ' ejusdem *Dei* nomina esse: De Ethnicorum *Jove* sic *Hie-*  
 ' *rocles*, Πατήρ ἔστι ποσειδάων τὸ δὲ τῆ πατρὸς ἔθ' ἢ τῶ τοῖς Πυθα-  
 ' *γορείοις*, τῆ τῆ ΔΙΟΣ ἔστι ΖΗΝΟΣ ὁνομαζόμενον. Δὲ  
 ' ἔν τῷ τῷ ἔθ', ἔστι τῷ τοῖς πᾶσι τῶ ἀρχῆ, εὐνοῦ δίκαιοι τῶ  
 ' τῆ ἐν ἑσπέριας ὀνομαζόμενος. Solebant *Pythagorai Jovis* no-  
 ' mine Universitatis hujus conditorem & parentem ve-  
 ' nerari, per quem enim & *essentia* & *vita* universis sup-  
 ' petit, justum est illum ab operatione benefica nomen  
 ' desumere. in *Carm. Pythag.* 61. Unde non tantum  
 ' *Deus* & *Natura*, sed *Pater Deorum* & *Nature* dicitur.  
 ' Quo sensu & illud *Ciceronis* videtur intelligendum,  
 ' *Deus ille aternus hunc perfectè beatum Deum, nempe Mun-*  
 ' *dum procreavit.* In hac tamen reformatâ, ut ita dicam,  
 ' Paganorum Religione, Naturalis (de quâ modo tracta-  
 ' mus) Gratitude præcipuum nihilominus manet Fun-  
 ' damentum.

Egregium illud *B. Theodreti*, qui uno verbo videtur  
 omnia complexus, conclusionis loco ponam. ' Ego nunc,  
 ' *inquit*, paucis hoc dixerim, *Aegyptios* quidem homi-  
 ' nes, ac *Phanicas*, ipsos præterea *Græcos* Philosophos &  
 ' Poetas, aut quæ videmus *Elementa*, *Deos* esse opina-  
 ' tos, aut humano generi beneficos viros, quique cæte-  
 ' ris mortalibus copiâ, viribus, virtutibusque præstarent,  
 ' *Deorum* nomine honestasse, templaque etiam mortuis  
 ' extruxisse. Nos autem nihil eorum, quæ oculis carni  
 ' possunt, *Deum* esse asserimus. Illis item hominibus,  
 ' qui virtute aliquâ clariores fuerint, debitos optimis  
 ' viris honores præmiaque deferimus. Solum vero a-  
 ' doramus universorum *Deum* & *Patrem*, nec minus &  
 ' illius *Verbum*, ac *sanctissimum Spiritum*, &c. *ib.* Ita enim  
 ' *Apostolus* 1 *Cor.* 8. 5, 6. *Etsi* sint qui vocantur *Dii*, si-  
 ' ve in cælo sive in terrâ, cujusmodi sunt *Dii* multi, &  
 ' *Domini*

‘ Domini multi ; Nobis tamen , unus Deus Pater est ;  
 ‘ ex quo sunt omnia , & nos proper illum ; Et unus Do-  
 ‘ minus noster Jesus Christus , per quem sunt omnia , &  
 ‘ nos per illum.

**Num. 5.** *An ad honorem & cultum pro-  
 curandum Sola Potentiæ æstimatio, non  
 item Bonitatis, Causalitatem contulerit ?  
 Eumeri Athei, & Philosophi Mal-  
 mesburiensis discutiuntur paradoxa, u-  
 bi ex Paganorum Testimoniis probatur  
 nullam ex potentia sola oriri obligatio-  
 nem ad honorem & Cultum. Quatenus  
 in quibusdam Timor compertus est Ve-  
 nerationis, & cultus Divini Causa pro-  
 creatrix ? De cultu cæteris fere anomalo,  
 & variis barbarorum Idololatriis, qua-  
 rum satis probabilis ratio reddi non  
 potest.*

Non diffitemur etiam inter veteres unum aut alterum  
 forte compertum esse, qui Religionem, Cultum, Ve-  
 nerationem, Honorem denique omnem à solo metu, seu  
 potentiz majoris existimatione nata esse voluerunt. In-  
 ter hos eminebat antiquitus *Euemerus*, *Athens* dictus,  
 qui ut notat *S. Epicurus* (libro 8. cap. *De Diis*) ‘ Cul-  
 ‘ tum omnem à metu ortum existimabat ; quasi fieret,  
 ‘ ut cum vita hominum esset insolens & incomposita, iū  
 ‘ qui cæteros superabant viribus & prudentiâ, imperia &  
 ‘ divinos honores sibi acquisierint. Misere etiamnum  
 nostro iterum sæculo, inter cæteras opinionum Sordes,  
 eandem revixisse ; Timorem scil. (exclusa etiam Boni-  
 cati

tatis five Benevolentiae æstimatione) unicam fuisse atque esse in Mundo *Subtop*. Et quod omnium est iniquissimum, quamvis uno ore pagani Scriptores contrarium de se prædicent; & singulorum inductione probent se aliunde motos, (ex Gracitudinis scil. quam modo tractamus, intuitu) ut hunc cultum exhiberent, nec à solo metu oriundum esse; valde tamen connituntur homines in Philosophia novi, ne Gentilibus de se, ætibusque suis & rationibus fides possit adhiberi. Aliud quippe dogma statuendum erat *Leviathan* dignum: (vide *Hobbi Leviath. p. 1. cap. 11.*) ‘Metus, inquit, invisibilium semen est ejus, quod quisque in seipso Religionem, in illis autem qui diversè metuunt, coluntque, superstitionem vocant. Asserit insuper ad honorem in hominibus procreandum nihil prorsus facere Bonitatis, Justitiæ aut Virtutis cujuscunque moralis Opinionem, sed ex sola potentiae æstimatione originem sumere. Sic enim *Leviath. p. 1. c. 10.* Philosophiæ suæ Doctrinam explicat. ‘Quod ad Actionis honorem attinet, modo actio magna & ardua sit, & proinde magnæ potentiae Argumentum, utrum justa, an injusta sit, parum refert. ‘Consistit enim honor in solius potentiae existimatione. ‘Ita Ethnici antiqui, qui Deos in versibus suis Adulteria, cædes, aliasque magnas quidem, sed injustas, vel immundas actiones commisisse faciunt, non illos, (ut existimavers) dehonestabant, sed valdè honorabant. Et propterea nihil magis in *Jove* celebrabant quam Adulteria, neque in *Mercurio* quam furta & fraudes, in cujus laudibus ab *Homero* ponitur,

*Natus mane, die medio factus Citharadus,  
Armentum Phabi fur vespertinus agebas.*

‘Antequam magnæ extiterint Civitates ignominia non erat, sed potius honorificum, & negotii genus legitimum, si quis terra vel mari prædo erat: Ut in Historiis antiquis manifestum est, & præsertim Græcis. Etiam hodie in hac nostra parte orbis terrarum, pugna singularis privatorum, quanquam illicita, honorifica tamen est; & erit donec excogitatz fuerint leges, quarum virtute

‘ fieri potest, ut qui ad pugnam provocat vilis, qui pro-  
 ‘ vocationi non respondet honorandus videatur. Sic *Hob-*  
*bins* qui sententiam suam triplicis exempli inductione con-  
 firmatam voluit. Verum quod ad primum attinet: Abun-  
 de liquet tam Ethnicorum vulgus, quam Philosophos alia  
 ratione, quam unius intuitu potentiz, Deos coluisse. Be-  
 neficentia Deorum credita, & eximia bonitas Honorem,  
 Reverentiam, Religionem denique omnem extorsit.  
 Neque enim Honor esset, nisi hujusmodi virtutum aestima-  
 tio ad potentiz metum accessisset. Timemus forte  
 propter potentiam; sed propter Bonitatem potentiz con-  
 junctam, Deum ipsum, hominesq; Deo perfimiles colimus  
 & honoramus. Ipse *Jupiter* (*Ita Cicero. de Natura*  
*Deorum. lib. 2*) est *Juvans pater*, quem converfis casi-  
 ‘ bus appellamus, à *Juvando Jovem*, à poetis *Pater homi-*  
 ‘ *numque divinumque* dicitur, à Majoribus autem Nostris  
*Optimus Maximus*. ‘ Et ante Optimus, id est, benefi-  
 ‘ centissimus, quam Maximus. Quia Majus est certeque  
 ‘ gratius prodesse omnibus, quam res magnas habere.  
 Quid vero si *Mercurii* admirandas jactitent technas, &  
*Jovis* supra poetæ? Nemo unquam dixerit se hac ratione  
 inductum, ut honore eos prosequeretur: Abunde est (cui  
 non ibimus inficias) si quis hac ex causa timeat. Ani-  
 madversione autem non est indignum, excusari posse &  
 folere Cælestia, etiam apud Sapientes, Numina ex divi-  
 næ libertatis consideratione, quæ immensa putabatur, &  
 infinitæ amplitudinis. Hæc enim etiam ipsis *Stoicis* vulgo  
 tributa est Opinio, tantam esse Deorum vim, ut ea præ-  
 stent juste, quæ si Homines aut hominum societates face-  
 rent, iniquo delinquerent; plusque Creationis auctori,  
 & præservationis nostræ perpetuis curatoribus licere,  
 quam homini cuiquam in hominem. Sed melius forte  
 respondebitur, levem esse Poetarum gentem, fingebant,  
 quas fide poetica narrabant, Historias, neque enim alias  
 Poetæ dicendi essent, sed Historici. Unde ne fides illis  
 quæcunque apud imperitum vulgus adhiberetur populari-  
 bus cautum est legibus, *Romuli* scil. & aliorum, qualis  
 illa, *Deorum fabulas ne credunto. Vide Marlian. Topograph.*  
*Rom. lib. c. 8. Dionysium Halicarnasense Antiq. Rom.*  
*lib. 2.* Certum insuper est maximam humani generis, &  
 sagaciorum

sagaciorē utiq̄ue partē, tantum abfuisse ab honore Diis  
 his nominibus exhibendo, ut dictariis, convitiis & irrisi-  
 onibus has ob causas, putata seu à poetis conficta incesse-  
 rint Numina. Sane si recta, seu communis hominum  
 Ratio dictasset, Deos his de causis esse honorandos, non  
 possint jure incusari Gentium vulgus, quod contra Ratio-  
 nis humanæ dictamina peccaverint, quatenus cultum hu-  
 jusmodi Numinibus exhibuerint. Ab omni autem ætatis  
 scriptoribus, nec Theologis tantum, sed Philosophis, id  
 fabulosam Theologiam profitentibus ut probrum objicitur,  
 quod Deos ponerent, quos ipsa eorum dictaret ratio  
 nulla honoris specie aliquatenus esse colendos. Ita *Cice-  
 ro L. Balbum* inducit contra Deos hujusmodi fictitios  
 differentem. ‘Videtisne, *inquit*, ut à Physicis rebus be-  
 ne atque utiliter inventis tracta ratio sit ad fictitios &  
 commentitios Deos, quæ res genuit falsas Opiniones,  
 erroresque turbulentos, & superstitiones pæne aniles.  
 Et formæ enim nobis Deorum, & ætates, & vestitus,  
 ornatusque noti sunt, genera præterea, conjugia, cog-  
 nationes, omniaque traducta ad similitudinem imbecil-  
 litatis humanæ. Nam & perturbatis animis inducun-  
 tur. Accepimus enim Deorum cupiditates, ægritudi-  
 nes, iracundias. Nec vero, ut fabulæ ferunt, Di-  
 bellis, præliisque caruerunt. Nec solum, ut apud *Ho-  
 merum*, cum duos exercitus contrarios alii Di- ex alia  
 parte defenderent, sed etiam, ut cum *Titanis*, ut cum  
*Gigantibus* sua propria bella gesserunt: Hæc & dicun-  
 tur, & creduntur stultissime; & plena sunt vanitatis,  
 summæque levitatis. Ita *Balbus* apud *Ciceronem* de Na-  
 tura D. 2. v. & *S. Aug. lib. 4. de Civ. Dei. c. 30. Seneca*  
*similiter. ‘Quid? quod & Matrimonia, inquit,*  
*Deorum jungimus: & ne pie quidem, patrum & soror-*  
*um. Bellonam Marti collocamus, Vulcano Venerem:*  
*Neptuno Salaciam.* Quosdam tamen cælibes relinqui-  
 mus, quasi conditio defecerit; præsertim cum quædam  
 viduæ sunt, ut *Populonia*, vel *Fulgora*, & diva *Rumina*,  
 quibus non minor peritorem defuisse, quorum omnium cul-  
 tum magis ad norem, quam ad rem dicit pertinere. Ita  
*Seneca. libro de superstitionibus*, jam diu amisso, quem  
 tamen citat *S. Aug. de Civ. lib. 6. c. 10.* Atque hujus-

modi possint congeri fere innumera. Addam denique si *Jovis* Adulteria, *Mercurii* furta, *Bacchi* ebrietates, *Saturis* in prolem crudelitas non probra essent, sed summæ perfectionis & dignitatis argumenta, mirum est cur adeo altum esset hac de re apud eos silentium, qui Deorum Religionisque paganæ sunt Patroni; mirum cur tam accommoda, ante natum *Hæbbium* non alicubi exaudita est Gentilium Numinum defensio.

Ad secundum exemplum similiter censeo respondendum, *ἀνομιὰς τῶν ἰσθίων* scil. fuisse eos, quotiescunque rationes suas supputarunt, quotquot latrociniis, & quibuscunque innocentium hominum laniensis operam navarunt improbam. At, inquires, gloriabantur fere nequam homines in quocunque hujusmodi facinore, neque latrones se fateri pudor erat. Esto; sed erant nihilominus nequam homines, & à propriis aliquando furiis agitati. Nemo enim apud nos est, qui de istiusmodi nequitia modo gloriatur, de quibus postmodum pudet pigetque? Sunt etiam inter nos, qui latrocinia jam exercent, gloriamque inter sceleris socios ob ea ipsa captant scelera, propter quæ privatim quoties in se descendunt, sævientis conscientiz sentiunt verbera. Quod auxerint res suas, quod amicis, sociisque benefecerint, tanquam milites gloriosi, ostentare se aliquoties forte poterunt: Illud vero, nisi nunquam ad se redierint, aliquando anget, quod per vim & injuriam opes procuraverint, magisque mentis quietem (qui pretiosissimus animi est *Thesaurus*) distrahent, quam rei familiaris augebunt copias. Videri etiam possint ad hanc rem plura supra *cod. cap. 2. & 3.*

Finge etiam duella nostro adhuc tempore alicubi honesta censerent. Quisquamne igitur recte argumentabitur honorem esse à Potentia solum; nihilque habere cum justitia commune? Quotquot sane honestatis causa alios in duella provocant, necessario justitiz se fungi Officio fere existimant. Tam communi enim quam privato bono cavent, quod publicè interest ne scelera sint impunita, Quis unquam in arenam quemquam provocavit, nisi ut injuriam alicubi illatam vindicet? Quod autem Ultio in nocentes irrogetur, Naturalis Justitiz est præceptum; quam quisquis recte exigit, publice prodest. Et si poetis credimus

dimus, propter hujusmodi Ultricis justitiæ in humanum genus impensa Beneficia, pleraque Deorum pars cælo sunt donati.—*Hac arte Pollux & vagus Hercules* (ut pridem diximus) *Iunius arces attingit igneas*. Non alia arte ultra grassantibus injuriis obviam itur, nisi qua exigitur vindicta, & gladio honorum puniuntur mali. Quod & infra ostendimus, ubi de *Obligationibus ad penam* tractatur quæstio.

Neque sane lex positiva, quæ vim quasi contractus obtinet, hoc absolute tollere videtur jus, quo non liberum modo, sed honestum & pulchrum putabatur malefactorum autoribus ultionem inferre. Satisfieri enim legi plures existimant, si pænæ à judice irrogandæ se submittat reus, Quæ remissior fere ab iis speratur, qui aut justa ex causa provocare in duellum, aut cum duellantibus congregi sunt assueti. Solutis igitur adeoque sublatis *Hobbii* in contrarium argumentis, ipsum appello sibi ipsi adversum, nobis etiam consentientem autorem; alibi enim Bonitati æstimationem conjungi voluit. *Ita Leviathan p. 2. c. 31.*

‘Consistit, *inquit*, Honor in cogitatione honorantis interna, nempe in Opinione quam de potentia & bonitate quisque habet illius, quem honorare dicitur. Honorantis ergo Deum, est de potentia & bonitate divina quantum possibile est magnificentissime sentire.

Neque desunt sane nobis Gentilium testimonia, quibus probari possit, paganos sensisse nullam ex potentia sola oriri ad honorem cultumque exhibendum obligationem, nec vim quamcunque sublato beneficentiæ studio ad bonæ æstimationis & famæ procuracionem quicquam facere. Ad Marcum *Antonium* sic rerum humanarum scientissimus *Cicero*, ‘Illud, *inquit*, vereor, ne ignorans verum iter gloriæ, gloriosum putes plus te posse unum quam omnes, & metui à civibus tuis, quam diligi malis; quod si ita putas, totam ignoras viam gloriæ, carum esse civem, bene de repub. mereri, laudari, coli, diligi, gloriosum esse: metui vero & in odio esse, invidiosum esse, detestabile, imbecillum, caducum. *Philippiæa 1. Et de Offic. 3.* postquam Phalarim induxerat potentia sua subditis metu coactis imperantem, ‘Hunc, *inquit*, quod attinet, perfacile est judicium. Nulla enim nobis



nobis cum Tyrannis est societas, sed potius summa di-  
 stratio: Nec est contra naturam spoliare eum, si possis,  
 quem honestum est necare. Atque hoc genus pestiferum  
 atque impium ex hominum societate exterminandum  
 est. Etenim ut membra quaedam amputantur, cum san-  
 guine & spiritu carentia noceant cæteris: sic in ista fi-  
 gura hominis feritas & immanitas belluina à communi  
 tanquam humanitatis corpore segreganda est. Tyranni  
 autem sunt quos laudat *Hobbes*; ij scil. qui metu per  
 potentiam regunt, nec commodis subditorum sed suis  
 unice student. *Aristoteles* item ad *Alexandrum Rhet.*  
 1. liquido constare asserit, laude & honore dignos, qui  
 secundum rationis dictamina bene & honeste se gesserunt,  
 crudeles vero & inhumanos communi odio atque invidia  
 excipiendos.

Nec tamen diffitemur aliqualem timori etiam deberi in  
 procuranda religione effectum; Illa tamen servilis, &  
 coacta magis est; non ultronea, non à generosa men-  
 te sponte dimanans veneratio est, quæ suam metui  
 Originem acceptam fert; Talis forte apud Romanos  
*Eumenidum* erat cultus, quas pœnis obnoxii, ut minus  
 plesterent, colebant. Talis modo ipsius Diaboli apud  
*Brasilienses*, quem quidam, ut minus noceat, colunt. v.  
*Ross. in. Panseb. sect. 3.* Huc etiam referri æquum est du-  
 plicis Principii cultores. Narrat enim *Plutarchus libro de*  
*Iside & Osiride*, Hanc vetustissimam esse Opinionem  
 tam Græcicis, quam Barbaris insitam, Mundum hunc  
 ratione gubernari non unica; cum enim nihil in mundo  
 sit sincerum, sed ex bonis juxta malisque omnia sint com-  
 pusa; non unum esse aliquem primum, qui è duobus  
 doliis, res nobis, veluti aliquem liquorem, cauponis in-  
 morem, distribuat & permisceat, sed potius à duobus  
 contrariis principiis contraria provenire, nec bonum  
 posse malum procreare. De duplici hoc Principio, Deo  
 Opt. Max. & malo Genio, quorum alter, ut autor omni  
 boni, colendus, ut bene faciat; alter, ut autor omni  
 mali, colendus, ne male faceret, videri potest *Cl. Vossii*  
*lib. 1. De Origine & progressu Idolo. cap. 5.*

Erant etiam cultus alii Idolorum cæteris anomali, &  
 de quibus forte, si fide ab Historicis narrantur, satis pro-  
 babilis

babilis ratio reddi non potest. *Peruani* fontes, flumina, eorumque ostia, aditus montium, colles, montiumque apices (quos *Apachitas* vocant) magna religione colebant. Breviter, unumquodque in rerum natura venerantur eorum, quæ illis spectatu digna visa sunt, & cæteris difformia, peculiarem aliquam in iis agnoscentes Deitatem.

Idem, (inquit *Acosta*) mihi ostenderunt in *Caramalca Nasca* arenæ colliculum, qui præcipuum erat Idolum seu, ut vocant, *Guaca* antiquorum. Rogavi, quidnam ei inesset divinitatis? respondebant se eum pro miraculo venerari, quod in medio montium Saxosorum existeret Arenosus. Magna etiam erat & deformis arbor, quam idcirco tanquam divinum aliquid suspiciebant; quia cæteris magnitudine arboribus præcederet. Eodem etiam honore apud eos habiti sunt minuti lapilli, radices, terræque fructus, qui parvitate excelluerunt. Ita *Jos. Acosta, hist. lib. 5. cap. 5.* De cujusmodi errorum causis si ratio mihi reddenda sit, nulla jam suppetit potior, quam quæ *Aquinatis* est in Opusculo de *Symbolo Apostolorum*. Istiusmodi, inquit, cultoribus eodem modo accidit, sicut alicui eunti ad Curiam Regis, qui volens videre Regem, credit quoscunque bene (vel cæteris dissimiliter) indutos, aut in Officiis Constitutos, Regem esse. Ita etiam non rarò forte accidit, ut veri Creatoris ignari, quidlibet defectu Numinis pro Numine coluerint, quod speciosum, sociis Creaturis dissimile, & proinde mirandum videbatur. Ex iis enim suspicari saltem poterant bona juxta & mala descendisse, & plura adhuc utriusque generis posse descendere. Ex notitia autem beneficii accepti, gratitudo; ex suspitione mali impendentis, Metus originem suam ducit, idque propter naturalem cuique sui amorem, adeoque etiam hæc Religiones ad communia cæterarum fundamenta, Gratitude & Philantiam debentur reduci. Verum si inter tam multas & pœnè infinitas superstitiones nonnulla reperiantur, quorum ratio reddi nequit, ad illa saltem popularis ille apud *Varronem* ad *Scævolam* clamor juste proculdubio applicari poterit, VOS NOBIS ISTA IMPORTASTIS, PONTIFICES;

Num

**Num. 6. De aliis Naturalis Gratiitudinis effectibus, qui hominibus intercedunt. Quod præcipuarum in Mundo rationali personarum status Gratiitudine fulciantur, Parentum scil. Patronorum, Magistratum, Dominorum, Amicorum, Liberorum, Clientum, Servorum, Pupillorum inde Officia. Quatenus ex eodem fonte Ambitus ratio, & potentiores per munera vel contumpendi, vel saltem sibi divinciendi consuetudo, & Usura ex sententia Salmasii profluxerint,**

Alii etiam sunt præter Religionem & Numinis Cultum præclari Gratiitudinis effectus. Varii enim extant in Mundo rationali personarum status, qui naturali Gratiitudinis sensu ferè fulciantur. Hoc liberorum in parentes, Clientum in patronos, servorum in Dominos, Populi in Magistratum, Pupillorum & minorennium in Tutores & Curatores Officia sustentantur; aliaque multa Communiter præstantur, quæ huic principio debent originem. Gratiitudo imprimis ea Virtus videtur, quæ in filiis-familias jure tam Naturali, quam civili Romanorum erga parentes debetur. Atque hinc fit, quod qui parentes ritè non observant, perpetuo juris civilis stylo *Ingrati* audiunt. De Ingratis liberis, & causis propter quas tales censeri debeant, celeberrima extat Imp. *Justiniani* Novella. *Const. 115. cap. 3.* singularis item in *Codice* est *titulus, De Ingratis liberis*: eaque de re videri possit *Connanus. lib. 10. c. 10. num. 6.* Officia quibus in hanc pietatem liberi obligantur non inveniuste recenset

*Sensæ*

Seneca de Beneficiis, lib. 6. c. 24. ' Nonne vides, inquis, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Fleantium corpora & repugnantium diligentī cura fovent, & de membra liberras immatura detorqueant, in rectum exiturā constringunt, & mōx liberalia studia inculcant. Obligationem autem prolis in Matrem præ cæteris pulcherrimè mihi videtur delineavit S. Ambrosius, Comment. in Evang. sec. Lucam, cap. 18. ' Si paveris, inquis, Matrem, non reddidisti ei cruciatus quos pro te passa est; non obsequia, quibus te gestavit, non alimenta quæ tibi tribuit, vero pietatis affectu immulgens labris ubera; non famem, quam pro te ipsa toleravit, ne quid quod tibi noxiū est, comederet, ne quid quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, Tibi manducavit, Tibi illa cibum quem voluit, non accepit; Tibi quem noluit, cibum sumpsit; Tibi vigilavit, Tibi flevit. Et ita illam egere patieris? Illi debes quod habes, cui debes quod es. Nihil justius, dicit Anaximenes, quam generationis & disciplinæ auctores mutuis Officiis demereri, quam amare scilicet & sine molestia plurimum exhilarare. Anaximenes apud Stobæum, Serm. 77. Indignum militis pronuntiavit *Alpianus*, si quis patrem auctorem à quibus se educatum dixerit, probro affecerit, ff. de Obsequiis parentibus & patronis præstandis. Secundum *Aristotelem* etiam *Ethic. 9. cap. 11.* Honor parentibus ut Diis debetur, qui etiam apud *Platonem* (de legib. 11.) Deorum reputantur simulachra, apud *Hieroclem.* Θεοὶ θύων ratio à *Philone* redditur quod sint ἰμορῶς Θεοὶ, μιμῆδωσι δ' ἀθύρων ἢ τῆς ζωοπλαστῆν. Diis conspicuè Deum ingentium imitantes eo quod vitam dent. Ut notavit *Græcius*. Injustitiam item Ingratitudinis optimè explicat *Socrates* apud *Xenophontem* lib. 2. memorabilium *Socratis* in dissertatione ad *Lamproclum* filium natu maximum, ubi beneficia etiam parentum in liberos speciatim enarrantur.

## §. 2.

Non dissimile patronis ex eodem Gratiitudinis fonte debebatur obsequium; quod parentum beneficiis illa quæ patronorum putabantur proximè accedebant. Parens ut in rerum natura filius existeret, quantum in se erat, contulit; Patronus ne inter nullos numeretur cliens. Parens vitam largitus est; Patronus quatenus è servitute servum manumittit, rem, æque ac Vita est, inestimabilem dedit, libertatem. Parens natum tuetur, Patronus Clientem. Et certe jus illud patronatus tantæ erat apud veteres autoritatis, ut contenderit expresse *M. Cató, Patrem primum, deinde Patronum proximum nomen habuisse*, autorem *Gellio, Lib. 5. c. 13.* Eadem igitur Gratiitudinis lege, non secus ac patri filius, patrono libertus jure civili censebatur Obligatus. Harum igitur Obligationum apud *Ulpianum* fit quasi quædam conjugatio. *ff. de Obsequiis parentibus & patronis præstandis.* ‘Liberto, inquit, & filio semper honesta & sancta persona patris ac patroni videri debet: Si quis autem patrono debitum non præstitisset obsequium *Ingratus* stylo juris nominabatur. Ita *l. 19. ff. jure de Patronatus l. 6. §. ult. ff. de liberis agnoscendis. l. 4. de Obsequ. l. 1. & 2. De libert. & eorum lib. & alibi* frequentur; unde ex fonte Gratiitudinis ortam hujusmodi obligationem ex Romano jure peritorum sententia clarum est argumentum.

## §. 3.

Hinc etiam Dominis in servos aliquale jus nasci censuerunt. Quos enim occidere jus erat, eo quod servabantur, servi fiebant, & dicebantur. *Inst. lib. 1. tit. 3. §. 3.* Honorandi igitur videbantur Domini, tanquam secundi à parentibus, ceu vitæ restitutæ autores. His sane speciebus (quamvis auctior à lege, adeoque à consensu fieri possit Obligatio) fundamentum tamen, & primâ origo in beneficio & gratia dominorum poni à Jureconsultis videtur.

## §. 4. Eodem

## §. 4.

Eodem fundamento nituntur in patriam & amicos Officia. ‘ Magna, inquit Cicero, est illa communitas quæ conficitur ex beneficiis, ultro citroque datis acceptisque: quæ mutua & grata dum sunt, inter quos ea sunt firma devinciuntur Societate. Sed cum omnia ratione, animoque lustraveris, omnium Societatum nulla est gratior, nulla carior, quam ea quæ cum repub. est. Unicuique nostrum cari sunt parentes, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est. Sed si contentio quædam, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit Officii; Principes sunt, Patria & Parentes, quorum beneficiis maximè obligati sumus. *De Offic. lib. 1. Ciceronis* manifesta videtur sententia, ex beneficiis oriri Obligationem ad Gratitude; ex magnitudine beneficiorum gradus Obligationum secundum magis & minus distingui. Neque enim dubitat aliquando Patriæ beneficia omnibus non solum à cognatis & parentibus, sed etiam (quæ nimia erat ad captandam forte auram popularem prolata Hyperbole) à Diis Immortalibus acceptis anteferre, ita ut ex hinc Hypothesi, non mirum sit, si primum apud eum locum habeat Patriæ Amor. Notabilis etiam est beneficiorum comparatio quam habet sæpe, sed nunquam nimis sæpe, laudatus Cicero, initio *Orationis* quam post reditum ad Quirites habuit. In *Oratione* autem pro *Plancio* omnium huiusmodi Officiorum fundamentum unam ponit Gratitude. ‘ Una, inquit, Gratitude virtus est non solum maxima, sed etiam mater Virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas nisi voluntas grata in parentes? Qui sunt boni Cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriæ beneficia meminerunt? Qui Sancti, qui religionem colentes, nisi qui meritam Diis immortalibus gratiam iustis honoribus & memori mente persolvunt? Quæ potest esse jucunditas Vitæ sublatis amicitiiis? Quæ porro Amicitia esse potest inter ingratos? Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui & docto-

' res, cui non locus ille mutus, ubi ipse altus aut doctus  
 ' fuit, cum grata recordatione in mente versetur? Cujus  
 ' opes tantæ esse possunt, aut unquam fuerunt, quæ sine  
 ' multorum amicorum Officiis stare possint, quæ certe  
 ' sublata memoria & gratia nulla extare possunt, &c. *ib.*  
 ' Quod etiam in naturalis sensu Gracitudinis actiones  
 ' omnes & Obligaciones Amicitiz fundentur, declarat  
 ' etiam illud *Enripedis* in *Medeâ* supra citatum, ubi ei  
 ' maledicitur, seu Ingracitudinis reo, quisquis debitis  
 ' honoris Officiis amicos non coluerit,

## §. 5.

Ex eodem fonte Magistratus & principum in repub. vi-  
 rorum Observantia emanare rectè dicitur. Ex Gracitu-  
 dine enim Magistratum plerosque & summos in repub.  
 viros, quibus ipsius vitæ debemus securitatem & tute-  
 lam, colere & observare debemus. *Eos* (ita *Cicero. de*  
*Off. 1. ad finem fere*) quorum vita perfecta in rebus hone-  
 stis atque magnis est, bene de Republica meritos & me-  
 rentes aliquo honore aut imperio affectos, observare &  
 colere debemus. Imperium ac Magistratum gerentibus  
 vult *Cicero* obsequium offerri bene à rep: meritorum gra-  
 tia, quod proprium est & formale, ut ita dicam, Gracitu-  
 tudinis factum. *Principem, inquit Seneca, Patrem Pa-*  
*triaz appellavimus, non vana adulatione adducti. De*  
*Glem. lib. 1. c. 14.* Quidni igitur paternus patri patriz  
 tribuatur honos? Quin & ex hoc uno Principio omne  
 plane Dominium nasci voluerunt; qui paternam solum-  
 modo potestatem unicum imperii omnis fundamentum  
 constituunt.

## §. 6.

Ex eodem prodit fonte & Ambitus apud veteres, &  
 male recepta populum vel Magistratum per largitiones &  
 munera corrupendi vel saltem sibi devinciendi consue-  
 tudo. Qui enim volunt alios sibi conciliare, eorum fere  
 mentes collatis beneficiis, vel impensis largitionibus sibi  
 devincire solent, quibus fit, ut quidlibet ferè ab iis impe-  
 trare

trare possint. Hinc illud Poetz, *Munera, crede mihi, placeant hominesque Deosque*. Nec quisquam est (qui per tri-  
duum in vita communi est versatus) qui non has novit ar-  
tes, quidlibet fere per quemlibet peragendi. Pudet  
enim accipere & non reddere Beneficium. In Diverbi-  
um abiit, *Beneficium accepi, Libertatem perdidit*. Injusti  
etiam in Evangelio Dispensatoris inde valde commenda-  
batur sibi in hoc mundo sapiens prudentia, cum Offi-  
cio privandus esset, quod, vel de Domini bonis furtim,  
benefacere debitoribus, adeoque illos sibi obstringere vo-  
luit, ut ex Gratitude pro remissis ab infido Dispen-  
satore debitis, ipse Officio exutus in eorum familias hos-  
pitio exciperetur, *Luc, 16. 8.*

§. 7.

Ex eodem fonte Usuræ etiam pro mutuo acceptis  
solvendæ, secundum *Salmasium*, nascitur Obligatio.  
*Qui libro de Usuris, cap. 10.* Sic scitissime edisserit.  
‘æquitas inquit Usuræ in hac quæstione versatur, an ju-  
‘stum sit, ut qui mutuum aliquid ab alio acceperit, in  
‘reddendo amplius det, quam accepit, vel referendæ  
‘Gratiz nomine, vel etiam mercedis persolvendæ, Gra-  
‘tiz relationem magis naturalem esse facile concesserim.  
‘Quid enim Naturæ humanæ convenientius, quam Gra-  
‘tiam pro beneficio accepto referre? Mercedem deinde  
‘non à primo Naturæ jure, sed secundo seu Gentium, ut  
‘& ceteros contractus, deduci voluit. ‘A gratia, inquit,  
‘referenda ad mercedem persolvendam, ideo ex jure  
‘Gentium perventum est, quia pauci reperiebantur, qui  
‘cum ingratis esse liceret, grati esse mallerent. Quini-  
‘mo, gratia illa quæ referebatur à volentibus ob mutuum  
‘acceptum, quid aliud erat, si vero & suo nomine vo-  
‘canda sit, quam Merces voluntaria; ut Merces, quæ  
‘nunc pro usu pecuniæ mutuo datæ penditur, gratia est  
‘coacta, & ab injuris relata? Hæc igitur ratio primam  
‘fæmori dedit originem, eamque prorsus naturalem. U-  
‘sura enim est Merces pro usu rei mutuatitiz ex pactione  
‘præstanda, quæ successit in locum ejus gratiz volunta-  
‘tiz, quam olim referre homines consueverant.



## §. 8.

Ab eodem fonte Pupillorum ad Tutores, & rerum  
 suarum Curatores, & Discipulorum ad præceptores co-  
 lendos nascitur Obligatio. Narrat F. Alvarez Sernedo in  
*Hist. Chin.* Penitus hoc insidere *Chinensibus*, ut pa-  
 rentibus præstent Obsequium. Hoc inquit Officium  
 magni apud *Mandarinos*, magni apud ipsum Regem habe-  
 tur: Si quis aliqua ex parte negligens fuerit, aut hæc  
 in re abs Officio recesserit, publice iudicium dant Ma-  
 gistratus, atque in ingratos severe animadvertunt. A-  
 pud eosdem *Chinenses* idem juris est respectu Præcepto-  
 rum, Tutorum, Curatorum, cæterorumque quomodo li-  
 bet bene merentium, ut patet apud *Serned. part. 1. cap.*  
*29. ut & cap. 18, 19.* Ubi, cultum omnem ex gratitu-  
 dinem fere sola originem sumpsisse, videtur asserere.  
 Imo ipsi etiamnum Judzi legis positivæ, quæ quinto deca-  
 logi præcepto continetur rationem agnoscunt Grati-  
 tudinem. Dicitur *R. Leonis Modena in Hist. modern. Judo-  
 rum.* Magistrum, inquit, Præceptorem, in Religione  
 Informatorem, majori existimant dignum observantia,  
 quam patrem qui generaverat: Hunc enim solum esse  
 largitum dicunt, illum vero bene esse subministrasse.  
*Aristoteles* ut notat *Rheyberus*, Præceptoribus tanquam  
 mentis parentibus dicebat nullum unquam posse reddi  
 ἰσοῦπον *lib. 9. Ethic. cap. 2. Papinianus* beneficia,  
 quæ Discipuli in præceptores conferunt, non donationes,  
 sed Remuneraciones dicendas esse statuit. *l. 27. ff. de Donat.*  
 Nec solum Jure Civili ad observandos ex quasi-contractu  
 Tutores, sed jure Naturali ex Gratiitudinis debito ad idem  
 Officium, idque vinculo antiquiori, & magis necessario  
 obligari videntur.

Num.

**Num. 7.** *Harum omnium Obligationum Principium in Naturali gratitudinis sensu recte locari, aliud Argumentum inde deducitur, quod Benevolentia in Genitore, Patrono, Magistratu vel Patria cessante aut in inimicitiam conversa, cessent Liberorum, Clientium, Civium seu popularium ex communi estimatione ad Obsequia præstanda, nisi alii quam ex Gratitudine nexus sint, Obligationes & Officia.*

Omniū etiam modo dictarum Obligationum fontem esse naturalem Gratitudinem aliud adhuc videtur argumentum, quod ubi Benevolentia, quæ Gratitudinem semper extimulare, & ad *virtutes* provocare solet, à Naturali Genitore, civili Patrono, Magistratu sive Imperatore ordinario absuit: (alio non intercedente ex fide data ad hujusmodi Officia nexu) Obligatio liberorum, Clientium, popularium, vel subditorum (si sic eos appellare fas sit, qui data alligeantia nullatenus tenentur) cessare magna ex parte, aut prorsus tolli generaliter existimetur. Facile, *inquit Cicero*, intelligo non modo reticere homines parentum injurias, sed etiam æquo animo ferre oportere. Sed ego quæ ferri possunt ferenda, quæ taceri, tacenda esse arbitror. Nihil in vita calamitatis vidit *A. Cluentius*, nullum periculum mortis adiit, nihil mali timuit, quod non totum est à matre conflatum & profectum. Hoc enim ipsum judicium, hoc periculum, illa accusatio, omnis testium copia, quæ futura est, à matre initio est adornata; à matre hoc tempore instituitur, omnibus ejus opibus & copiis comparatur; Ipsa denique nuper *Larino*, hujus opprimendi causa Romanam advolavit. Et plura ejusmodi addit Orator, ex quibus constare possit censuisse eum, ex illata proli à parentibus

tibus injuria cessare jure posse etiam natorum erga parentes Officium. Jure Civili Romanorum, si parens cessante affectu naturali & debitis *compassis* prolem vendidisset, vel crudeliter exposuisset, paterna potestate exuebatur, neque ad obsequia præstanda ulterius tenebantur venditi aut expositi. Verba *Ulpiani* sunt (*Tit. 10. in fragmentis XII. Tabularum*) ‘Lex XII Tabularum jubet his verbis: Si pater filium ter venundedit, filius à patre liber esto; Ceteri autem liberi præter filium una emancipatione sui juris fiunt; *Romulus* caverat, sic *Prætoris*, ut si pater filium ter mancipasset; id est, vendidisset, filiam autem semel, si sui juris efficerentur, id est, Obligatione ad Patrem liberi. Hinc usui venit mos, ut qui liberos mancipare voluerint, triplici venditione jus patrum sibi mitterent. v. §. 6. *Inst. quibus modis patria pot. solvitur.* Et *Cass. Inst. l. 1. tit. 6. §. 4.*

Exponi dicuntur utroque jure, tam Civili quam Canonico, infantes, servi, vel liberi, si languidi sine cura dimittantur, vel si alimenta eis negentur à parentibus, à dominis, vel patronis. Ex hujusmodi autem expositione, obligatione omni qua prius erant obstricti, liberati sunt expositi: ut patet imprimis ex jure civili, *Cod. de infans. expositis, liberis & servis.* Rescriptum *Imp. Valentin. Valent. & Gratiani*, est hujusmodi. ‘Unusquisque sobolem suam nutriat: quod si exponendam putaverit, sed nec Dominis nec Patronis repetendi aditum relinquimus, si ab ipsis expositos quodammodo ad mortem Voluntas misericordiz amica collegerit: Nec enim suum quis dicere poterit, quem pereuntem contempsit. Certe proles mea, quod naturam attinet, non minus est quam exposuero, adeoque pereuntem contempsero. Verum hoc dicunt *Imp.* quatenus paternus affectus & benevolentia deest; eatenus deesse rationem qua mihi ita obligetur, ut mea audiat; id est, ut meis usibus inserviat, me colere, honorare, audire debeat. *Imp.* etiam *Justinianus* æquum esse, infra *Cod. eod.* confirmat l. 3. & 4. Ne infantes iis obligentur, qui eos abjecerint; & de servis. ‘Legibus, inquit, nostris constitutum est, ut servi ægrotantes à Dominis neglecti, & qui velut desperata eorum valetudine, possessorum curatione digni non cen-

sentur, omnino in libertatem abripiantur. Servo item quem pro derelicto Dominus ob gravem infirmitatem habuit ex Edicto Divi Claudii competit libertas. l. 2. ff. *Qui sine manumiss. ad libert.* adde Novellam 153 de *Infantibus expositis.* Et Cod. de *latina libertate* §. 3. legem quæ aureis transcribatur literis dignam. Si quis servum suum ægritudine periclitantem à sua domo publice ejecerit, neque ipse eum procurans, neque alii eum commendans, cum erat ei libera facultas, si non ipse ad ejus curam sufficeret, in Xenonem eum mittere, vel quo poterat modo eum adjuvare: Talis servus libertate necessaria, Domino etiam nolente, re ipsa donatus fiat illico Civis Romanus, neque aditus in jura patronatus quondam Domino reservetur. Quem enim à sua Domo suaque familia publice repulit, neque ipse eum procurans, neque alii commendans, neque eum in venerabilem Xenonem mittens, neque consueta ei præbens salaria, maneat ab eo ejusque substantia penitus segregatus, tam in omni tempore vitæ liberti, quam cum moriatur.

Idem etiam jure Canonico obtinuit. *Decretal. Greg. lib. 5. tit. 11. cap. sing.* Si a patre, aut alio, sciente ipso aut ratum habente, (relegato pietatis Officio) infans expositus exitit, hoc ipso à potestate fuit patria liberatus. Nam in hoc casu in ingenuitatem libertus, & servus in libertatem eripitur. Quod & de prædictis cujuscunque ætatis languidis, si expositi fuerint, vel si alicui eorum alimenta impie negari contigerit, est dicendum. *Leges XII Tabularum. Cap. 25.* sic cautum est. Filius arte carens patris incuria, eidem vitæ necessaria præsidia ne præstato. *Alexis* item (ut observatum est apud *Vitruvium lib. 6. Archit. in Præfat.*) *Athenienses* ait ideo oportere laudari, quod eorum cogant leges non omnes parentes ali à liberis; nec nisi eos qui liberos artibus erudissent. Neque enim solum infantes quod expositi fuerint, jure civili Obligatione ad alendos parentes solvebantur; sed aliis etiam ex causis, & levioribus aliquando in prolem injuriis, de rebus suis ita disponere aut Testamento eas alienare jus erat, ne quid ex iis opis aut adjuvanti parentes etiam indigi susciperent. Causæ autem, propter

propter quas ex jure Justiniano à liberis exheredari possint parentes, *lege Novella* recensentur hujusmodi. 1. Si parentes ad interitum Vitæ liberos suos tradiderint. 2. Si Venenis aut maleficiis aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiari probabuntur. 3. Si pater nurui suæ aut concubinæ filii sui se miscuerit. 4. Si parentes filios suos testamentum condere prohibuerint, in rebus in quibus habent testandi licentiam. 5. Si liberis, vel uno ex iis in furore constituto, parentes eos curare neglexerint. 6. His casibus etiam cladem captivitatibus adjungimus, in qua si liberos detineri, & per parentum vel contemptum vel negligentiam non redemptos ab hac luce transire contigerit, nullatenus eorum parentes ad facultates perveniant liberorum, de quibus filii testari potuerant, &c. Apud *Justinianum in Novellâ 115. cap. 4.* Ita *Ll.* si autem jam mihi, secundum positam hic à me Hypothesin ex jure Naturæ faciendum sit judicium in Quæstione, *An Genitori ad Obsequia præstanda is teneatur Gnatu qui statim à partu expositum nullum in visâ, saltim præter ipsam vitam sensit benevolentia paternæ signum?* Facillima videtur responsio: paria scil. exigi ex conscientia naturali *Arilæog.* Præstitit genitor materiem beneficii, sed propriæ voluptatis studio duntaxat, sine dispendio aut incommodo suo. Curandum igitur est ut paribus circumstantiis Paternum gnatu pendat beneficium. Sin salvis rebus suis id non possit, ex naturali Gratitude jure nullatenus cogetur à propria recedere felicitate, ut ei subveniat parenti filius, qui filii sui causa, coactari sibi res domesticas nullatenus sustinuit.

Similiter etiam in aliis statuendum est Obsequiis præstandis. Ita si Natalis Patria quemquam contumelia affecerit, *Patria* est ubicunque est *bene.* Si cessent aliquando atque in injurias abeant, vel si nulla unquam fuerint Patriæ beneficia; cessat aut nunquam extitit Obligatio. Cujus præclarum exhibet *Coryalanus* inter Romanos exemplum. Ei Patria erat *Roma*; Populares, Romani cives, at iniqui, noxii, injurii. Ad *Volscos Romanis* infelto confugit, summum ibi adeptus est Imperium, Evenitque, ut quem pro se salutarem Impera-

Imperatorem cives habere noluerant, pœne pestiferum  
 adversus se Ducem experirentur. Frequenter enim fu-  
 sis exercitibus patriæ suæ, victoriarum gradibus, adi-  
 rum juxta mœnia Urbis *Volsco* militi struxit. Quam  
 propter fastidiosus ille in æstimandis bonis suis popu-  
 lus exuli coactus est supplicare. Missi ad eum depre-  
 candum legati; nihil profecerunt: missi deinde Sacer-  
 dotes cum infulis, æque sine effectu redierunt. Stu-  
 pebat Senatus, trepidabat populus, Viri pariter &  
 mulieres exitium imminens lamentabant. Ut Nar-  
 rat *Valerius Max. lib. 5. cap. 4.* Nihil enim debuit  
 Patriæ, aut Senatui aut Sacerdotibus se iudice dux. At  
 postquam Mater ejus *Veturia* visa est intercedere, con-  
 tinuo agrum Romanum hostilibus armis liberavit. Quip-  
 pe materna manserant, quibus obsequium debebatur be-  
 neficia: *Placuit igitur hujus Utero Romanam* (ducis ip-  
 sius verbis utor) *quansvis merito sibi invasam do-*  
*nare.*

His aliisque quam plurimis ejusmodi exemplis at-  
 que instantiis probari poterit, harum omnium Obliga-  
 tionum principium, atque Originem in Naturali Grati-  
 tudinis sensu recte locari.

**Num. 8. An sine contractus cujuscunque  
vel fidei data intuitu, ex innato de debito  
Gratitudinis instinctu ad Obsequia pa-  
rentibus præstanda teneantur liberi ?**

Obligationem proli ad Obsequia parentibus præstanda turbare potius, quam prorsus tollere videtur *Hobbis*, Officii que istius ab omnibus ubique gentibus peræque agniti Scaturiginem à fide potius, quam innata de Gratitudine lege velle deducere; digniori fortasse magis, quam ad hujusmodi fundanda Officia certiori Principio. Retiſſima sane huc usque videtur Philosophi *Malmesburiensis* conclusio. ‘Donatio virium à parente hoc in filio efficit, ne velit iis viribus contra parentem uti. *De Corpore politico p. 2. c. 4. §. 3.* Confirmatio autem conclusionis ibidem posita à rei veritate alienior. ‘Ideo, inquit, obligatur filius quia præsumi debet, eum qui alimenta cuiquam ministravit, quibus aleretur, fidem accepisse & Obedientiæ promissionem ea propter præstandæ. Respondeo, non constare rationem cur infans præsumatur quippiam cum parentibus pepigisse, cum nondum loqui possit aut intelligere. At, inquiet, nisi defuisset Rationis & Orationis usus hoc procul dubio fecisset. Sed nec intelligo cur, supposito quod ratione & loquela uteretur filius, istis rerum circumstantiis quicquam polliceretur istiusmodi. Si qua enim tum fieret promissio, gratis, sine causa impulsiva, frustra que fieret necesse est. Nisi enim sit gratuita, hac puto fieret conditione, ut proli sic promittenti bene de Educatione provideret parens; sed tutelam hujusmodi sagacem sui que solius ex Principiis *Hobbianis* studiosum natum, tanti (si ratione uteretur) empruram nequeo conjicere. Quia si ratione uteretur, hoc etiam intelligeret, parentem ad educationem procurandam non solum Naturæ suæ legibus esse obligatum, sed à *soyâis* sibi penitus infixis ita fortiter eodem esse impulsum, ut sine magna sua molestia hanc curam non possit seponere. Quo s m, ipsum  
Magistrum,

Magistrum, omnesque *Hobbianos* rogo, inestimabili libertatis suæ pretio emeret intelligens infans, ut parentem jam obligatum & vehementer ad alimenta cæteraque vitæ necessaria sibi suppeditanda inclinatum, ad idem obligaret & impelleret? Non enim hoc esset aliud, quam actum agere. Egregia est *R. Adai*, stultorum increpatio, qui cumulant sibi pollicitis, votis, juramentis, non necessarias Obligaciones. *Nonne sufficit tibi quod illicitum fecit lex, nisi & ipse tibi alia feceris illicita?* Quam citat ex *Gemara Occidentalium* capite nono *Nedarim. Pocockius* in *porta Moysi. pag. 208.* Recte igitur stupidos ducimus & ab usu rationis valde remotos, qui per voluntarias pactiones se fortunæque suas aliis submitunt, aliasque competentem diminuunt gratis libertatem, gratis autem diminuunt, ubi nullum aliud pretium paciscuntur persolvendum, quam quod alias debebatur, debitore etiam ipso ad solutionem debiti natura sua paratissimo. Summa est, pactum hujusmodi vanum esse & inutile, nec à ratione suaderi, quæ semper vetat, ne Obligaciones quovis modo sine necessitate multiplicentur.

Eo tamen (ut videtur) valde delectatur Author *Dædalmate. Leviathan. part. 2. cap. 20. The Right of Dominion by Generation* (ita *Hobbius* originali Anglico) *is, That which his Parent hath over his Children, and is called Paternall. And is not so derived from the Generation as if the Parent had Dominion over his Child because he begat him; but from the Childs consent, either express or by sufficient arguments declared.* In versione latina tenebras nescio quas, ut solet, Heterodoxiæ offundere conatus, 'Paternum jus patris esse ait, non quia filium genuit, sed 'quia consensit filius, vel propter alia argumenta. Ubi anglice dixerat, 'Jus paternum esse quia consensit filius, 'consensu scil. vel expresso vel sufficientibus argumentis 'declarato. Et paulo post, *Every Man is supposed to promise Obedience to him in whose power it is to save & destroy him. cap. eod.* id est, 'Unusquisque cogitatur Obedientiam ei promississe, quem penes est, se servare vel perdere. Universale dixeram Axioma, quod patitur tamen exceptionem. Neque enim coquo meo obedire sum pollicitus, possit licet eduliis toxica immiscere. Hoc igitur



igitur in latina *Leviathanis* versione amputandum etiam procuravit, ex animadvertione aut sua propria aut etiam nostra in prima Hypotheseos nostræ editione correctus. Si queramus unde hæc Zizania? Unde hæc Opiniorum nova quasi *parlaçona*; Sane, si recte conjicio, ex veterum *Epicureorum* dogmatibus hausta & confarcinata sunt. Postquam enim communes Obligationum rationes contempserant *Epicurei*, ne quod valde erat invidiosum, Officia plane vitæ necessaria tollere viderentur, ad Phantasticos hujusmodi contractus solebant confugere. Ita *Torquatum* irridet *Cicero* quod Obligationis in amicitiiis Originem in contractibus ejusmodi fundatam comminiscerentur *Epicurei*. ‘Posuisti dicere alios, inquit, fœdus quoddam inter se facere sapientes, ut quemadmodum sint in se ipsi animati, eodem modo sint erga amicos: (hoc fœdus lic redarguit *Cicero*) facere si potuerunt, faciant etiam illud, ut æquitatem, modestiam, virtutes omnes gratis diligant. Sensus est, cæteros Philosophiæ cultores litem *Epicureis* non moturos, si vel ex contractibus istiusmodi leges omnes naturæ & universa morum honestique phænomena eadem qua cæteri sapientes *quælibet* observarent. Quod tamen ex Principiis *Epicureorum* facere non possunt. ‘Si enim fructibus & emolumentis (sic amplius edisseris) & Utilitatibus amicitias colemus, si nulla caritas erit, quæ faciat amicitiam sua sponte, vi sua, ex se, & propter se expectandam, dubium est quin fundos & insulas amicis anteponamus. Ita fœdera nescioquæ, siue contractus prætendunt *Hobbiani*, ut tollant Naturalem ex Gratitude Obligationem. Deicere, radicibus evellere atque exarare voluerunt terminos ab autore Naturæ bonis moribus præfinitos; neque tamen nos de terminis istiusmodi motis aut avulsis litem iis intendemus, si vel ex imaginariis hisce fictisque contractibus leges omnes naturæ de innocentia, fide, gratitudine, *regis*, cæterisque, quas hac Hypothesi commemoravimus, fideliter observarent. Quod ipsum tamen nunquam efficiant quamdiu propriam suam conservationem aut Utilitatem supremum omnium actionum moralium finem constituent. Adeo facile est gladio *Ciceroniano* in *Epicureos* fabricato novitios hosce nostri temporis Philosophos confedere.

Num.

**Num. 9. De Gratitude species, & quod ex Religione Christiana ad omnes Gratitude species singuli Christiani saltem propter Dei præceptum teneantur?**

Species Gratitude secundum objecta optime distingui posse videntur. Est enim Gratitude ob accepta beneficia merito referenda; Imprimis Deo opt. Max. (ut supra ostendimus) deinde Parentibus, Patriæ, Magistratibus, & cujuscunque generis Præceptoribus (sive in Religione, sive in moribus, aut aliis artibus institutionem ex benevolentia procuraverint) Amicis quibuscunque, Cognatis etiam & agnatis, quatenus sunt amici & benevoli.

Objecta secundaria sunt, quicunque nobis aliorum gratia cari sunt. Ita apud Christianos inimici, & qui in nos hostili sunt animo, diligere debent propter Gratitude Deo debitam, ipso Dilectionem præcipiente. Ita fratres sororesve nobis discordes & protervos, etiam cognatos, ut parentibus cognatisque aliis à nobis bene meritis gratitudinem referamus, procurare, iisque benefacere aliquando videtur æquissimum.

Ex Religione Christiana easdem requiri Gratitude species sacra abunde testatur Oracula. De Gratitude Deo debita supra num. 3. disseruimus. Ingratitude igitur contumaci populo semper exprobrat Dominus. Quæ illa exprobratio apud *Esaiam, cap. 1.* 'Audite cæli & auribus percipe Terra, Dominus locutus est. Filios enutrivit & exaltavit, ipsi autem defecerunt à me. Cognovit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui, *Israel* autem non cognovit & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, &c. *ib.* Cujusmodi etiam exprobrationem videre est apud *Hoseam cap. 11.* & alibi passim.

Sed & homo homini Deus; summus igitur Deus Gratitude

Gratiitudinem inter homines perpetuo exercendam docuit. Parentes honore affici jubet, *Exod. 20. 12.* timeri, *Lev. 19. 13.* Judicium capitale constituit in maledicentes patri suo aut matri, *Exod. 21. 17. Levit. 20. 9.* in contumaces etiam & inobedientes parentibus, *Deuteron. 21. vers. 18, 19, 20, 21.* Lex est, ' si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiverit patris ut matris imperium, & coercitus obedire contempserit, comestrationibus vacaverit & luxuriæ atque conviviis; Lapidibus eum obruet populus Civitatis, & morietur, ut auferatur malum de medio vestri, & universus Israel audiens pertimescat; Veteri autem *Mosaisa Christiana* accedit atque consentanea est, circa debitum Gratiitudinis Institutio. *vid. Matth. 19. 19.* ubi quintum de parentum honore Magister confirmat præceptum: adde *Ephes. 6. 1. Col. 3. 20.* similiter de *Obsequiis Magistratus præstandis.* Quod enim in Veteri Testamento dicitur. *Times Dominum fili, & Regem. Prov. 24. 21.* quod Magistratus & Judices Dei nomine insigniantur, *Exod. 20. 28.* Hæc & clariorem simul expositionem, pleniorisque confirmationem in Novo Testamento sunt adepta. Clare enim dicit Apostolus ad *Rom. 13.* ' Magistratu in omnem Dei esse vicarium, nullam scilicet esse potestatem nisi ex Deo, eumque qui resistit potestati, Ordinationi divinæ se opponere & damnationem sive *xpiæ* sibi accersere. Dei enim Ministrum esse Magistratum ad commune omnium commodum.

Si autem minus hæc ipsi mereantur Obsequia, objecta tamen secundaria propter debitam à nobis Deo Gratiitudinem esse possint, ea scilicet quam descripsimus modo ratione, stylo sancti Spiritus *ἵνα τῷ Θεῷ, 1 Pet. 2. 13.* quemadmodum servis etiam præcipit Apostolus ad *Colossenses 3. vers. 22, 23.* ut saltem propter Dei reverentiam si non alia ratione, Dominis suis fideliter & submisso obtemperarent.

C A P.

## C A P. V I.

## De Sui Amore.

## Num. I. Sui Amoris honestas Paganorum testimoniis comprobata.

**H**onestum esse aliquem inter viros bonos & sapientes Sui amorem nemo ambigit. Inter Pythagoræ præcepta, quæ in *Aureis* vulgò nuncupatis *Carminibus* comprehenduntur, nullum hujusmodi præceptis aliud occurrit frequentius.

— Πρῆπι ἢ τινος ἄσιν μὴ βλάψῃ.

*Ea facito, quæ tibi non noceant.*

Ἄλλὰ τὰ δ' ἄκτιλίων ἄσιν μὴ ματίπῃ ἀνίσῃ  
*Illâ perficito, quæ tibi postea molestias non excitent.*

— Μόδον ἢ λῆρον, τὸ δ' ἔμιν σ' ἀνίσῃ.

*Modum autem voco id, quod tibi dolorem non pariat.*

Μηδὲ μῆτε λόγῳ σὺ παροίπῃ, μηδ' ἐργῳ  
 Πρῆξαι μῆδ' εἰπῶν, ὅτι τοι μὴ βέλτερον ἔστι.

*Nemo tibi vel verbo persuadeat, vel factis*

*Agere, dicereve aliquid quod tibi ipse non sit conductibilis.*

Cicero item *Offic. I.* ‘Principio generi animantium omni hoc à Natura tributum esse asserit, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea quæ nocitura videntur, omniaque quæcunque sunt ad vivendum necessaria, inquirat & parat, ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis : dicitque *lib. de finibus*, ‘Vitz planè

esse eversionem, si quis sibi ipsi inimicus sit; ut appetenda fugiat, fugienda appetat. Et *Aristoteles*, 'Αυτοῖς αὐτοῖ, inquit, μάλιστα βελίμιστα τὰ ἀγαθὰ, ἢ τὸ εἶναι ἢ τὸ εἶ ἔχει. *Ipsi nobismet ipsis maxime volumus bona, ut simus scil. & bene simus.* Magn. mor. 2. c. 11. Et *Eudem* 1. c. 13. Ὅρμῶσι μὲν ἀπαιτοὶ ἐπὶ τ' ἀγαθὰ, ἢ οἰόνται αὐτοῖς εἶναι μάλιστα ἰσχυροῦν. *Omnes quidem feruntur in bona, eaq; sibi adesse aequum esse censent.* Ipsumque hoc tanquam commune hominum dogma notavit (ore divini Vatis) Spiritus sanctus, *Psal. 49. v. 19.* 'Quin, inquit, te homines celebrabunt, quamdiu tibi ipsi benefeceris. Et *Prov. 9. 12.* 'Si sapiens fueris, tibi ipsi eris sapiens. Et *Job 22. 1.* Observat Rex Temanites eum, quisquis egerit prudenter, sibi solere prodesse: Quibus consentaneum est illud *Enni*, 'Nequicquam sapere sapientem, qui sibi ipsi prodesse nequireret.

Verum operæ pretium non est Testimonia aut Rationes huic astruendæ thesi studiosius congerere. Postquam enim finem actionum omnium moralium commodum seu voluptatem propriam sive in tranquillitate mentis, sive in gaudio sitam posuimus supra, an regulatus Sui Amor cum bonis Moribus conveniat, dubitare esset absurdissimum.

## Num. 2. An de Sui Amore Placitum à cæteris naturæ placitis sit distinctum?

Quæri potest annon hoc Naturæ de Sui Amore placitum cum cæteris coincidat, cum ex iis omnibus illud agere monemur, per quod propria promoveretur felicitas & voluptas? Dicimus nos distincta esse; & discrimen clarum peti à diversitate objecti. Omnis enim honesta actio, à cæteris juris principiis regulata, tam alios respicit à nobis, quam ipsos nos. Quæ autem hinc elicitur dirigiturque, ad nos solos refertur. In cæteris, immediate terminatur in alios Actio, non nisi secundo in nos: ex hoc principio sine medio omni nos ipsos, rerumque nostrarum & bonorum augmentum procurare suademur.

Qui

Qui volunt hoc de Sui Amore unicum esse, & sine rivali solitarium naturæ placitum, unicam humano cordi inscriptam legem, in qua cæteræ omnes fundamentum naturæ sint, prorsusque dependeant, & deriventur, sic argumentari solent. Manum ad præscindendam patris gulam, cum clam fieri possit, non admoveo, non ex alio quocunque principio, sed quia interest meâ non admoveere. Quid enim? Puta me hæredem ex intestato fore, adeoque fructuosum fore mihi, si perpetravero, hoc facinus; at quod inde majus mihi insequetur incommodum non vana est suspicio, propter quod facti me postmodum poenitebit. Neque enim Deus Opt. Max. (incorruptus iniqui Vindex Ultrisque) impunè feret ita improbe factum. Speciosa satis hæc, parum subtilis parumque valida contra cæterorum placitorum existentiam viderur argumentatio. Replicatio enim facilis. Quod nisi alia sint à *φιλανθρ*, naturalis conscientiæ placita (veluti de injuria & ingratitude vitandis) nemo ratione utens in animum induxerit, Deum (quatenus peccatorum contra Naturæ leges Vindex) hujusmodi parricidii fore ultotem. Justissimus enim Vindex in non peccantes nullâ vindictâ utitur: ubi non est lex, neque est legis transgressio. Nec quisquam ex natura arguitur peccans, nisi ex Naturæ placitis & sensu naturalis Obligationis cordibus inscriptæ. Ipsum illud parricidium, cujus in specie est mentio, fructuosum per se viderur facinus, quo amplam mihi devolvi hæreditatem est necesse, adeoque ex mei Amore simpliciter non dissuadebitur. Nec ratio est cur divinam revererer vindictam propter factum utile commodumque, si unicum hoc mihi naturaliter incumberet Officium, ut commodum quoquo modo promoverem. Alia igitur necessariò ponenda erant Naturæ placita, aut neque ipsum parricidium naturâ veritum est.

Quomodo vero convenient & distinguantur à Comodi contemplatione alia Morum principia ex propriæ mentis inspectione viro cuique bono facile patebit. Sic enim argumentatur, hac utitur (naturâ duce & magistrâ) Logicâ. Non ausim vi vel clam committere parricidium, quia nolim mihi perpetuas inquietudines atque

anxietates accersere, propter justam divinæ vindictæ suspicionem: verum unde precor hæc suspicio, aut cur mihi mens redderetur implacida ex fide aut suspicione Deum injusti ultorem parricidas punire velle? Conscientia non inde angit quod mihi noceam solummodo, sed quod privati obtentu Commodi alterum lædam, & imprimis parentem. At quomodo tandem suspicio oritur Deum eos puniturum qui alios lædunt, nihil mali merentes? Hac sanè de causa, quod adversentur illi divinæ legi cordibus inscriptæ, ex qua conscius sibi quisque est, *non oportere innocentes ledere*. Ex hujus legis conscientia parricidii ætus suspenditur, quæ tamen lex cum suæ Amore, quamvis distincta sit, aptissimè conspirat. Te ipsum Lector nosce, & facile capies veritatem, principiorumq; & distinctionem & concordiam.

### Num. 3. *Species peccati contra Sui Amorem.*

Quot sunt circumstantiarum diversitates, in quibus cujusque diminui potest felicitas, secundum tot species contra Sui amorem à quoque peccatum poterit committi.

Imprimis autem diminuitur felicitas respectu *mentis*, per Anxietatem, Invidiam, *Ἐπιθυμίαν*, Libidinem, stultum rei alicujus desiderium, quam acquirere, quæve frui nimis arduum est aut periculi plenum, per concitiores quoscunque animi motus & perturbationes, quibus ferè sedata animi quies & tranquillitas plurimum interruptitur. His addi possit Avaritia sordida, tumentq; Ambitio, Conscientiæ ob malefacta Horror, Animique ob neglectam versus Deum Religionem in genere, vel quamcunque ejus partem, ægritudo. Certissimum enim est neminem posse contra summum Numen peccare, quin simul contra mentis suæ quietem & gaudium peccet.

Tollitur secundo aut saltem diminuitur humana etiam felicitas *Corporis* respectu, per voluntariam Continui Dissolutionem, & *Ἀνθυμίαν*, per sui vulnerationem, debilitationemve, vel etiam formæ corruptionem, per Intem-

temperantiam & inordinationem in corporis exercitiis, somno, cibo, potu, Venere. Incontingens enim, (ut inquit Apostolus, 1. Cor. 6. 18.) *in corpus suum peccat.* Ipsæ voluptates, ut inquit Seneca, in tormenta vertuntur, Epulæ cruditate generant, Ebrietas membrorum torporem & tremorem, Libidines manuum, ac pedum, & articularum depravationem, denique mortem. *Sen. in Epist. ad Lucilium.* Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ? Sufficit enim alicui, si hostem suum excæcat: Voluptates autem non solum excæcant voluptuosos, sed & impotentes reddunt, & contractos, & leprosos, & diversis aliis infirmitatibus confringunt. *Sic idem Seneca.* Vitandi igitur non solum excessus ipsi, qui gula, ebrietate, aut libidine admittuntur; sed & omnis huiusmodi excessuum Occasio, societas Astorum, Nepotumque, & hominum nequiter viventium, intempestiva de rebus venereis colloquia, maximè autem Meretricum (& foeminarum luxuriosè viventium conversatio, cujusmodi Sirenas sapiens, ceu Ulysses alter, obturatis auribus celeriter præternavigabit. Est etiam & his contrarium aliud extremum in vicio positum, sed rarius admissum, per debet in corpus Indulgentiæ omissionem, ex fame, siti, vigiliis, sui maceratione, incommodo cœlibatu, utilium Medicinarum defectu, & similibus.

Diminui etiam potest mundana felicitas vel mutilari, externis quæ dicuntur fortunæ bonis non prudenter administratis, veluti per quamcunque rei familiaris abligurationem, luxuriam, prodigalitem, lusus aleatorios, sumptuosarum ædium extruccionem, Fidejussiones, cariorum se vestiendi rationem, quam ad cœli defendendam intemperies, aut honoris sui tutelam, fuerit necessaria. Prodigia enim *eversores* jure civili dicebantur, quo jure & *prodigia bonis interditi* solebat, iisdemque curatores veluti furiosis assignati. Aliud his contrarium est sibi damnosum in tenacitate perversa atque importuna Extremum. *Pecuniam enim in loco negligere maximum inserdum est Luctu.*

Honoris etiam contemptu sibi ipsi quis poterit incommodare, puta per Inhumanitatem, Naturæ placitorum con-



contemptum. Quisquis enim contumeliosus est, perfidus, ingratus, ἀσπυθ, inhumanus, nihil mirum si totius humani generis odium in se converterit.

Omittitur etiam hoc quod in Sui Amore consistit Officium, quoties studiosè non contenditur ut concilietur

1. Menti, quies, serenitas, jucunda voluptatis fruitio, gaudium, Ἀνταρξία, qua fit ut quis presentibus rebus contentus nihil magnoperè ultra sortem suam desideret, bene tamen de futuro speret. Cujusmodi sane vita sine justitiæ naturalis & Divini cultus usu conservari nequit.

2. Omittitur etiam, nisi studiosè contenditur ut concilietur Corpori, sanitas, integritas, atque agilitas membrorum, cum decenti οὐμορφία etiam & forma, quibus acquirendis confirmandisque omnes temperantiæ species erunt necessariæ. Legimus quosdam (sic S. Hieronymus contra Jovin.) articulari morbo laborantes, & humoribus podagræ, ad simplicem mensam redactos & reconvaluisse, quia epularum largitate caruerunt, quæ corpus & animum frangunt.

3. Cum etiam ad plenam & perfectam in hac vita felicitatem uberior rei familiaris copia non parum proficiat, ea etiam à sapiente justis quibuscunque & honestis rationibus procurari debet. Cui rei inservit frugalitas, quæ in expensis non indecorè minuendis consistit, & circa victum, vestitum, eleemosynas versatur. Hinc passim occurrunt proverbia, *Magnam veltigal est parsimonia;* & *Non esse omnes veltigal est.* Huic rei item inservit Ars vivendi, qua ex studio aliquo, peritiâve, lucratur aliquid, quo rei familiaris substantia sumat incrementum; atque hæc priori honoratior censetur ad divitiarum viam.

4. Cumque convictus noster cum hominibus sit, iisque quasi nobilissimis instrumentis uti aliquando in rerum nostrarum procuracione necessariam fuerit, opinioni & bonæ famæ etiam litandum est; quæ non melius aliunde exurgit, quàm ex vitæ honestate, humanâque etiam & liberali rerum, quæ sibi minus sunt necessariæ, in pauperes & indigentes erogacione,

CAP;

## C A P. V I I:

## De Naturali ad Proles curam Obligatione.

Num. I. *Quod Naturâ instigante ad liberorum procreationem proni sunt homines, quodque eâdem approbante Naturâ, & obligatione ad procreatorum curam asserente, promovenda prolis felicitati parentes studere debeant, Jndicia Paganorum eorundem testimoniâ comprobata.*

**J**US hoc de sexûs utriusque humani generis conjunctione procreandi causa, singulari sensu *Jus Naturale* dicunt fere Jureconsulti, quod homini fere etiam cum multis aliis animalibus sit commune. Hinc *aiunt* descendere maris & fœminæ conjunctionem, quam nos, *inquit Justinianus*, Matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio. *Instit. de Just. & Jure. l. 1. §. 3.* Communis, *inquit Cicero*, est omnium animantium conjunctionis appetitus procreandi causâ, & cura quadam eorum quæ procreata sunt. *Et paulo post.* Natura imprimis præcipuum quendam amorem, in eos qui procreati sunt ingenerat. Ob eas causas studet parare ea quæ ad victum cultumque suppeditent; nec sibi soli, sed conjugii, liberis, ceterisque quos caros habet, & tueri debet. Ita *Cicero, Offic. 1.* Sunt Nuptiæ, *inquit Musonius*, secundum naturam, si quicquam aliud, quam enim altam ob causam Opifex hominis primum quidem bipartitè divisit genus nostrum? Deinde pudenda bina ei adjunxit, aliud

mori

mari, aliud fœmipæ; deinde cupiditatem vehementem  
 utrique iniecit conversationis & conjunctionis cum al-  
 tero, & ingens desiderium mutuum utrique alterius  
 concipivit, ut mas fœmnam appeteret, fœmina ma-  
 rent? Nonne igitur fit evidens, quod utrumque se-  
 xum conversari Jungique voluerit, & communi operâ  
 vitam instituere, seque mutuo juvare, & gignere simul  
 & educare liberos, ut genus nostrum perpetuum esset.  
 Ita *Mansonius* scienter, libro, *An Philosophum impediatur  
 Nuptiæ?* ubi imprimis *Pythagora*, *Cræcis*, *Socratis*q;  
 exempla inducit, quibus nuptiæ ad philosophandum im-  
 pedimento non fuerunt. *Cræces*, licet domo, supellecti-  
 le, bonisque omnibus careret, uxorem tamen duxit. Alia  
 ad nuptias contrahendas quæ habet argumenta videri pos-  
 sunt apud *Stobæum*: *serm. 68.* Ipsa Natura (sic *Hiero-  
 cles*) sapientem ab Nuptiis instigat. Non enim gre-  
 gales nos solum, sed etiam *audnasudæ* (id est, ut *bini  
 fœmæ* *viris* *seremur*) fecit. Huic societati unum commu-  
 neque opus (liberorum procreationem dico) & vita  
 stabilis conservationem proposuit. Nobilem, animo-  
 sum, placidum, & civilem juvenem considerare dixit  
*Antipater*, vitam perfectam, domumque consistere ali-  
 ter non posse quam cum uxore & liberis. *v. serm. Anti-  
 patris apud Stobæum de Nupt.* Unde non malè *Spartani*  
 & non ducenti uxorem, & malam ducenti, & serò uxo-  
 rem ducenti, multas graves pœnas statuebant.  
 Sensum autem Obligationis ad promovendam prolis  
 sollicitatem; quatenus à parentibus fieri commodè po-  
 rest, communem Pagani esse, & gentiliam cordibus in-  
 scriptam, fidem facere possint hæc & similia veterum  
 testimonia. "Intelligitur naturâ fieri (ita *Cato* apud *Ci-  
 ceronem de finibus. 3.*) ut liberi à parentibus amentur.  
 Quod primam intelligi debet ex figura membrisque  
 corporum: quæ ipsa declarant procreandi à natura ha-  
 bitam esse rationem. Neque enim hæc inter se congru-  
 ere possint, ut natura & procreari vellet, & diligi pro-  
 creatos non curaret. Atque etiam in bestiis vis Naturæ  
 inspicitur potest, quarum in fœtu & educatione laborem  
 cum cernimus, Naturæ ipsius vocem videmur audire.  
 Quare ut perspicuum est nos à dolore abhorrere, sic ap-  
 pareat

paret à natura ipsa impelli, ut quos genuerimus, amemus. Neque enim boni est (ita *Craſſus* apud *Ciceronem* 2. de *Orat.*) neque liberalis parentis, quem procreavit, & eduxerit, eum non & vestire & ornare. Et in *Oratione pro A. Cluentio*, *Oppianicum* facinus ita insectatur *Cicero*. Ceteri, inquit, propter liberos pecuniæ cupidiores solent esse: Ille propter pecuniam liberos amittere jucundum esse duxit. *Naturalem stimulum* parentes ad liberorum suorum educationem hortari ipso Jure observatum est. *Cod. de rei uxor. act. l. unica. §. 5.*

Scitissimè sanè in *Medea* apud *Euripidem* cecinit Chorus.

— Οἷα τίμων ἔστιν ἐν οἴκῳις  
Γλυκερὸν βλάστημ', ἐσθρῶ μαλίστη  
καταπυρομήμῳ τ' ἀπαντα χεῖνον  
Πρῶτον μὲ ὅπως θρήνησσι πάλως,  
Βιοτὸν δ' ἀπὸθεν λείψασσι τέκνοισ,  
Ἐπὶ δ' ἐν τέτων, οἷτ' ἐπὶ φλαυρίσ,  
Ἢστ' ἐπὶ χευσῶις μοχθῶσι, τοῦ ἐς' ἀδύλον.

*Quibus liberorum est domi  
Dulcis propago, cerno eos sollicitudine  
Fatigari omni tempore.  
Primum quidem ut educant honestè,  
Vultumq̄, alicunde relinquunt liberis.  
Præterea ex istis, sive pro improbis  
Sive pro probis laborent, incertum est.*

Quis & *Medea* ipsa, truculentissima mulierum licet, quæ vel fingi à Poeta poterat, naturalis tamen in prolem affectus indicia non potuit suppressere, hinc obstrepere de proposito liberos interficiendi illæ sui objurgationes & desiderii plena Oratio:

— Ωῦ γλυκίστῃ προσβολῇ,  
Ωῦ μαλθακῶς χεῖρῳ, πνέμαδ' ἠδίστον τέκνον.

*O dulcis ille amplexus,  
O temperatum corpus, & suavium liberorum suavissimum &c.  
Apud Euripidem in Medea. Atque ex hoc fonte est*  
B b b *Mosis*

*Mosis* illa apud Deum in sacris SS. oraculis expostulatio, *Num.* 11. 12. postquam cura omnis & procuratio populi ipsi videbatur imposita. 'Nunquid, *inquit*, ego ut generatrix concepi omnem hunc populum? Nunquid ego quasi pater eum universum genui? quod dicas mihi, porta eum in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum. Ubi Officium genitorum atque expressissima *εὐχὴ*, *Idem* videtur graphice delineari. Atque alibi ex *εὐχῆς* insinuat atque illustrat divinum Dei in suos amorem *Propheta*. 'Nunquid, *inquit*, prolis suæ ex ubere pendentis oblivisci mater poterit? quasi naturalem hunc exuere affectum matri planè esset impossibile. Tandem ex *Apostolo* didicimus eos vel ad *Ethnicorum* mores & probitatem non assurgere, qui familiarum suarum & domesticorum (quorum potissima pars sunt liberi) bono non providens. 1 *Tim.* 5. 8. & 2. ad *Corinthios* 12. 14. 'Oportere parentes filiis thesauros recondere, non iudem filios parentibus.

## Num. 2. *An quintum Naturæ placitum, de naturali ad prolis curam Obligatione, a cæteris distinguatur?*

Primum Naturæ Placitum. (de innocentia ad innocentes extendenda) de procurandis liberis, educandisque eousque saltem cavit, ne postquam parentum ope in rerum natura esse cœperunt, in eo destituantur statu, cui ipsum non esse vulgo judicatur præferendum. Qui enim pronatos à se liberos in hujusmodi calamitates exponunt vel delinquunt, noxam iis inferre rectè censentur.

Cum verò perspectum sit eam ferè esse parentum mentem, ut prolem suam mediocriter divitem, aliàsve felicem, locupletiozem adhuc beatiorémque reddere usque conentur; eiq̄ rei magis intendere quàm vulgari liberalitati, aut consanguineorum curæ, adeo ut natis omnem accumulare felicitatem velle videantur, & procurare, ne ullius acquisitionis indigeant, qua non indigere præstiterit. Neque possit hæc *εὐχὴ* eâ quæ in hominum

men-

mentibus residet Amplitudine, Innocentiâ, Fide, Grati-  
tudine, Philautiâ, Consanguineorum amore, vel Hum-  
nitate fundari ; restat itaque oportere nos distinctum  
hoc Naturæ Placitum æstimare.

Unde aliàs constantissima hæc in moribus hominum  
eorundemque studiis Phænomena ? Unde tanta in corra-  
dendis liberorum causâ pecuniis, accumulandisque con-  
tentio ? Unde fit ut filio nulla vel maxima hæreditas pu-  
retur nimia, nec filix dos ? Certè & Christiani, qui li-  
beros suos sortem in cælo habituros piè credunt, non  
quod fides Christiana, sed quod ipsa iusserit Natura,  
summopere cavere videntur, ne qua iisdem bonorum,  
quæ fortunæ dicuntur, desit abundantia. Non igitur,  
ut quidam opinantur, de damno liberis inferendo timor  
tam profusæ caritatis aut perplexæ sollicitudinis Officia  
potuit exerere, Verum ipsa quæ cavit imprimis Natura,  
ne ad prolis existentiam omnino necessarius deesset Ve-  
neris appetitus, ulteriorem etiã sobolis amorem infe-  
rendo, *ipsa* porro esse consuluit. Eos enim cordi humano  
firmiter intexuit affectus, quibus extimularetur uterque  
generans ad procurandam partæ jam proli perfectissimam,  
quæ potest esse, beatitudinem, ne nata etiã pessum  
iret. Nec sanè debebit hoc Placitum cum *φιλανθία* coa-  
lescere. Species enim ex Objectis distinximus, nec sine  
ratione. Innocentia omnes innocentes respicit negativè,  
præcipiendo ne eos lædamus : Fides omnes respicit, quo-  
rum gratia quicquam est pactum : Gratitude amicos &  
benevolos. Philautia ipsum se, distinguendo à cæteris :  
*Storge* prima prolem, secunda consanguineos ; Humanitas  
omnes. Virtus unaquæque harum Objectum suum affir-  
mativè respicit. Suam certè promover, qui liberis suis  
cavet, felicitatem, sed non suam solum : & ita etiã  
fit per Innocentiam & Gritudinem, & cæteras  
omnes Virtutum species, in quibus omnibus qui secun-  
dum virtutem operatur, voluptatem saltem ex bene &  
sapienter factorum memoria indipiscitur.

**Num 3. Limitatio Legis Naturæ de pro-  
lis cura: Nullam scil. constare Obli-  
gationem ad conferenda in eos beneficia,  
qui erga parentes ingrati & contuma-  
ces, vel alias absque parentum culpa,  
moribus profligati evaserunt.**

Jura Naturæ nullo modo dirimi posse asserit *Pompo-  
ninus. ff. de reg. Juris. l. 8.* Jura naturalia divinâ quâdam  
providentiâ constituta, semper firma atque immutabilia  
permanere scripsit Imperator, *Instit. de jure naturali. §. 11.*  
Ejus juris esse, ut Liberi à Parentibus educarentur, idem  
paulò superius affirmat. Eternum igitur est, & sem-  
per; non tamen universaliter sine exceptione obtinet,  
ut optimè exponit *Carolus Molinæus.* ‘Recta, inquit, ratio  
‘dicat plenos liberos, jus naturæ obligat: ac contrâ,  
‘datâ justâ causâ denegandi, nec recta ratio, nec jus na-  
‘turæ obligat. *In additionibus ad Decium, in regulam  
Juris octavam.* Hinc constitutio illa Imperatoris, *Novel.  
115. & cap. 3. §. 1.* ‘Sancimus non licere Patri vel  
‘Matri filios præterire, aut ex hæredes in suo facere te-  
‘stamento, nec si per quamlibet donationem, vel Le-  
‘gatum, vel fidei-commissum, vel alium quemcunque  
‘modum, eis dederit legibus debitam portionem, nisi  
‘forsan probabuntur ingrati. Ingratitudo ergo in libe-  
ris justam læso patri causam omnia denegandi facit, quæ  
ab eo ut legitimo patre expectari possint: imò & liber-  
tatem adimit, ut habet lex in *singulari titulo: cod. de in-  
gratis liberis.* ‘Filios & filias, cæterosque liberos contu-  
‘maces, qui parentes vel acerbitate convitii, vel cujus-  
‘cunque atrocis injuriæ dolore pulsâssent, leges eman-  
‘cipatione rescissâ damno libertatis immeritè multatari  
voluerunt. Ita ut secundùm antiquiora Jura (ut notat  
*Gothofred. in titulo, de ingratiss liberis*) ob tale delictum,  
vitæ liberorum necisque potestas concedatur parentibus.  
Causas vero propter quas ex hæredari possint liberi, & in-  
gratitudinis argui, invenit Imperator, diversis legibus

dis-

dispensas, nec aperte, ut rescripsit ipse, declaratas: Novellam igitur constitutionem ea de re edidit, quâ unâ omnes exheredationis liberorum causas seriatim fecit; idque pereleganter comprehendit. Extant autem hujusmodi. *Novell. 115. c. 3. 1. §.* ‘ Si quis parentibus suis manus intulerit. 2. §. Si gravem & inhonestam injuriam eis ingesserit. 3. §. Si eos in criminalibus causis accusaverit, quæ non sunt adversus Principem, sive rem publicam. 4. §. si cum maleficis hominibus ut maleficus versatur. 5. §. Vel viâ Parentum suorum per venenum, aut alio modo insidiari tentaverit. 6. §. Si Novercæ suæ, aut concubinæ patris filius sese immiscuerit. 7. §. Si delator contra parentes filius extiterit, & per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere. 8. §. Si quemlibet de prædictis parentibus inclusum esse contigerit, & liberi qui possunt ab intestato ad ejus successionem venire, petiti ab eo, vel unus ex his, in sua eum noluerit fide-jussione suscipere, vel pro persona, vel pro debito, in quantum esse qui petitur probatur idoneus. 9. §. Si convictus fuerit aliquis liberorum ex eo, quia prohibuerit parentes suos condere testamentum, ut siquidem postea facere potuerit testamentum; sit eis pro tali causa filium exheredandi licentia: si autem in ipsa prohibitione sine testamento aliquis ex parentibus decesserit, & alii, sive qui ab intestato ad hæreditatem defuncti, aut cum ipso filio, qui testamentum fieri prohibuit, aut post illum vocantur, sive illi quos hæredes aut legatarios habere volebat; vel qui læsionem aliquam ex prohibitione testamenti sustinuerunt, hoc ipsum approbaverint: secundum alias leges super hoc positas talia negotia terminentur. 10. §. Si præter voluntatem parentum inter arenas vel mimos sese filius sociaverit, & in hac professione permanserit; nisi forsitan parentes ejusdem professionis fuerint. 11. §. Si alicui ex prædictis parentibus volenti suæ filia vel nepti maritum dare, & dotem secundum vires substantiæ suæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit. Si verò usque ad viginti quinque annorum ætatem pervenerit filia, & parentes distulerint eam marito copulare, & forsitan ex



hoc contigerit in suum corpus eam peccare, aut sine  
 consensu parentum marito se, libero tamen conjungere,  
 hoc ad ingratitude[m] filiz nolimus imputari, quia  
 non sua culpa sed parentum id commississe cognoscitur.  
 12. §. Si quis de prædictis parentibus furiosus fuerit;  
 & ejus liberi, vel quidam ex his, aut liberis ei non ex-  
 stentibus, alii ejus cognati, qui ab intestato ad ejus hæ-  
 reditatem invocantur, obsequium ei & curam compe-  
 tentem non præbuerint: siquidem à tali sanatus fuerit  
 infirmitate, erit ei potestas utrum velit negligentem  
 filium, vel filios aut cognatos, ingratum vel ingratos  
 in suo scribere testamento. Si autem aliquo furoris  
 morbo eum detentum extraneus aliquis viderit à suis  
 neglectum liberis vel cognatis, aut aliis ab eo scriptis  
 hæredibus, & pro misericordia voluerit eum procu-  
 rare, damus ei licentiam attestationem iis qui ab inte-  
 stato, vel ex testamento jam facto ad furiosi hæreditatem  
 vocantur scriptis dirigere, ut eum procurare festinent.  
 Si autem post hujusmodi attestationem neglexerint, &  
 extraneus in suam domum furiosum susceptum sumpti-  
 bus propriis usque ad finem vitæ ipsius procurasse mon-  
 stratus fuerit: eum qui obsequium ac diligentiam furo-  
 rioso exhibuit, licet extraneus sit, ad ejus successionem  
 pervenire decernimus, evacuatâ institutione eorum, ut-  
 pote indignorum, qui furioso, sicut diximus, curam præ-  
 bere neglexerint: ita tamen ut cætera testamenti capi-  
 tula in sua firmitate maneat. 13. §. Si unum de præ-  
 dictis parentibus in captivitate detineri contigerit, &  
 ejus liberi, sive omnes, sive unus, non festinaverint e-  
 um redimere. Addit his Imperator Christianus aliam  
 ex religione neglecta causam. 14. §. Si quis de paren-  
 tibus orthodoxus constitutus senserit suum filium vel  
 liberos non esse catholicæ fidei, nec in sacro-sancta Eo-  
 clesia communicare, in qua omnes beatissimi Patriarchæ  
 una conspiratione & concordia fidem rectissimam præ-  
 dicant, & sanctis quatuor Synodos, *Nicanam, Con-  
 stantinopolitanam, Ephesinam Primam, & Chalcedonen-  
 sem* amplecti seu recitare noscuntur: licentiam habeant  
 pro hac maxime causa ingratos eos, & exheredes in suo  
 scribere testamento.

Num.

**Num. 4. De regulatione naturalis hujusmodi cupiditatis sive affectus Philosophorum monita. Necnon de speciebus peccatorum, quibus contra naturalem in liberos τρυφή, sive bonum proles, peccari solet. Quatenus parentes bona animi, corporis, & fortuna, & speciatim apta conjugia liberis suis ex hoc placito procurare debent. De patria item potestate, & peccatis contra naturam.**

De recta hujusmodi cupiditatum affectuumque moderatione, egregius est Platonis de Legibus locus, lib. 6. ad finem. Ὅρα, inquit, πάντα τοῖς ἀνθρώποις ἐκ περὶ τῆς χρείας καὶ ἐπιθυμίας ἠρητιμίας. Δι' αὐτὴν ἀρετὴν αὐτοῖς ἀγαθῶν ὄρθως, καὶ τὴν ἀπίον ἀποβαίνει κακῶς ἐχθροῖσι, ταῦτα δὲ ἔστιν ἐδωδὴ καὶ πόσις: τρίτη δὲ ἡμῶν καὶ μέγιστη χρεία καὶ ἴσως ἐξέταται, ὕψαι δὲ ὀρμηταὶ διαπυρωτάτες δὲ τῶν ἀνθρώπων ματαῖαι ἀπεργάζονται πάντως ὁ πλεῖστος δὲ τῶν ἄλλων ἀπορῶν ἔσθαι πλεῖστον καὶ ὄρθως. ἃ δὲ δὴ τρία νοσήματα τρίποδος οἷς τὸ βίλησον, παρὰ τὸ λαβόμενον ἄδισον, τρισὶ μὲν τοῖς μέγιστοις ποιῶν κατὰ χεῖρα, φέβω, καὶ ἔμφω, καὶ ἀληθῶς ἄδω, προσχωμένους μὲν τοῖς μέγιστοις καὶ ἀγνοῖσι διότις οὐκ ἐπινοῦνται δὲ αὐξήματα καὶ ἐπιρροῦν. Video omnia ex triplici necessitate & cupiditate pendere: quarum impetus, si recte ducantur, Virtus; sin contra male, contrarium, id est, Vitium innascitur. Hæc autem sunt cibus & potus: Tertia verò Indigentia (sem necessitas) & vehementissima cupiditas ultimò impellitur, sed ardentissimis vecordie & petulantie facibus perurit, atq; exagitat appetitus ille qui est circa generis propagationem. Quos quidem morbos ad id quod optimum est, præter illud quod jucundissimum dicitur, convergentes, tribus maximis coercere conari oportet vinculis, Metu, & Lege, & recta Ratione, in subsidium vocantes Musas, Deosq; lucifernum & cer-

*certaminum praesides.* Summa hic totius Ethicæ capita, excepta saltem vivendi regulâ, à nobilissimo hic Philosopho attingi quis rectè dixerit. Alia enim in deliberationem incidunt, quæ simul à ratione probantur, & à cupiditate suadentur. Quædam etiam sunt, ad quas sola ratione, nullo item cupidinis impetu ferimur. Posterioris generis ex nostra Hypothesi sunt Innocentiæ, Gratiitudinis, Fidelitatis, Liberalitatis; prioris verò φιλαυτίας, conjunctionum matrimonialium, & κορυφῆς in prolem, quas elicimus, actiones. Ad has enim inclinatione quadam naturalis desiderii ferimur, aut fortè etiam rapimur violentius, ita tamen ut nihilo secius à recta ratione probentur, honestæque censeantur. Illæ contra quas sola suadet ratio, semper pulchræ, & viro, qui erubescere nolit, dignæ. Ipsa etiam affectuum reatrix Ratio definit ordinem & circumstantias, quousque sequi nos oporteat Voluptatis illecebras, atque etiam quando illæ sunt relinquendæ, ut purum purum quod honestum est prosequamur. Quam vim legum pœnarumque per magistratus infligendarum habeat timor, ad coercendos contumaces quorundam affectus, eosque rationi subjungendos nemo est qui nescit. Rectè igitur Cicero duodecim tabulâs (quatenus populares illæ pœnarum censuris inuniebantur leges) omni prorsus Græcorum philosophiæ apertè prætulit. Planè verò divinum est, & principè Philosophorum *Platonis* dignum, quod in subjugandis affectibus, sine summi Numinis auxilio, parum profici subindiget; contra quos cum dimicandum sit, non ἀπλῶς Deos in auxilium vocari voluit, sed ἀγῶνις θεός, (divinum scil. Spiritum quendam, qui contra carnem fortiter luctetur.) Cum denique recta consideratione cogitationibusque ad normam rationis compositis non minimum adquiratur ad bene vivendum momentum, Musas etiam invocari voluit; quarum specialis in excolendis hominum mentibus cura, & rectarum procurandi animadversionum opus, & singulare putabatur in genus humanum beneficium.

Egregium etiam est, & quod specialius hoc argumentum tangit, monitum illud ex *Pythagora* doctrina, quod plene recenset *Jamblicus*, cap. 13. lib. de *Pythagora* vita.

Πιστῆς

Πρώτη δὲ ἐκ τούτων ἐπιβόλαι. κλ. 'Primam maximamque  
 hanc esse providentiam, ut ad liberorum procreationem  
 accedat is qui salubriter vixerit, ac etiamnum vivat;  
 quique nec ciborum saturitate intempestive utatur, nec  
 tales assumat cibos, à quibus deteriores efficiantur  
 corporis habitudines, minimè vero omnium qui inebri-  
 etur. Arbitrabantur enim ex prava, dissonaque, ac  
 turbulenta corporis temperatione vitiosum emergere  
 semen. In summa autem, omnino socordis cuiuspiam  
 & inconsiderati esse censebant, si quis cum se liberos  
 procreaturus, iisque ottum & existentiam daturus, omni  
 non provideat diligentia, quo eorum qui nascuntur  
 quam gratiosissimè in rerum naturam & hanc vitam fu-  
 turus sit ingressus. Nempe quidem qui canes amant,  
 cum omni studio & diligentia curam habent accuratam  
 generationis ac nutritionis catulorum; ut ex quibus  
 oporteat, & quum oportebit, & ex illis qui hoc illove  
 modo affecti sint, catuli mansueti mitisque nascantur.  
 Eodem modo faciunt & illi qui avium sunt studiosi.  
 Et perspicuum est reliquos mortales, qui unquam stu-  
 dium posuerunt, ut animalia generosa sibi compararent,  
 in hoc esse totos adeoque omnes nervos intendere, ne  
 illa sibi frustra, ne incassum nascantur; homines verò  
 (quod valde conqueritur) nullam habere eorum qui  
 ex se nascantur rationem, sed unà profeminare temerè  
 & fortuito, & quocunque modo improvidè hanc rem  
 agere, deindeque natos fortis educere, & quam negli-  
 gentissimè instituere. Hæc autem (inquit) manifestis-  
 sima causa est, cur plerique homines tam mali & pravi  
 sint, quippe belluarum ritu & vulgari quodam modo,  
 plerique mortalium liberis operam dare consueverunt.

Species autem peccatorum contra φιλότητάς ex cog-  
 nitione admittendorum contra Sui Amorem (quorum ca-  
 talogum supra suo capite posuimus) magna ex parte elu-  
 cescunt. Quot enim modi sunt, quibus quis contra pro-  
 prium sui ipsius commodum leges Naturæ transgredi  
 possit, tot saltem (si non & pluribus) contra prolem pec-  
 cari potest. Si quis enim ita ἀσέβητος sit, ut non adhi-  
 beat diligentiam quæ superius memotata à liberis suis  
 amoveantur mala atque incommoda, quæ mentem, corpus,

famam, vel res eorum externas possint infringere vel laedere quovismodo, in placitum hoc Naturæ peccare videntur.

Neque solùm amoveri studiosè debent, quæ noxam proli poterunt inferre, sed & bona, quantum fieri potest, procurari contraria. Imprimis ut *mentis* semper adsit quies, serenitas, jucunda severæ sanæque voluptatis fructio, gaudium, *εὐταρκεία*, quæ sit ut presentibus quis contentus nihil magnopere ultra sortem suam desideret, bene tamen de futuro speret. Proinde ut pietas, religio, honestas, cordi eis sint, institui debent liberi. Quippe absque iis viventem anxietas animi certissimè aliquando consequetur, qua nihil voluptati vel felicitati magis est contrarium.

Annitendum secundò est, ut *corpori* concilietur sanitas, membris integritas cum agilitate conjuncta, decenti insuper forma, & totius compositi non inornatâ structurâ. Quibus adquirendis confirmandisque omnes temperantiæ species tam in parente (ut supra ex *Pythagora* ostendimus) quàm in prole erunt necessaria.

Cum autem ad uberiores felicitatis proventus rei familiaris copia non parum faciat; si commodè (sine nimia rerum ad se pertinentium coarctatione) fieri poterit, proli de propriis bonis, quantum ad vitam tuendam sufficit, communicari debet; idque quamvis jam liberi majorenes sint. Imprimis autem & potissimum tenentur parentes liberis alimenta, medicamenta, aliæque necessaria vitæ præsidia iis subministrare, donec adhuc aut defectu ætatis & judicii, aut infirmitatis & morbi, ad seipsum sustentandos non sunt idonei. Deinde frugalitas etiam artesque vitæ edocendæ sunt: eoque studiosius huic rei incumbendum est, quo minus ratione dotis aut hereditatis liberi sint percepturi, juxta vetus illud *Catois* disticon:

*Si tibi sint nati, nec opes; tunc artibus illos  
Instrue, quo possint inopem descendere vitam.*

Lex erat XII *Tabularum*, cap. 25. 'Filius arte carens patris incuria, eidem vitæ necessaria præsidia ne præstato.

Deinde

Deinde quo honoratiores & cum meliori fama vivant, (qua nihil ad vitam feliciter transigendam ferme est utilius aut fructuosius) curandum videtur, ut moribus honestis, decorâque vitæ ratione ad justitiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, liberalitatem, cæterasque omnes virtutes exercendas fideliter instituantur.

Cumque ad mentis gaudia & quietem, corporis sanitatem, rei familiaris copiam, acque etiam ad existimationem publicam maximum habeant momentum conjugia, summo consilio & deliberatione uti debet parens, ut, si ad conjugalem vitam propendeant, felici copulentur liberi conjugio; semper cavendo ut in eorum quietem & commodum cedat, quicquid hac in re fecerit. Nulla enim est secundum naturam parentum potestas, nisi *εὐπρεπὲς* congrua. Quodque de Romano Papa *Lincolniensis* noster *Robertus Grossthead* aliquando rescripsit, 'Habere scilicet eum potestatem ad ædificationem, non ad destructionem; idem de parentibus generaliter dici debere existimo. Inconsultis igitur filiis, aut iisdem non approbantibus sponsalia vel matrimonia fieri non oportet. Unusquisque enim in deliberatione de re sibi conducibili fidissimus est, & semper necessarius consiliarius. Ex quadam enim temperamentorum *ἰδιουγενεσίᾳ* diversis sæpe diversa sapiunt. Multo minus penes parentes est vitam & necem pro arbitrio dispensare, alteram inferre liberis, alteram tollere. Si quando fortè judicia de delictis privati coercendis & vindicandis parentibus in liberos sint commissa, illud liberorum favore imprimis introductum autumo, ex singulari istarum gentium jure. Quis enim patrem putet iniquum fore posse aut truculentum in suum filium Judicem Vindicemve? Ubi autem hujusmodi legibus abusus est, tolli consueverunt, ut *Romulis* illa lex, qua vitæ & necis potestas in liberos parentibus erat commissa. Latæ sane sunt inter diversas gentes leges variz; nonnulla etiam in usum venerunt dura & incommoda, quæ tamen legum solent effugere censuram. Nemo non damnat modo inhumanam illam legem, qua usu receptum erat, ut obæcati parentes liberos in servitutem venderent, ut *αὖ* conflarent quo debita solverentur: postquam autem hæc jam sublata lex est, & damnatus mos, alius

alius tamen nihil melior inolevit, quo parentes quidam, neque prohibente lege, turpis lucri gratia, & ut corradant pecuniam, qua vel solvant debita, vel avaritiz suaz alias licent, prolem adhuc solent & pupillos in matrimonium elocare, omni captivitate deteriora. Quisquis enim in captivitatem venditur, saltem redimi potest: si quis contra in matrimonium turpe, aut alias incommodum elocatur, ex contracta huiusmodi servitute nulla ratione redimi potest, sed indissolubili tenetur matrimonii Christiani nodo. Potestatem autem suam rectissime is exercet parens, qui instruendo ad ea quae Animi, Corporis, & fortunae bonis, atque illis unice procurandis conducunt, auctoritate sua strenue utitur.

Quomodo autem ex Adulterio, Polygamia, Concubinato, Fornicatione, Stupro, Raptu, peccatisque contra naturam in prolem peccari solet, relectionibus nostris de *vario Lucentianis speciebus* copiosius disserimus,

C A P,

## C A P. VIII.

## De Naturali ad benefaciendum Consanguineis affectu.

Num. 1. De honestate naturalis erga Consanguineos affectus, actionumque ex eodem affectu prodeuntium Ethnicorum Judicia, eorundem testimoniis comprobata.

**A**liud etiam est Naturæ Placitum de benefaciendo propinquis præ communi hominum multitudine, quibus nihilo secius communia Humanitatis (ut proximo loco dicemus) præstari debent Officia. Hujus sanè Placiti præclara extant in Paganorum scriptis Testimonia. Quale imprimis est illud *Menelai* apud *Æwipidæ* in *Oreste*.

— Καὶ χεῖρ δὲ τοῦ ἡμαυβρον καὶ  
 Σωκρομύζων, δυνάμην ἢν δίδω δαδὲ  
 Θνήσκοντα, εἰ κτείνοντα καὶ ἑαυτῆς.

*Etenim oportet sic consanguineorum mala  
 Unà ferre; facultatem si dederit Deus,  
 Mortelem & interficientem Adoptarios.*

*Phocillidæ* item illud Poem. Νύκτα. ad *finem*.

Εὐφρασεῖν φίλοισιν εἰρήνην, δόξην δ' ἡμέρας;

■ Cognatis amicitiam præbe, justamq; concordiam.

Post Gracitudinis præstitum Officium, Genus naturæ  
 saliter respici testatur *Cyrtius*, lib. de *Jure Bell.*



cap. 7. §. 10. Verba sunt: 'In bonis noviter acquiritis (quæ *μείοντα τῷ κλήρῳ* Platoni) cum cesset Grætz referendæ Officium; superest ut ei deferatur successio, qui defuncto carissimus fuisse creditur. Is autem est qui gradu cognitionis proximè defunctum attingit. *Issaus* apud Græcos sic receptum ait, *πῆς ἰγγοῦτοσ γένεσ τῷ τῷ τελευτήσαντι γινεσίδου*, defuncti bona ei cedere qui genere proximus sit. Addit, *τί ἀνδρικαιότερον, πῆς Συγγενεσ τῷ τῷ Συγγένεσ*; Quid enim iustius, quàm ut que cognati fuerant cognatis cedant? Idem sensus apud *Aristotelem*, lib. ad *Alexandrum*. cap. 11. Optimè, inquit *Cicero*, societas hominum conjunctioque servabitur, si ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferatur. Qui & alibi post liberos ponit bene convenientes propinquos. Ut & *Tacitus*, Liberos cuique ac propinquos suos, naturâ carissimos esse voluit. Idem *Cicero* alibi de cognatis agens; 'Necessaria vitæ præsidia iis debentur maximè. Et alibi, cum de affectione erga propinquos egisset: 'Ex hac animorum affectione, *subdit*, testamenta commendationesque morientium natæ sunt. Idem, 'Copias nostras proximis quàm alienis & suppeditari & relinqui æquius esse ait. *Ambrosius* quoque de *Off.* 1. c. 30. 'Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias. Successio autem ex intestato, (quæ ad hæreditatem generis proximi admittuntur) est nihil aliud quàm tacitum testamentum ex voluntatis conjectura. Quin & propinquorum non misereri crudelitatis nota est, apud Regem *Solomonem*. *Prov.* 11. 17.

## Núm. 2. De limitatione Officii in Consanguineos.

Si bona parentum, si diligentia & curâ rebus liberorum providendis & tuendis non debeantur, ubi se nefarios ingratosque ostenderunt liberi; multo minus Officia ex naturali *εὐσυν* communiter promanantia in eos videntur necessariò extendenda, qui & sanguine remotiores sunt, & moribus improbis maculam sanguini imprimere, & quæ-

quæcunque conquirunt bona, male prodigere proclives sunt comperti. Ingratitudo enim in hoc etiam capite, præcipuus videtur affectui naturali & profluentibus exinde officiis obex. Et proinde ingratis & affectu mutuz caritatis destitutis consanguineis Jus Civile in successione ab intestato extraneos prætulit. *v. Novel. lam. 115. c. 3. §. 12.*

**Num. 3. De ea quæ propinquis intercedit naturali Amicitia, An suo stet principio, an ab alio oriunda sit?**

Cùm variis ex causis in morales quoscunque moveamur actus, quæ verior, quæ potior sit causa, aut saltem quot veræ, si modo plures sint, non ita facile decernitur. Ad hoc enim acerrimo opus est judicio, ut quis rectum ei principium assignet, quod probabiliter possit à pluribus produci. Sæpius contingit ex facili familiaritate inter cognatos, affines & plurium propinquos ordinum nasci amicitiam. Amicitia (ut supra est expositum) ad beneficentiam obstringit. Cum etiam parentes ex eorum sint numero, quibus lege gratitudinis præcipue devincimur, secundario evenire potest (quod prius etiam annotatum est) ne propter debitum parentibus respectum, Officiis erga cæteram cognatorum turbam destituamur. Quid enim? Ingratus merito censetur filius, qui aliud à parente velle vel nolle se sustinuit. Vult semper parens in omnem prolem suam, adeoque in filii sui fratres, quæ proles sua erat, summam quæ comparari potest beatitudinem, (hoc enim naturaliter ex φιλοτατιῆς descendit,) & proinde filium non ingratum idem cum parente velle convenit. Neque sane via quacunque compendiosiori possit quis Gratiudinem parenti debitam ostendere, quàm fratres suos (descendentes scil. à patre suo filios) amando, & si qua ope indigeant, procurando. Cumque non in filios solummodo, verum & in prolem ulterius à filiis descendentem ex naturali affectu aliquid à patre debeat; fratrum suorum prolem, etiam respectu ad paternum parentis affectum habito,

actus

natus diligit. Insuper ad superius in arbore cognationum pont solitos, non minus secundario ex debito ad parentes respectu, obligamur. His enim pater jure Gracitudo obstringitur; unusquisque nostrum eodem jure patri. Pater Avò prospèra omnia & felicia jure vale procurata, Filius is rectè studeat procurandis, quæ fieri Pater voluit, & proinde Avi felicitati ex lege Naturæ insudare Nepotem rationi maxime videtur consentaneum.

Ejusmodi autem videntur Rationes, ut integram actionum moralium sub hoc capite productionem ad eas referre nequeam: Quoties enim sine pensatione ad parentes respectu, aut consultâ intercedente amicitia, propinquos jure auxilii indigos, naturaliter honestum censeo, si quid aliud, hujusmodi auxilium. Denegare autem hujusmodi auxilium, aut morâ protrahere & retardare Officiam; cum sine damno aut molestia penes nos sit opem ferre, turpe esse, & homine indignum, impio, immisericordi, & affectu naturali destitudo, dignum ferme judicamus. Intuitus igitur Amicitia aut Gracitudinis parentibus debita, adæquata affectuum naturalium in consanguineos causa esse nequit.

Quæro autem te, quisquis es, cui fecas cogitasse contigit, perpènde parum. Quid enim si tibi sint cognati, à quibus nec beneficiis, nec caritate sis demeritus, parentesque etiam eo sint amittis, ut ostendant, sibi non curare esse ut à te propinquis benefiat, certè his in casibus nulla Gracitudinis obstringit lex. Nam neque parentibus ultra id, quod ipsi volunt, teneris; nec cognati per se merentur quicquam. Fortè neque ipsi parentes quicquam sicut meriti. Fratres expositi à parentibus se mutuo amant, natura instigante: neque tamen propter Officiam parentibus debitam, quod in hoc casu revera nullum est. Obligatio igitur, qua consanguineos in beneficiis conferendis cæteris præferimus, ex singulari placito, suo fiet fundamta, rationi videtur maxime consentaneum. Nec dubium erit esse quidem aliquam hujusmodi Obligationem, nisi propinquos, de quibus est mentio, in beneficiis elocatione ignotis & obvencibus non præferre duxeris honestum. Quod enim inter honestis

muniter est positum, (quale est in locandis liberalitatis Officiis sanguine propinquiores ignotis anteferre,) nec ad aliud perfectè reduci poterit; distinctum de eo Naturæ esse placitum, nemo veram sapiens Ethicam iverit inficias.

#### **Num. 4. De speciebus peccatorum contra debitam consanguineis *suppl.***

Secundum quot species sibi ipsi quis aut proli suæ poterit benefacere, secundum tot etiam consanguineis idem præitari potest: ut proinde supervacaneum sit specialem huic placito peccatorum seriem apponere. Quot sanè rationibus tam interna quam externa adaugentur Bona, tot cuilibet benefaciendi proponuntur ansz sibi ipsi, vel soboli, vel consanguineis; totque itidem serè modis omitti possit erga consanguineos affinesque, quot erga seipsum aut prolem amittitur benefaciendi Occasio & Opportunitas.

---

D d d

CAP.

## C A P. I X.

## De Naturali ad Humanitatis Officia Obligatione.

Num. I. *Quod inhonestum sit sanguine disjunctis obvenientibus, ignotū, vel quibuscunq; hominibus non nefariis ea denegare, quæ accipienti utilia sunt futura, danti vero damnum vel molestiam non inferant, Paganorum iudicia, eorundem testimoniis comprobata. Quibus obiter annexa sunt quædam Heroicæ Virtutis Exempla, quæ ultra communem justitiæ vulgaris normam sunt expressa, ubi & quædam Veterum Quæstiones discussæ.*

**A**ltera adhuc est, quæ & agmen claudit, ad humanitatis excolenda Officia Naturalis Obligatio. Apud omnes enim in confesso est, inhonestum esse, hominibus etiam ignotis, sanguine disjunctis ultro obvenientibus, vel quibuscunque, modo non sint compertæ vel suspectæ malitiæ, qui rationalem nobiscum participant naturam, ea denegare Humanitatis Officia, quæ accipienti utilia sunt futura, danti vero neque damnum inferunt, neque molestiam: 'Omnia, inquit Cicero, communia hominum videntur ea quæ sunt generis ejusdem. Quod ab Ennio positum in una se, transferri per multas potest.

He

*Ut homo qui erranti comiter monstrat viam,  
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,  
Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.*

Una enim ex re satis percipitur, ut quicquid sine detrimento possit accommodari, id tribuatur cuique vel ignoto. Ex quo sunt illa communia: Non prohibere aquam profluentem; pati ab igne ignem capere, si quis velit; consilium fidele deliberanti dare, quæ sunt illis utilia qui accipiunt, danti non molesta: Quare & his utendum est, & semper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sed quoniam copiarum parvæ singulorum sunt, eorum vero qui his egeant infinita est multitudo, vulgaris liberalitas referenda est ad illum *Enni* finem, *Nihilominus ipsi luceat*: ut facultas sit qua in nostros simus liberales. Ita *Cicero de Off.* 1. Et eodem libro. Quid nunc, quando sine detrimento suo potest, alteri communicet in iis quæ accipienti sunt utilia, danti non molesta? Concludit igitur *Grotius de Jure belli, lib. 2. cap. 2. num. 11.* In res proprias per occupationem primitus factas jus commune hominibus competit eis utendi ad utilitatem, & cum ex usu nihil aliis decedat. *Æquitatis testes* introducit *Ciceronem*, loco ultimo citato; *Senecam*, qui beneficium negat dici posse ignis accendendi potestatem; *Plutarchum*, cujus hæc sunt verba, *Symprosiacion VII.* οὔτε γὰρ προσὼ ἀφανίζον θεμον, ἀπὸν ἀδελφὸν ἕχοντες, ἔτε νόμοις ἐμποροῦντες πῆλυ ἀποφθαί, καὶ ἀποφθῆν, ἔτε πῆ σημαῖα καὶ ἔτε διαφθοίραν χροσμίνας, ἀλλ' ἐπὶ καὶ ἀπολείπιν τὰ χροσίμα τῆς διανομήσεως μὲθ' ἡμῶν. Nam neque Alimenta fas est nobis perdere, ubi ipsi plus satis habemus; neque fontem, postquam ipsi à scaturigine fuerimus repleti, obturare, aut occultare; neque signa navigationis aut itineris abolere: verum permittere & relinquere quæ utilia sunt futura, iis quibus à nobis usus esse possunt, Exemplum in aqua profluenti, & jure transeundi per mare, amnes, terrasque, paragraphis sequentibus producit. Flumen, quod aqua profluens vocatur, commune post occupationem mansit, nimirum ut bibi haurique possit.

*Quis vetet apposito lumen de lumine sumi ?  
Atq; cavaum vastas in mare servet Aquas ?*

Sic *Ovidius*, apud quem & *Lycios Latona* sic alloquitur.

*Quid prohibetis aquas ? Usus communis Aquarum est.*

De transitu hæc habet, §. 13. ' Terræ, mare, & flumi-  
' na, & si qua pars maris in proprietatem populi alicujus  
' venit, patere debet his qui transitu opus habent ad  
' justas causas. Ratio hic eadem quæ supra, quia Domi-  
' nium introduci potest cum receptione talis usus, qui  
' prodest his, illis non nocet. Exemplum insigne habe-  
' mus in *Mosis* Historia, qui cum transeundum haberet  
' per alienos fines, primum *Edumæo*, deinde *Emorraeo*,  
' has tulit leges: Iturum se via regia, nec deflexurum ad  
' possessiones privatas; si qua re ipsorum haberet opus,  
' justum pretium eis persolaturum. Innoxius enim tran-  
' situs denegatur, *inquit Augustinus*, qui jure humanæ  
' societatis æquissimo patere debebat. *Lib. Qu. IV. super*  
*Num. ad cap. 20.* ' Omnis res, *ita idem Augustinus*, quæ  
' dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum  
' habetur quomodo habenda est. *De doct. Christ. C. 1.*  
' Magnæ divitiæ, *inquit Ivo Parisinus l. 8. §. 3.* ob id po-  
' tissimum videntur appetendæ, quod efficiant facilitæ  
' Caritatis Officia; quia quod pauperis urgenti necessi-  
' tati sufficiens & multum est, proceribus in ingenti re-  
' rum copia parum aut nihil videtur detrahere, sed velut  
' superfluum effundi. Ex hoc principio est facilis inter  
' probos sapientis doctrinæ & consilii communicatio. ' Ea,  
' *inquit Seneca*, fuit antiquis Philosophis mens, quam à  
' Natura studiisque lucem habebant in omnes diffundere:  
' si cum hac exceptione detur sapientiæ, ut illam inclu-  
' sam teneam, nec enuntiem, rejiciam. Infiniti ferè in  
' Jure Romanorum Civili casus sunt eidem innixi princi-  
' pio; cujus generis imprimis est illud *Ulpiani ff. de evictio-*  
*nibus. l. in creditore. 38.* ' Cui, *inquit*, non æquum vide-  
' bitur, si creditor venderit, hoc saltem consequi emp-  
' terem, quod sine dispendio creditoris futurum est?

Adde

Adde partem sententiam ex *l. si quis sepulchrum. 12. ff. de religiosis & sumpt.* ‘ Si quis sepulchrum habeat, vicinus autem ad sepulchrum non habeat, iter peti debet: si vicinus recuset dare, Præses compellere debet iusto pretio iter ei præstari; ita tamen ut iudex prospiciat, ne vicinus patiatur detrimentum, adeoque noluerit licet, ad id tenebitur per imperium & dispositionem Præsidis, ut alteri profit, sibi non noceat. Cui convenit & illud *Pauli J. ti. l. in summa. 2. §. 5. ff. de aq. & aq. pluviæ.* ‘ Aggerem, qui in fundo vicini erat, vis aquæ deiecit, per quod effectum est, ut aqua pluvia mihi noceret; non possum aquæ pluvie arcendæ actione vicinum cogere ut eum reponat; hoc quippe in detrimentum illi cederet, & magnarum esset fortean impensarum opus. Quid igitur? An cogi possit ut reponi sinat? *Respondet Paulus,* Quamquam deficiat aquæ pluvie arcendæ actio, attamen opinor utilem actionem vel interdictum mihi competere, adversus vicinum, si velim aggerem restituere in agro ejus, qui factus, mihi quidem prodesse potest, ipsi vero nihil nociturus est. *Addo l. 2. §. adversus. ff. ne quid in loco pub.* ‘ Tuendus est cœni in litore ædificat, vel molem in mare jecit, si diuturnum inde nemo passurus est.

Quæritur apud præconsultos, ‘ An liceat venditori effundere vinum, si diem ad metiendum præstituit, nec intra diem admensum est? *Respondet Ulpianus,* ‘ Effundere statim non poterit, priusquam testando denun- tiationem præstet, ut aut tollat vinum, aut sciat futurum ut vinum effunderetur. Si tamen, cum possit effundere, non effudit, laudandus est potius, ea propter mercedem quoque doctiorum potest exigere. Sed ita demum si interfuit ejus inania esse vasa, in quibus vinum fuit: veluti si locaturus ea fuisset, vel si necesse habuit alia conducere dolia; commodius autem est, conduci vasa, nec reddi vinum, nisi quanti conduxeris ab emptore reddatur, aut vendere vinum bona fide, id est, quantum sine ipsius incommodo fieri potest, operam dare, ut quam minimè detrimento ea res sit emptori. Cujus sententiæ æquitatem in commentationibus ad *d. legem.* mirè laudat *Dionysius Gothofredus:* ‘ Major, inquit, Religio hic juris-  
consulto



• consulto fuit, quàm ut vinum effundere venditori pa-  
 • tiatur. His enim gradibus ad æquitatem quasi ascendit,  
 • ut venditor dolia sua emptori gratis concedat, vel locet;  
 • aut si neutrum faciet, aliena locet dolia: si id etiam  
 • non procedat, ut vinum vendat bona fide, minimo ad-  
 • versarii detrimento. Neque huic sententiæ repugnabit  
 qui mox sequitur (quo Veteres ironice subannat *Ulpianum*)  
 paragraphus. 'Quod consilium Juris-consulti, quoties  
 • apud me diligentius retracto, audenter jam dicam in-  
 • ter Juris-consultum & virum bonum nihil interesse:  
 • certissimam denique esse ad cælum viam nostri Juris  
 • professionem, si ad æquum & bonum revocetur. Ita  
*Gothofredus*. Sanè quod res est dicam, nullum novi mu-  
 nicipale Jus vetus vel novum (quocunque sub imperio  
 five Regum Christianorum five Gentilium) quod Jura  
 hæc Civilia pop. Romani constitutionum humanitate non  
 excederent. Hujusmodi laudantes virtutem innumeras  
 ultra leges licebit superaddere, qualis illa l. 27. §. 12.  
*ff. ad l. Aquil.* 'Si apes meæ in prædium tuum advolent,  
 • & eas excusseris, teneris lege Aquilia de damno. De  
 qua specie vid. *Quintilianum. Declam.* 13. Ratio est,  
 quod æquitas jubeat hujusmodi beneficia facile esse cuius  
 concedenda, juxta illud *Cassiodori*, 'Non debet esse dif-  
 • ficile beneficium, quod largitate non parit detrimen-  
 • tum. *lib. 1. variar. epist.* 14.

Extant etiam inter Paganos dispersa passim Heroicæ vir-  
 tutis Exempla. Virorum scil.

*Quis meliore luto sinxit præcordia Titan.*

Hac tam nobili virtute præditis satius visum est à com-  
 modis suis, otio, & voluptatibus abscedere, quàm huma-  
 ni generis conservandi, tuendi, & adjuvandi curam se-  
 ponere, Officiaque humanitatis & misericordiæ quo-  
 cunque modo negligere. Talia inter veteres celebrata  
 sunt *Herculis* & *Liberi* exempla, de quibus *Cicero. de Off.*  
 3. 'Magis, inquit, est secundum naturam pro omnibus  
 & gentibus, si fieri potest, conservandis, aut juvandis, ma-  
 • ximos labores molestiasque suscipere, imitantem *Her-  
 • culem* illum, quem hominum fama beneficiorum me-  
 mor

mor in concilio cœlestium collocavit, quàm vivere in  
 solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in  
 maximis voluptatibus, abundantem copiis omnibus, ut  
 excellas etiam pulchritudine & viribus. *Et de Fini-*  
*bns. 3.* similiter edisserit. Formicæ, inquit, Apes, Ci-  
 conicæ, aliorum etiam causâ quædam faciunt, multo magis  
 hæc conjunctio est hominis; itaque naturâ apti sumus  
 ad cætus, concilia, civitates. Quodque nemo in soli-  
 tudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem vo-  
 luptatum abundantia, facile intelligitur nos ad con-  
 junctionem congregationemque hominum & naturalem  
 communitatem esse natos. Impellimur autem naturâ  
 ut prodesse velimus quamplurimis; imprimisque do-  
 cendo, rationibusque prudentiæ tradendis. Itaque non  
 facile est invenire, qui quidd sciat ipse; non tradat alteri.  
 Ita non solum ad discendum propensi sumus, sed ad  
 docendum. Atque ut tauris natura datum est, ut pro  
 vitulis contra leones summa vi impetuque contendant;  
 sic ii qui valent opibus, atque id facere possunt, ut de  
*Hercule & Libero* accepimus, ad servandum genus ho-  
 minum naturâ incitantur. Atque etiam Jovem, cum  
 Optimum & Maximum dicimus, cùmque eundem Sa-  
 lutarem, Hospitalem, Stabilem, hoc intelligi volumus,  
 salutem hominum in ejus esse tutela. *Et ibidem.* De  
*Alexandro M.* refert *Valerius Max.* quodd dum omnes  
 gentes indefatigabili cursu lustrat, quodam loco tempe-  
 state nivali oppressus, senio jam confectum militem  
*Macedonem*, nimio frigore obstupescit, ipse sublimi  
 & propinquâ igni sede sedens animadvertit: factâque  
 non fortunæ, sed ætatis utriusque existimatione, de-  
 scendit, & illis manibus, quibus opes *Darii* afflixerat,  
 corpus frigore complicatum in suam sedem reposuit,  
 id ei salutare futurum dicens, quod apud *Persas* capita-  
 tale extitisset, solum Regium occupasse. *lib. 5. de hu-*  
*man. Alex.* Simili humanitate ex Naturali conscientia  
 excelluisse *Almansorem*, *Mahumetanorum* aliquando  
 Imperatorem, testantur historiz. *Motis scil.* fuisse, ut  
 postquam se venatu; & post venatum cibo se satiasset,  
 publicè in tentorio copiam sui faceret, quo facilis ad  
 eum redderetur pauperum accessus. Homini cuilibet  
 indi-

' indigenti in Nomine Dei roganti liberaliter erogavit,  
 ' An *Christianus, Maurus, Judaeus, Ethnicus* ut mendicus,  
 ' modo homo sit, nihil moratus. Inter venandum ali-  
 ' quando via deceptus, & à sociis derelictus occurrit  
 ' misero homuncioni, qui in ejus conspectu in terram vi-  
 ' rium defectu deciderat. Delilit equo Rex, infirmum  
 ' equo imposuit, ipse ad latus per duas leucas pedes ivit,  
 ' fræna retinens. Infirmum tandem ad Hospitium de-  
 ' duxit, jussitque ut ei sedulo in omnibus inserviretur,  
 ' quoadusque convalesceret: capiens tandem rusticus Ma-  
 ' jestatem benefactoris sui, veniam postulat, quod tantas  
 ' summo Regi molestias miser excitasset. Non tulit *Al-*  
 ' *mansar*. Imo neque gratias, inquit, mihi agas, sed su-  
 ' premo Mundi Conditori, cujus providentia ita ordina-  
 ' tum est, ut ipse devius tibi occurrerem. Illo quippe  
 ' officio tantummodo functus sum, quo erga miseros tui  
 ' similes jure humanitatis teneor. Ita *Kalens in Hist.*  
 ' *Mahometicæ*. Utinam vel *Christiani* Imperatoris *Mabu-*  
 ' *metani* bonitatem imitari dignaremur. Non desunt sancti,  
 ' qui non solum virtutem Heroicam, sed communem ho-  
 ' minum obligationem huc usque videntur velle extende-  
 ' re.' Ita *Cicero, de Off. 1.* ' Qui non defendit alium cum  
 ' potest, tam est in vitio, quàm si parentes, patriam, aut  
 ' amicos deserat. Hanc etiam apud *Aegyptios* legem  
 ' memorat *Diodorus Siculus, Bibl. Hist. lib. 1.* ' *ἔδν τις ἴδῃ*  
 ' *ἰδίῳ, κτ. ἢ χόρον ἰδίῳ φονδύβροσ ἀνθρώπων, ἢ τὸ καδύλε βίαι-*  
 ' *δν τι πάροντα, μὴ ρύσαιτο διωτὸς αὐτ, δευάτω δευασίῳ ἀφου-*  
 ' *λεν. 22.* Si quis in via hominem interfici, aut quamlibet vim  
 ' sustinere videns, cum posset, non vindicasset, capitali suppli-  
 ' cio obnoxius erat, &c. ubi subdit, eos etiam qui operi  
 ' ferre per infirmitatem non potuerunt, indicare tamen la-  
 ' trones, & actione scelus prosequi dictis legibus teneri.  
 ' Imò *Hobbius* ipse, si non Heroicam, quæ non sine quadam  
 ' sui abnegatione consistit, vulgarem saltem Humanitatem  
 ' videtur exigere. ' Est, inquit, Lex Naturæ, qua quisque  
 ' tenetur unumquemque eousque adjuvare commodoque  
 ' afficere, quousque possit sine periculo personarum, &  
 ' rerum dispendio, quæ requiruntur ad propriam conserva-  
 ' tionem. *Lib. de Corp. Politico. p. 1. c. 3. §. 2.*

Erat etiam in Justitia commutativa aliquale Excellen-

rit Heroicæ inter Paganos exercitium. De speciebus enim factorum præclaris, quas recenset *Cicero. 3. de Off.* (in quibus utilitatem *ais* repugnare honestati, ita tamen ut animadvertendum sit, an possit cum honestate conjungi,) sic videtur definiendum. Utilitates ibi memoratas cum honestate vulgari posse, cum nobili & heroica virtute non posse conciliari. Ejus generis est quæstio illa, *ibidem.* 'Si, *exempli gratia,* vir bonus ab *Alexandria* profectus, *Rhodum* frumenti magnum numerum advexerit, in *Rhodiorum* inopiâ & fame summaque annonæ caritate: si idem sciat complures Mercatores ab *Alexandria* solvisse, navesque in cursu frumento onustas petentes *Rhodum* viderit, dicturusne id sit *Rhodiis*, an silentio suum quamplurimò venditurus? Et illud *Hecatonis*? 'An boni sit viri in maxima annonæ caritatè familiam non alere? Heroicæ dixerim virtutis alere, vulgaris prudentiæ non alere. 'Si quis aurum vendens aurichalchum se putat vendere, indigne ei vir bonus aurum esse, an emat denario quod est millenarium? Heroicæ videtur virtutis indicare velle, vulgaris non indicare. Et in cæteris *ibidem* quæstionibus, *Antipater* ferè secundùm Heroicæ virtutis regulas, *Diogenes* secundum communis vitæ normam respondisse visus est.

**Num. 2. Philosophi Malmesburiensis contra hujus Placiti existentiam argumentum advertitur.**

*Homo homini, si Hobbinum* audimus, *lupus est.* Nulla cum naturæ sociabilitas ad hominem conciliat, nulla ei ad mutux caritatis Officia promptitudo, nullus ei confessi & tot Paganorum testimoniis confirmati naturalis de Humanitate in homines exercenda Placiti sensus. Omnia, *Hobbio* distante, quæ quoquo modo homines exequantur Officia, meru solo extorquentur. Nec virtus quæcunque, aut generosa illa naturalisque hominum ad mutua beneficia, justitiam & societates colendas proclivitas,

tas, partem quamcunque in constituta inter homines  
 vice debet ultimum vindicare. Nos supra *cap. 2.* opi-  
 nionem istam uberius excussimus. Hic unicum tantum  
 Philosophi *Aræopagitæ* argumentum, quod proprius hoc ca-  
 put spectat, animadversione aliqua dignum censuimus.  
*Cap. 1. de Civ. n. 2.* 'Si, *inquit*, homo hominem amaret  
 'naturaliter, unusquisque unumquemque æquè amaret,  
 'ut æquè hominem: sed non æquè quisque quemque di-  
 'ligit. Respondemus nos contra, unumquemque non  
 perversum, & natura sua depravatum, alios omnes qua-  
 tēnus sunt homines æquè amare; idque adeo ut juxta  
 modo positum Naturæ Placitum etiam ignotis, ubi sine  
 dispendio, molestia, aut periculo possint, studeant bene-  
 ficere & prodesse. Esse autem extrinsecas rationes, &  
 per accidens contingere, ut alius rectè præ alio dispa-  
 tur; alius etiam ex amore in odium vindictamque incide-  
 re sit dignus. Quatenus enim quis me gratia & benefi-  
 ciis obtrinxit, eatenus ei supra communem sortem te-  
 neor. Si verò quis contempserit Naturæ leges, injuriisq;  
 privatis publicisque, humanique generis perniciem o-  
 eram dederit sedulam, *Jove* aliquo *Statore*, qui rem sospitet  
 publicam, aut *Hercule* opus est, qui præ ea quam habet in  
 cæteros caritate, universum mundum monstris hujusmo-  
 di liberet & expurget, publicamque fortiter exigat vin-  
 dictam. Neque enim communia quæcunque Humanitatis  
 Officia in eos extendi par est, qui de collatis sibi bonis  
 arma conficerent in dantes convertenda. Sin cognita &  
 jam perspecta non sit naturæ pravitas, à beneficiis manus  
 novum est abstinenda, saltem à vilibus, quæque confe-  
 renti molesta non sunt; sed bene sperandum. Vicini  
 enim virtus quem non invenit, fecit sæpe meliorem;  
 neque graviter ferendum, si, ut *Seneca* de Beneficiis  
 monet,

*Perdenda sunt multa, ut sciret ponas bene.*

NUM.

Num. 3. De speciebus peccatorum contra  
Caritatem, ex placito de vulgari Hu-  
manitate promanantem.

Contra Placitum de Humanitate vulgari tot modis peccari potest & solet, quot modis homini cuiquam igitur illud denegatur, quod sine molestia & detrimento poterat concedi: & totidem observari modis, quot beneficia poterant conferri, quibus collatis dantis conditio nihilo fit deterior. Celebres ad hoc caput spectant Virtutes, Clementia, Misericordia, Humanitas, Caritas generalis, quæ sese exercet in beneficiis citra dampnum benefactoris conferendis, qualia fere recensentur, Non prohibere aquam, erranti monstrare viam, salubria, sine periculo tamen proprio, monere. Vicia huic Placito contraria sunt imprimis Inhumanitas & *Μισοφροσυνα*, Morositas, Inclementia, & severitas in ultionem exigendo, cum venia sine noxa poterit concedi.

Ex lege *Mosaica* veteri ad hoc caput spectare videntur, de rebus vicini perditis & conservandis, judicia sane non contemnenda, imò digna, quæ ab omnibus ubique observentur. Quale est quod scriptum est jus, *Deut. 22. com. 1, 2, 3, &c.* ' Si videris bovem fratris tui, ovemve, aut aliud quodvis jumentum errantia, ne præterito: imo etiam si perditum errantisve jumenti dominus tibi è vicinis aut propinquis non sit, ita ut neque noveris ipsum, pecus tamen ejusmodi domum ducito, & apud te esto, donec requirat illud à te frater tuus, requisitum autem restituito. Facito similiter Asino ejus, & vestimento, relque omni quam perdiderit frater, tu autem inveneris: ne negligito, neve celato. Si videris Asinum fratris tui, vel bovem, vel aliud quodvis jumentum in via casu prostrata, ne despicias, neve negligito, sed jumento ejusmodi erigendo manus auxiliatrices porrigito. Quibus similia etiam præcipiuntur *Exodi cap. 23.*

## C A P. X.

De Officiorum comparatione generaliter,  
& sub diversis capitibus:Num. i. De necessitate comparationis Of-  
ficiorum ad Ethicæ disciplinæ comple-  
mentum.

**Q**UÆ primo justa putantur, quæq; in conspectu  
 omnium peræquè hominum honesta simpliciter  
 censentur, hucusq; satis dictum autumo. Rectè  
 tamen, *de Offic.* 1. à consultissimo *Cicerone*,  
 præstantissimo Disciplinæ Moralis magistro, animadver-  
 sum est, ' Non solum, honestum an turpe, deliberari so-  
 ' lere; sed etiam duobus propositis honestis, utrum hone-  
 ' stius; item duobus propositis utilibus, utrum utilius?  
 Ita ut si quis perfectam velit de moribus constituere di-  
 sciplinam, primum de honesto simpliciter, post de hone-  
 storum comparatione sit disquirendum, quam partem  
 malè à *Panætio* omissam graviter queritur nosse *Cicero*.  
 Quo spectant etiam quæ habet *lib. 2. de Invent.* ' Opor-  
 ' tet, *inquit*, leges contendere, considerando utra lex ad  
 ' majores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores, & magis  
 ' necessarias res pertineat. Ex quo conficitur, ut si duæ  
 ' leges, aut si plures, aut quotquot sunt, conservari non  
 ' possint, quia discrepent inter se, ea maximè conserva-  
 ' da putetur, quæ ad maximas res pertinere videatur.  
 Atque in hoc tam necessario de Moribus titulo, quod mi-  
 hi probabilius est visum, ex ordine in Placitis recensendis  
 tractandisque hucusque observato, partim liquet; in Te-  
 bula vero hîc adposita, atque illi appensis hac de re com-  
 mentariis, uberius declarabitur.

Comparatio autem fieri potest, vel sub diversis Offici-  
 orum

orum generibus, veluti cum quaeritur, *Innocentia, an Gratiudinis preferenda sint Officia?* vel sub eodem genere; ita sub eodem de fide servanda titulo deliberari solet, *Quae promissa potius sint servanda? qui potiores sint habendi, cum plures se offerant persona, ut Humanitatis, sapientiae, vel Gratiudinis Objecta?*

**Num. 2. Index Criticus, difficiliores quot occurrunt casuum species, cum in illas sumus redacti circumstantiarum angustias, ut alterum adimplere naturae dictamen sit impossibile, nisi aliud ab eo diversum transgrediamur, quasi typo exprimens & dijudicans.**

An proprii  
persecutio  
commodi  
instituenda  
sit, cum sibi  
consulendo  
necessario  
quis

Innocentem laedat? Neg. Vide *commentationem n. 3.* super hac quaestione, *An Innocentia preferenda sit gloria?*  
 Promissis cogatur non stare? Neg. v. *comment. n. 11.* *An sui amoris fides preferenda?*  
 Gratiudinis omittat Officia? Neg. vide *comment. n. 4.* *An sui amoris preferenda sit Gratiudo?*  
 Prolis felicitatem negligat? Aff. v. *comment. n. 5.* ubi quaeritur, *An prolis amoris sui amor sit proponendus?*  
 Consanguineos negligat? Aff. v. *num. 5.*  
 Externis atque ignotis non possit benefacere? Aff. v. *comment. n. 5.* Ubi etiam quaeritur, *An non amoris consanguineorum & extraneorum sui Amor preferendus?*

Annus



Annon lædendus alter, si eo non læso necessario quis cogatur

Fidem fallere? Neg. v. *comment. numm. 9.* ubi quæritur, *An Fides Innocentia præferenda?*

Gratitudinis officia omittre? Neg. v. *comment. numm. 6.* ubi quæritur, *Innocentia, an Fides præferenda?*

Sui ipsius commodum negligere? Neg. v. *numm. 3.*

Prolem negligere? Neg. v. *numm. 7.*

Consanguineos negligere? Neg. v. *numm. 7.*

Extraneos negligere? Neg. v. *numm. 7.*

An fidem fallere liceat, cum eam servando necessario cogatur quis

Lædere innocentem? Aff. v. *numm. 9.*

Gratias benemerito suspendere, vel denegare? Neg. v. *comment. n. 10.* ubi quæritur, *An Fides Gracitudini præferenda?* v. & *numm. 8.*

Proprium posthabere commodum? Neg. v. *com. n. 11.* ubi quæritur, *An sui amori præferenda sit fides?* v. & *numm. 12.*

Prolem negligere? Neg. v. *numm. 11.*

Consanguineos negligere? v. *numm. 11.*

Extraneos negligere? v. *numm. 11. & 12.*

An Gratia bene merito reponenda, cum ex ea reposita necessario cogatur quis

Innocentem lædere? Neg. v. *numm. 6.*

Fidem fallere? Neg. v. *numm. 10. & 8.*

Sui ipsius commodum posthabere? Aff. v. *numm. 4.*

Prolem negligere? v. *comment. numm. 4.* ubi inter alia quæritur, *An sociis in prolem & consanguineos præferenda sit Gracitudo?*

Consanguineos negligere? Aff. v. *numm. 4.* ubi supra.

Externis non benefacere? Aff. v. n. 4. ubi ostenditur propensioem benefactoris habendam esse rationem, quam indigentis extranei.

An proli be- neficien- dum, cum ex istius- modi be- neficio co- gitur pa-rens

Lædere innocentem? Neg. v. num. 7.  
 Fidem fallere? Neg. v. num. 12.  
 Gratiitudinis seponere Officium? Neg. v. num. 4.  
 Suum posthabere commodum? Neg. v. num. 5.  
 Consanguineis non benefacere? Affirm. v. num. 14.  
 Extraneis non benefacere? Aff. v. num. 15.

An cætera præter pro- lem Con- sanguinita- tis habenda ratio, cum inde sequa- tur necessi- cessitas

omittendi a- ctus

Gratiitudinis?  
 Fidei?  
 Sui Amoris?  
 φιλοτεχνίας?  
 Caritatis vulgaris? Neg.  
 Aff.

Lædendi innocentem? v. n. 7.  
 De Quæstionibus hac Eυσχηα positis, v. comment. num. 14. ubi quæritur, Quo ordi- ne inter cætera Officia Caritas in Consangui- neos locanda sit?

An extra- neis behe- faciendum, cum ex col- lato bene- ficio cogi- tur quis

Alterum lædere innocentem? Neg. v. com- n. 7. ubi quæritur, Annon lædendum alter, ut aliis benefiat, vel liberis, vel consangu- neis, vel extraneis?  
 Fidem fallere? Neg. v. num. 12.  
 Gratiitudinis actus omittere? v. num. 4.  
 Proprium seponere commodam? Neg. v. comment. num. 16.  
 Proli curam seponere. Neg. v. n. 15.  
 Consanguineos negligere? v. n. 14.

### Num. 3. An Innocentiae preferenda sit Philantia?

De hac quaestione obiter *Capite secundo* diximus, ubi *Epicureorum* sententiam, qui Officia omnia utilitate metienda affirmabant, cæterorum omnium Philosophorum sententiis damnatam ostendimus. Locus tamen hic postulat, ut in Officiorum comparatione placito de Innocentia ad Innocentes extendenda Obligationis principatum paucis defendamus: Unus sane est *Hobbius*, qui de *Cive cap. I. n. 4. 10.* & *Leviathan, p. I. c. 14.* statum hominum naturalem esse bellum, & voluntatem alios ledendi omnibus inesse naturaliter magna voce contendit, naturamque unicuique jus dedisse in omnia, pertinaciter asserit, etiam in aliorum corpora jus istiusmodi extensum clamat: tollit perinde omnem ad Innocentiam, Fidem, cæterasque virtutes Obligationem; quem modo sequuntur *Hobbiani*, sicut *Hobbius* ipse hoc in argumento *Epicurum* videtur secutus. Omnem Veterum Philosophiam huic sententiæ contrariam supra ostendimus, quædam tamen hic in superius dictorum confirmationem ex Philosophia, Jure, & Ratione ipsa modo sunt deponenda. Imprimis autem Philosophorum & Jureperitorum sententiis supra recensitis consentanea modo proferamus. Monet autem imprimis *Cicero, de Off. I.* ‘Rei familiaris amplificationem, nemini nocentem, non esse vituperandam, sed fugiendam semper injuriam. Et de *Off. 3.* ‘Si quando, inquit, cum illo quod honestum est, pugnare id videtur, quod appellamus Utile, formula quædam describenda est. Formula vero quam describit est hujusmodi. ‘Detrahere aliquid alteri, & hominis alterius incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera quæ possunt corpori accidere, aut rebus externis. Vide plura *ibidem* eodem spectantia. Narrat item *Valerius Maximus, Q. Metellum* tanti fecisse eam, qua tenebatur ad Innocentiam Obligationem, ut eam Utilitati suæ & Patriæ suæ justè prætulisset. ‘*Celtibericum*

Bericum enim in Hispania gerens bellum, cum urbem  
 Centobricam obsideret, & jam admotâ Machinâ partem  
 muri, quæ sola convelli poterât, disjcturus videretur;  
 Humanitatem propinquæ victoriæ prætulit. Nam cum  
 Rhetogenis (hominis innocentis & amici) filios Cento-  
 bricenses Machinæ istibus objecissent, ne pueri in con-  
 spectu patris crudeli mortis genere consumerentur, ab  
 Obsidione discessit. v. *Val. lib. 5. c. 1.* Rectius, in-  
 quit *Crellius*) sentiunt viri boni & sapientes, Deterius  
 esse injuriam facere, quam eandem perpeti; quia illud  
 turpe est, hoc tantum damnosum. Deterius enim id  
 quod turpe est, quàm id quod damnosum tantum;  
 quemadmodum etiam majus bonum est honestum, quàm  
 utile. *Ethic. Arist. p. 2. c. 18. q. ult.* Cui consentit  
 ipse *Aristoteles, de Moribus lib. 5. c. 9.* Τὸ δ' ἀδικήματα, *inquit,*  
 τὸ μὴ βλάττον ἀδικήματα, τὸ δὲ μᾶλλον τὸ ἀδικεῖν.  
 Inter ea quæ contra jus dici possint, minus est injuriâ  
 affici, majus verò est injuria afficere. Et *cap. ult. ejus-*  
*dem libri.* Pejus, *inquit,* est injuriâ afficere. Quippe  
 quod id cum vitio fiat, & sit vituperabile. Ex quo prin-  
 cipio in Sacris literis hanc *Jobo* cautionem interponit  
 amicorum sagacissimus *Elibu.* Cave, *inquit,* tibi; ne  
 respicito ad iniquitatem, ut hoc eligas præ afflictione.  
*Job. 36. 21.* Infinita sunt in Jure Rom. Civili exempla,  
 quæ huic astruendæ conclusioni faciunt. Sententiis saltē  
 Jctorum, *capite, de Innocentia ad Innocentes extendenda,*  
*num. 2.* recensitis, addi possunt quæ sequuntur. In  
 fossis agrorum siccandorum causâ faciendis, *Q. Mutius*  
*ait,* sic debere quemque meliorem suum agrum facere,  
 ne vicini deteriorem faciat. ff. *de Aqua & Aqua plu-  
 arcend. l. 1. §. 4. & §. 2. l. ead. ff. eod.* *Neratius* scribit,  
 Opus quod quis fecit, ut aquam ex agro suo excluderet;  
 si aqua repulsa eo opere agris vicini noceat, aquæ pluviz  
 actione cogetur tollere. Dicit *Ulpianus,* licere uni-  
 cuique domum suam reficere, dum non officiat invito  
 alteri; in quo jus non habet. ff. *de Reg. J. l. 61.* Atque  
 inde in novo ædificio construendo, ne vicinis damnum  
 fiat, *intermitti legitimum spatium* (duorum scil. pedum &  
 semis ambitum) jubent *Impp. Antoninus & Verus.* ff.  
*de servis. præd. urb. l. 14.* Et *Labronis* illud, ff. *de Incen-*  
cendio,

*dio. l. 3. §. 7.* ' Si defendendi mei causâ, vicini ædifici-  
 ' um orto incendio dissipaverim, & meo nomine & fa-  
 ' miliz, iudicium in me dandum est. Si quaeratur quale  
 iudicium sit, aut ex qua Actione petenda sit damni repa-  
 ratio, cum Doctissimo *Zonchæo* nostro respondendum vi-  
 detur, quod non ex Actione *legis Aquilia*, nec ex edicto  
*de Incendio*, (quæ pænales sunt,) nisi dolum aut culpam  
 intervenisse constet, sed potius ex Actione simplici in fa-  
 ctum: Quæ si quis ad sui solius utilitatem, orto incen-  
 dio, alterius ædes demolitus sit, id ipse solus; si ad uti-  
 litatem communem, id ipse cum aliis, secundum æqui-  
 tatem legis *Rhodia*, resarcire teneatur. v. *Zonchæum*,  
*Quæst. Juris. cent. 9. q. 7. in fine.*

In rebus (forte dicet aliquis) quarum non ita certum  
 constat dominium, aut quæ sunt minoris momenti, nec  
 ad sui conservationem valde sunt necessariæ, non anxie  
 contendendum, sed quoquo modo servandam Innocen-  
 tiam. Si quando autem ad tuendam vitam, cujus & cer-  
 tum est dominium, & conservatio necessaria, deventum  
 sit, scrupulosius jure quaeritur. *Ad mortem evitandam  
 annon alteri possit mors inferri?* Hic sanè non pauci tenentur  
 suspensis; annon ad vitam suam conservandam alteri  
 liceat damnum inferre? Nec rari supponuntur, qui raro  
 eveniunt hujusmodi casus. *Titius* vi divina cum  
*Mævio* è naufragio in insulam ab omnibus desertam tutò  
 devehitur; ad cibum nihil est inventum; uterque An-  
 thropophagus. Alter, *Mævius* scil. præ *Titio* virum im-  
 pos: Quid facient? Morne *Titio* cum fortior sit expectan-  
 da? Annon potius vis infirmiori inferenda? Hoc enim sua-  
 det Natura, sui studiosè conservatrix, ne cum vitam  
 possim ulterius protrahere, complicatis (ut aiunt) ulnis  
 in proprium velim delabi interitum. Et restius quidem  
 de ipsa vita, aut corporis bona valetudine, & integritate,  
 iisque tollendis aut minuendis instituitur quaestio, quam  
 de fortunæ Bonis. Cum enim communiter apud ple-  
 rosque supponitur bona omnia hujusmodi fuisse aliquando  
 communia; nec leges claræ jam conventionesque ap-  
 pareant publicæ totius mundi, quousque acquisitum ex  
 occupatione, & in quibus casibus obrinere debeat, in  
 quibus cessare dominium; quid dampnum injuriâ dandum  
 sit,

fit, ex ignorantia aut saltem ex incertitudine illius, quod revera proprium cuique est, non facile liquebit, aut saltem ex communi illa (quam tamen non omnes æquè probant) sententia non certò constabit. Juxta quod dicit *Grotius, de Jure belli l. 2. c. 2. §. 6.* ‘ Spectandum esse quæ mens eorum fuerit, qui primi dominia singularia faciebant, quæ, *inquit*, credenda est talis fuisse, ut quam minimum à naturali æquitate recesserit. Hinc sequitur in gravissima necessitate reviviscere jus illud pristinum, rebus utendi tanquam communes mansissent. Quia in omnibus legibus humanis, & proinde in lege dominii, summa necessitas videtur excepta. Ut prorsus videntur igitur omnia istiusmodi subterfugia, ex specie modo allata proponatur. Quæstio, *An Titio Natura suadeat, ne ad suam conservandam vitam Marium depascat?* Et tandem, *An sic fecisse honestum esse dicet?* In confesso enim est nullum esse vitium, cujus ferè actus ex φιλαυτία & φιλοπηνία male regulatis causam non habent impulsivam; penitissimèque insitum hominibus ex perverso saltem atque improbo Sui Amore omnes assentunt, ut quoquo modo bona sua temporalia etiam perdamna & injurias vicinis inferendas tueantur. Neque tamen semper, quod ex culpandâ hujusmodi φιλαυτία ex intimis præcordiis perversæ spirant voluntquæ fibræ, id mens ut honestum probaverit.

Concludendum igitur videtur, *ad propriam tuendam vitam, mortem alteri non posse inferri, imò neq, membrum diminui.* Prima estq ratio, ipsa æquitatis & justitiæ, quæ contrarium suadet, conscientia. Imò hæc, si unica sit, plenè mihi sufficere videretur. Conscientia enim re-  
cta mille judices, mille testes. Addi tamen potest contrariam sententiam non paucis absurditatibus miserè esse implexam. Neque enim, ubi consistent sciunt, qui contra sentiunt: Si enim ad vitam tuendam propriam in vitam alterius est sæviendum, quidni hoc etiam perinde faciendum sit, ut caveam ne à trunco corporis omnia amputentur membra? Grande enim hoc malum, nec morti (ut pluribus videbitur) posthabendum. Sin vero cavere possum ne membra omnia mihi amputentur, cur non etiam ita cavere de membrorum dimidio poterò?

adeoque descendendi usque poterit, ut licitum censeatur vel ad servandum digitulum alii nocere. Hoc verò, ut licitum honestumque si probaretur, quid impedit quominus ad prædium aliquod rusticum aut urbanum acquirendum, vicinos quoscunque malomultare liceat? Amplum enim prædium apud plerosque; Dominium, Regna, Imperium apud alios majoris ferè quam parvum quodque corporis membrum æstimantur. Eoque tandem devenietur, ne quidquam inhonestum censeatur, nisi quod ex proprio commodo suaderi non possit, maximaque, tolletur delictorum seges, quæ ut plurimum (ut suo loco notavimus) ex improba *φιλαυτία* solent enasci.

Sed, si placet, *Laëtantium* audiamus, in vetus illud *Carneadis* problema egregiè differentem. Problema est hujusmodi. *lib. 5. de Justitia, c. 17.* 'Quid, inquit, justus faciet, si forte naufragium fecit, & aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? nome illum à Tabula deturbabit, ut ipse conscendat, eaque nitus evadat? Si mori maluerit, quam manus alteri inferre, jam justus ille, sed stultus est, qui vitæ suæ non parcat, dum parcat alienæ. Ad quæ *cap. 18.* proxime sequenti sic respondet *Laëtantius.* 'Concedamus, inquit, fieri posse quod proponit Philosophus *Carneades.* Quid ergo justus faciet, si nactus fuerit in tabula naufragum? Non invitus confiteor morietur potius, quam occidet. Quid enim melius, quid charius homini esse debet quam Innocentia? quæ utique tanto perfectior est, quanto illam perduxeris ad extremum, morique malueris, ne quid de Innocentiæ bono minuat. *Stultitia* est, inquit, alienæ animæ parcere cum perniciè sua. Num ergo pro Amicitia perire stultum judicabis? Quid familiares *Pythagora* laudantur à vobis, quorum alter se Tyranno vadem mortis pro altero dedit; alter ad præstitutum tempus, cum jam sponsor ejus duceretur, præsentiam sui fecit, eumque interventu suo liberavit. Notat *Laëtantius*, alterum Amicitiam & Gratiitudinem Sui amori, alterum Fidem Sui amori, prætulisse; indeque argumento à minori ad majus sumpto facile colligitur, Si propter Amicitiam, Gratiitudinem, Fidem, sapienter posthabita est Sui conservatio, multo magis propter Innocentiam

nocentiam posthabenda erit, ad quam major est & potior Obligatio. Horum [ita progreditur Pater, & Christianus moralis doctrinae peritissimus] virtus in tanta gloria non haberetur, quod alter pro amico, alter pro fide mori maluit, si stulti putarentur. Denique ob hanc ipsam virtutem Tyrannus his gratiam retulit, utrumque servando; & hominis crudelissimi natura mutata est. Quinetiam deprecatus esse dicitur, ut se tertium in amicitiam reciperent; non utique tanquam stultos, sed tanquam bonos & sapientes viros. Iraque non video quare, cum pro Amicitia & Fide mori summa gloria putetur, non etiam pro Innocentia perire sit homini gloriosum. Et paulo post: Justus ab omni peccato se abstinere, quod aliter facere non potest, quam si habeat recti pravique notitiam. Rectum autem a pravo distinguere quis potest, nisi sapiens? Ita fit ut nunquam possit esse justus qui stultus est, neque sapiens qui fuerit injustus. In omnibus videmus animalibus, quia sapientia caret, conciliatricem sibi esse Naturam. Nocent igitur aliis, ut sibi prosint, nesciunt enim quia malum est nocere. Homo vero, quia scientiam boni & mali habet, abstinere se a nocendo etiam cum incommodo suo; quod animal irrationale facere non potest, & ideo inter summas hominis virtutes Innocentia numeratur. Quibus rebus apparet, sapientissimum esse, qui malum perire ne noceat, ut illud Officium, quo a mutis discernitur, servet. Calliditas & astutia in mutis quoque animalibus sunt, vel cum insidiantur aliis, &c. Sapientia vero in hominem solum cadit. Sapientia enim est intelligentia vel ad bonum rectumque faciendum, vel abstinentia dictorum factorumque improborum. Lucro autem nunquam sapiens studet, quia bona haec terrena contemnit. Nec quenquam falli patitur, quia boni viri est officium, errores hominum corrigere. Siquidem socialis est hominis & benefica natura, quo solo cognitionem cum Deo habet. Ita Lactantius.

Num.



**Num. 4. An Sui Amori præferenda sit Gratitude parentibus, patriæ, amicis, cæterisque bene à nobis merentibus exhibenda? Reconciliantur Proverbia, *ἄλλοι φίλοι ἢ ἑαυτοῦ*, & quod Sibi quisque maxime est Amicus. *Ἐπιταφίαι* in prolem & consanguineos an præferenda sit Gratitude? De beneficiorum diversitate. Quibus in casibus Officium retributionis sui amori juste postponitur. De mensura Gratitude quam dixerunt Veteres, par pari referre, *ἰσὺς ἢ ἰσὺς*, sive *ἰσὺς τῷ μέρει ἰσὺς δίδου*. Anteròs inter Poetica Regula Æqualitatis certissima, ut bonis nostris gratitudinis causa catenus cedamus, quatenus amicus rebus suis nostri causa cessit. Beneficii magnitudo ex affectu benefactoris æstimanda, affectus ex sui abnegatione. Duo areola Viduæ (Mar. 12.) cur divitum muneribus a Servatore prælata? Professio Christum venisse sub primæ Ecclesiæ ortu quomodo sinceri spiritus sufficiens character & tecmerion.**

Non solum pro Innocentia & Fide servandis, sed & pro Amicitia (quæ ex Gratitude fonte videtur virtus promanare) servanda perire gloriosum inter gentes esse judicatum, exemplo *Pythagoraorum*, loco proximè suprâ citato, ostendit *Lactantius*. Multaque ex gratitudinis in-

quitu

ūitu parentum causa, per quos geniti sumus, præstantia  
 potius, quam nostri ex philautia communiter docent  
 scriptores Ethici. Imprimis autem *Aristoteles*. Ita enim  
*Ethic. ad Nicom. lib. 9. c. 2.* Δὲξασθαι δὲ ἐν προῶτι μὲν γενεῶν  
 δὴν μάλιστα ἑπαρκῶν ὡς ὀφείλουσιν, καὶ τοῖς αἰτίοις τῆν ἡμῶν, ἡλι-  
 κιον ἢ ἑαυτοῖς, οἷς ταῦτ' ἑπαρκῶν, καὶ τιμῶν ἢ ἀδίκων δούσιν.  
 'Videntur autem sibi parentibus, maximè res ad victum  
 'necessarias, suppeditare debere, tanquam debitores.  
 'Et pulchrius viderur iis, per quos sumus, quam nobis-  
 'met ipsis his in rebus opitulari. Præterea parentibus  
 'honos, ut Diis, est habendus. Aurea verò plane sunt quæ  
 apud Philosophum *libro eodem cap. 8.* habentur, ad idem  
 argumentum spectantia. Ἄλλοις δὲ τὸ ἐπὶ Κοινοῦ καὶ τῆν  
 φίλων ἕνεκα πολλὰ προσέτιν καὶ τῆν πατρίδος, καὶ δὴν ἑπαρ-  
 κωδυνόσασιν. 'Verum est, quod de viro bono dicitur, cum  
 'multa & amicorum & patriæ causa agere, etiamsi mors ei  
 'sit oppetenda. Nam & pecuniæ, & honorum, & omnium  
 'eorum, de quibus homines decertare solent, bonorum  
 'jacturam faciet, ut sibi possessionem Honesti comparet  
 ' & vendicet. Paulisper autem magna voluptate potiri,  
 ' & annum unum honeste vivere, quàm multos temere,  
 ' & ex arbitrio nutuque fortunæ, multò malit. Unam de-  
 'nique actionem magnam atque honestam, multis sed  
 'parvis anteponat. Atque hoc iis, qui vel pro amicis,  
 'vel pro patria excedunt è vita, æquè contingit. Magnam  
 'quippe sibi Honestatem sumunt atque eligunt. Opes  
 'quinetiam libenter projecerint, atque profuderint, ut  
 'amici ampliores opes consequantur. Amico enim pe-  
 'cunia, sibi ipsi honestum quæritur. Unde majus bonum  
 'sibi ipsi tribuit. Idem de Honoribus, & Imperiis, &  
 'Magistratibus sentiendum est: hæc enim omnia amico  
 'cedent, quoniam hoc ei honestum & laudabile est. Ar-  
 gumento pro *φιλανθία* apologetico sic caput auspiciatus  
 est Philosophus: φασὶ δὴν μάλιστα φίλων τὴν μάλιστα φίλον.  
*Dicunt non inopè, maximè quemq, cum amare oportere, qui*  
*maximè est amicus.* At sibi ipsi quisque maximè est ami-  
 cus, ergo non patriæ, aut parentibus, aut amicis, sed sibi  
 ipsi à quoque maxime est tribuendum. Consentiant huic  
 sententiæ Proverbia quæ p fssim divulgantur: quale illud,  
 γένυ κνήμης ἕγγονο, *Genus caræ profons &c.* *Aristoteles ta-*  
men

tamen communem tuetur sententiam, *Virtum bonum multa amicorum & patria causa facere, etiamsi mors sit oppetenda*, fortiter tuetur. Quæsitio igitur, cum sibi quisque maxime sit amicus, quomodo non sibi plus quam patriæ, parentibus, aut amicis præstandum judicetur? Non inscitè distinguendo respondet *Aristoteles*, *potioris sui patriæ*, id est, *mentis amorem* requirere, ut in pluribus instantiis plus patriæ, parentibus amicisque, quam nobismet tribuamus. Id enim prudentes facimus, ut mentem nobis (quæ pars nostri est nobilissima) & conscientiam demulceamus. Vir bonus enim optimè sibi consulit, cum res propter quas concertat ferè vulgus, amico cedit, sibi autem perpetuam mentis tranquillitatem & sincera comparat ex virtutis operatione animi gaudia, parvaque illa & incerta voluptate omiſſa, quæ ex rerum externarum cumulo solet provenire, immenso ex benefactorum conscientia & constanti fruitur gaudio. Hujusmodi sæpe *ἀνθρωπίνης* nemo unquam vituperaverit. Si qui autem bonis corporis & fortunæ bona mentis postposuerint, ut rationi affectus prætulerint, quique belluino ritu sui amantes sunt, pecuniarum & voluptatum corporis permagnam, sed virtutis & voluptatum animi nullam ineuntes rationem, (cujusmodi *ἀνθρωπίνης* ferè sunt vulgus hominum, qui cupiditatibus se dedunt) *δικαίως τῆς ἑω φιλαίτοις ἔργα δίζεται*. Hujusmodi (inquit) *sui amantes merito reprobanduntur*. *Seneca* similiter. 'Prodest, inquit, gratum esse, 'ero tamen gratus etiamsi noceat: Qui gratus est quid 'sequitur? ut hæc res illi alios amicos, alia beneficia 'conciliet. Quid ergo si offensas sibi concitaturus est? 'Gratus animus ipsa virtute propositi sui satis capitur. *De benefic. 4. c. 20*. Et *Plato ad Archytam* scribit, 'non 'sibi soli se natum, sed patriæ, sed suis, ut perexigua 'pars ipsi relinquatur. v. *Ciceronem de finib. 3*.

*An sororis in prolem & consanguineos præferenda sit Gracitudo?*

De sororis in prolem & consanguineos, caritatibus scilicet quæ ad sui amorem proximè accedunt, non dissimiliter in quæstionibus de honesto statui videtur; eatenus scilicet & iisdem in casibus, Gracitudinem naturalibus istiusmodi amoribus affectibusque anteferri, quatenus & quibus in speciebus

speciebus Sui amori inter sapientes præferri solet. Necessarium enim est, ut Officia, quæ Sui amori semper postponuntur, nobilioribus etiam iis & præstantioribus postponantur Officiis, quæ Sui amori sunt potiora, inter quæ fere recensetur Gratitude. Nec solum ad sodales, sed etiam ad cognatos agnatosque, & cæteros familiares & necessarios accommodari potest, quod habet *Aristoteles de Morib. ad Nic. lib. 9. c. 2.* Καὶ τῆς εὐεργασίας ἀνταποδοτικὸν οἷς ἐστὶ τὸ πολὺ, μᾶλλον ἢ χρεϊστὸν ἐταίρῳ· καὶ οἷσπερ δύνῃσι ἢ ὀφείλοισι ἀποδοτικὸν μᾶλλον, ἢ ἐταίρῳ δοτικόν. Beneficia à quibus acceperis potius sunt referenda, quàm sodalibus gratificandum, quæ accommodandum tantum ei cui debetur reddendum est potius, quàm sodali donandum. Debita ex Gratitude, ex mutuo debitis, quæ ex fide data constant, comparat Philosophus; & sane proximè post Fidei, ordine sequi videntur Gratitude Obligationes. Superius dictis etiam consentaneum est illud *Ciceronis, de Off. 1.* 'Cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi. Demus necne in nostra potestate est: non reddere viro bono non licet, modo illud facere possit sine injuria. Confirmat etiam ampliatque illud *S. Ambrosii Offic. 1. c. 31.* 'Pulchrum est propensorem ejus haberi rationem, qui tibi aut beneficium aliquod aut munus contulit, si ipse in necessitatem incidit. Quid enim tam contra Officium est, quam non reddere quod acceperis? Nec mensura pari sed uberiori reddendum arbitror, & usum pensandum beneficii, ut tanto subvenias, quanto ejus ærumnam repellas. Etenim superiorem non esse in referendo, quam in conferendo Officium, hoc est minorem esse. Quoniam qui prior contulit, tempore superior est, humanitate prior. Unde imitanda quoque in hoc est natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatori solet numero reddere quam acceperit. Ita *S. Ambrosius.*

Ex his etiam facile ad Quæstionem responderetur, *An Gratia potius benemerito referenda, an vulgo & extraneis benefaciendum?* Dicendum enim proculdubio cum *S. Ambrosio* est. 'Propensorem ejus habendam esse rationem, qui tibi aut beneficium aliquod aut munus contulit, si ipse in necessitatem incidat, quam extranei.

Abfit tamen ut cogitemus omnia quæ vulgo fiunt ejusmodi esse beneficia, ut nefas sit iis non magna & præclara retribuere; vel ejus esse generis reputemus, quæ ab amico beneficiorum reciprocatione pensanda dixit *Aristoteles*, *etiamsi mors illi oppetenda sit*. Contingit sæpe, ut non inhonestè dicatur *ἔργον κτήμους ἔγγιστον*, & justa Sui amoris sit prælatio. Neque enim cujuslibet intuitu beneficentiz corporis statim & fortunæ projicienda sunt bona. Quid igitur dices constanter hoc in genere faciendum? Quæ certa morum regula? Unde discamus clarè quando tandem, quibusque in casibus justum esse imprimis habebitur, propter Sui amorem & ad propria servanda sibi bona, Officium retributionis seponere? Nihilne hac in re communiter dictatum reliquit Natura, ita ut singulari Oraculo ad hanc partem Officii ostendendam indigeamus? Nemo sanus ita in mentem induxerit. Novimus enim, ex vulgari regula communi hominum consensu comprobata, oportere quemque par pari referre; ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι, phrasi Apostolica & Gentili, *ἀπὸ τοῦ μέτρου ἀποδόναι*, juxta *Hesiodum*, *ἀποδοῦναι* apud *Euripidem*, & grande beneficentibus in proverbio, Ἀππυλαργίον. Cum enim (ut notat in Adagii explicatione *Erasmus*) reliqua animantia tantisper amant agnoscuntque parentes, dum eorum egent ad nutritionem opera, una Ciconia parentes senecta defessos vicissim alit, & volandi impotentes humeris gestat, amorem sic jam antè bene merentibus eadem remetiens mensurâ. Ex hoc etiam principio, si verbis antiquis fides, Ἀπτίρωσι inter *Dæmonas* suum sibi vendicavit cultum; non secus ac *Cupido*, *Nemesis*, *Mnemosyne*, cæterique à Mythologiz operam dantibus Dii facti sunt. Historia est, quòd cum *Cupido* infans parum adolesceret, *Venus Themis* Deam ea de re consuluit, quæ *Veneri* responsum tulit; *Cupidini* Ἀπτίρωσι necessarium esse, qui rependat vices, & mutuam utrinque dent operam; cui *Venus* acquiescens Ἀπτίρωσι genuit. Vide plura apud *Vincentium Bart. de Imaginibus Deorum. cap. Cupido*.

Naturalis autem Regulæ sive principii supra memorati summa videtur hæc. Eatenus bonis nostris beneficii causa & Gracitudinis impulsu cedendum esse, quatenus

amicus

amicus rebus suis nostri causa reverà cessit. Neque me ad mihi incommodandum ejus gratiâ teneri; quem temerè & gratis licet benefecerit, ad incommodum tamen suum mihi benefacere noluisse constat. Hoc enim est par referre, & eadem mensura retribuere, si quis pro vilibus vilia beneficia rependerit. Nonne dicit aliquis ex *Cicerone*, *Hesiodo*, *S. Ambrosio*, τὸ λῆϊον rependendum, nonne cumulatiùs retribuendum? Ego sanè cum *Salmasio* præceptum illud ad Fœnerationem non divertam; sed conditionem, quam attexuit *Hesiodus*, apponendam censeo: Qui eadem mensura, qua acciperis, strictè jubet reddere, τὸ λῆϊον autem illud & cumulatiùs non nisi sub conditione αἴκα δούλατ, si scil. id vales & possis præstare. Illud autem (ut dici solet) *possimus, quod salvis rebus nostris possimus*, id possumus quod res familiaris fert. Quis enim aliàs non possit res suas in alterum transferre? Neque enim suæ rectè dicerentur, nisi posset eas alienare, ut rectè in *Rhet.* advertit *Aristoteles*. Liberale planè & munificum est cumulatiùs rependere, ad Officii tamen necessariam integritatem, nisi sine incommodo fieri possit, pertinere non videtur. Unde ferè in regulam transit non contemnendam, Sui scil. amoris & affectus naturalis actus (gratitudinis respectu) eorum solummodo causâ postponendos, qui nostri causâ, ut scil. nobis benefacerent, se aliquando prolemque suam, & sanguine conjunctos, suumque proprium interesse & familiarium postposuerunt. Cæterum si quis aliunde quàm à benevolentia motus, sine damno suo tibi benefecerit, curandum est ut sine damno tuo illi retribuas æqualiter; si cum damno feceris tuo, planè Heroicum est, & supra Regulam. Rependendi enim nata impossibilitas aliàs quacunque quàm culpâ suâ factum impotentem faciet excusatum.

Hoc autem non leviter aut persuntoriè videtur animadvertendum, verissimum sinceræ benevolentiz indicem esse, voluntariam commodi sui remissionem, suique (ut phrasi utar sacrâ) abnegationem. Hinc sincerè, tanquam ex *Lydii* lapidis experimento, qualis cujusque in nos sit affectus, *quid scilum solidumq̄, crepat*, clarè distinguimus. Neque enim benevolentia ex eventu nobis

prospero semper æstimanda est. Sæpe enim inimici, volentes injuriã, ex accidenti, quibus nocere volebant, benefecerunt. Ita qui occidere voluit, aliàs mortiferum fortè ense aperuit Apostema. Mens igitur imprimis sciscitanda est: sique ex mera benevolentia, non ex casu fortuito proprium quis alterius gratiã postposuerit commodum, honorem, voluptatem, is pro benevolo reverã est censendus, eidemque gratia (etiamsi vel magni confiterit) est referenda. Durum est in gratitudine referenda justam exigere quantitatem, mensuram, & proportionem Arithmeticam; Honestum tamen est, ut ita rependatur; Heroicum, ut cumulatus. Ea autem proportio ex affectu amici seu benefactoris mensuranda est, affectus autem ex sui abnegatione. In quantum enim quisque magis alterius causã se suãque abnegavit studia, eo magis se verum esse amicum, verè benevolam comprobavit; adeoque alterum ex lege Gracitudinis, quæ par pari reddi jubet, ad similiter retribuendum obligavit.

Hujus autem judicii fundamentum, quo de affectuum sinceritate ex sui abnegationis actibus discernimus, clarè videtur à *Servatore* comprobatum. Casus extat *Marc. 12. 43, 44. Luc. 21. 1, 2, 3.* Divites in publicum Templi Gazophylacium larga injecerant symbola. Vidua quædam paupercula ex mendicitate misera, minuta tamen duo æreola, totam substantiam suam libenter etiam, observante *Servatore*, erogavit. De donorum dignitate & erogantium munificencia queritur, Divitumne, an Viduæ potior liberalitas? Respondet *Servator*, Viduæ potior esse. Divites enim non *ex necessario*, sed *ex superfluo & redundanti*, sua, quæcunque erant, conjecerunt symbola; quibus etiam collatis in nullas redacti sunt angustias. Vidua verò, etiam ex penuria sua, omnia quæ habuit (esto duo tantum fuisse æreola) totum victum suum simul & semel erogavit; seque ipsam vel ex tantillo æris impendio in extremam conjecit indigentiam, adeoque ex *Christi* Domini sententia plus præstitit Vidua, quòd, comparatis largitionibus, ipsa seipsam magis abnegavit.

Atque hæc non infima mihi videtur ratio, cur primo

à *Christo* nato sæculo, cum omnia *Christum* profitentibus imminerent mala, singulare hoc fieri spiritus, & quasi indubium in sacris Scripturis poni legimus *πρωτόγονος*, *profiteri Jesum Christum in carne venisse, atq; esse filium Dei.* 1 Joh. 4. 2. 15. Ea enim sæculi illius in *Christiana* tempestas erat, ut in judicia deducerentur, & crucis periculum incurrerent, qui *Christianam* tuebantur professionem: Quod ipsum fore præmonuit *Servator*, jus- sitque Discipulos suos, ut ad sui abnegationem semper sint parati. Et sane quicumque ea tempestate *Christum* mundi *Servatorem* venisse palam profitebantur, fortitudinis *Christiana* præstantissimum exhibuerunt testimoni- um, adeo ut inde Deum tota mente dilexisse, mundum vicisse, foras ejecisse metum dicerentur, aliaque ejusmo- di passim nati sint præclara magni animi & sinceri in omnem religionem affectus testimonia. Mutato verò rerum statu, cumque jam tuta & utilis hujusmodi redda- tur professio, si quis ex hoc solummodo caractere se ex- cuserit, atque inde se omnibus fidei & obedientiæ *Christiane* partibus satisfecisse existimet, quòd *Christum* in carne venisse, absq; omni suæ abnegatione, fuerit pro- fessus, miserè sibi & conscientiæ suæ fucum fecerit.

**Num. 5. An Proles desiderio Sui Amor præponendus sit? Ubi quaritur etiam ulterius, An Amori Consanguineorum aliorumve necessariorum, sive etiam Extraneorum, φιλαυτία sit præferenda?**

Quamvis Natura ipsa homines liberorum procreationi aptos fecerit pronosque, non tamen ita misere proletarios, ut liberorum generandorum atque educandorum causâ nostri statim obliviscendum sit, aut cura seponenda. Secus si haberet res, quamprimum vir quispiam mulieri matu- rus est, fœminave nubilis, contra naturam peccarent, si non legitimas sollicitarent nuptias, aut aliud ambirent conjunctionis genus procreandi causa. Notum tamen est  
maximam



maximam hominum partem nihil honestius cogitare, quàm aut protrahere & differre conjugia, aut forte iis omnino abstinere. Quotusquisque est hominum, qui prima juventutis lanugine, & cum primum ad faciendam progeniem naturaliter est idoneus, cupiditatibus indulget, & promptum se præstat Venere mancipium? Neque alia morz redditur vulgo ratio, quàm ex prudentia quæ sibi sapit; eum scil. esse aut corporis aut rei familiaris statum, id singulare ingenium aut compositi *ιδιοσυγκρασίας*, ut sine molestia liberorum quæcunque procreatio nondum commode admitti possit. Neque iustior ulla abstinentiæ censetur istiusmodi causa, quàm Sui amor & cura: ita ut nullus restet dubitandi locus *φιλαυτίας* *φιλοτιμίας* esse potiorum. Quid? Nonne & Apostolus omnimodam continentiam à Venere hoc unico ab amore Sui traducto argumento videtur persuadere? *I Cor. 7. Omnes, inquit, homines volo esse sicut ipse sum. v. 7. id est, sine anxietate animi, sine curis & molestia. Nupti enim afflictionem in carne habent. v. 28.* Multas perferre coguntur in procuranda re familiari molestias. Maluit Apostolus suos absque sollicitudine esse *Corinthios*, quod in nuptiis non ita facile contingit. Necessarium est, ut *qui ducit uxorem, sollicitus sit de rebus quæ sunt mundi.* Ita ipsius Apostoli iudicio nulla progeniei obferit cura, quin quisque poterit, vel protrahendo vel recusando Nuptias, propriæ tranquillitati & quieti consulere.

Missis facio alia argumenta ad communem hanc probandam prolepsin. Quale illud, Neminem usquam in rationalium genere extitisse, qui tantisper prolis seponere studium inhonestum censuit, donec nuptiis abstinere sanitatis suæ interesse censeret. Posset forte parenti carior esse aliquando filii quàm propria ipsius vita. Sunt enim qui, repleti vita, senectutis aut morborum impatientes, quod superest spiritus libenter profuderint, multo magis propter liberorum utilitatem fructuosè expenderent. Quis vero parentem improbitatis notaverit, si quis eà in prolem caritate destituatur? Neque enim si alterum sibi erui oculum singulari exemplo passus sit *Zalencus*, ne utroque careret filius, iustitiam hoc à se exegisse

exegisse aut pater ipse *Zaleucus*, aut alius usquam censuit. Verum, quod jure potuit, gnato indulgit clementer, quod nec exigere certe, nec forte sperare poterat filius, nec beneficentiam suam nimis arctis juris Naturæ vinculis voluit coarctari. Frustra hac in re plura. Historiam saltem de naufrago non omittam, qui in alto mari cum bina prole sibi appensa ad littus mare contenderat: Quid fit? Iubenter cupidèque sustinet, donec tandem tanto oneri se imparem persentisceret parens, tum demum filiorum alterum humero obnixè inhzrentem decutit; & viso quod ipse de vita adhuc periclitaretur, similem utrique sortem, sui tutelam præferens, dimensus est. Quique magis soboli quàm sibi ipsis indulgere visi sunt, sui serè causa id factitasse censentur, ne scil. ipsi *αἰσῆς*, *ἀπυθείας* memorià aliquando nomineque (quæ permagna vulgo censentur bona) post mortem prole extincta careant.

His ita conclusis, licere scil. sui causâ, & ad proprium promovendum commodum, patronorum aliorumque benefactorum, imò & prolis ipsius aliquando curam seponere, quo ordine extranei & sanguine disjunctiores sint habendi, nulla amplius movebitur quæstio. Sibi enim & proli (si cætera sint paria) semper posthabentur consanguinei, consanguineis extranei. Multa enim sunt quæ consanguineis, aut sanguine disjunctis, aliàs turpiter denegarentur, quæ tamen propriâ suadente utilitate non turpiter denegamus.

## Num. 6. *Innocentia, an Gratitude præferenda?*

Quæritur ulterius (comparatis inter se ad Innocentiã & Gratitude Obligationibus) Annon lædendus alter, si, nisi eo læso, non possint gratiæ bene à nobis merentibus referri? Resp. Nihilominus non lædendum. Obligationi enim, quæ ex jure Naturæ descendit, sufficit benevolentia gratia, cum benefaciendo retribuere quis possit bene merito absque omni innocentium detrimento.

Debetur

Debemus sanè bene à nobis merentibus gratias. Qui referre noluit, *ὄφρα δὲ δέχεται*. At præstare omnia beneficia, atque univèrsim, non tenemur. Hoc autem fundamento posito, quod rectè sentientibus persuadet Natura ipsa, neminem ad beneficio retribuendum teneri, nisi quem penes fuerit absque innocentium detrimento beneficium referre, nulli planè occurrent casus hac in parte sibi invicem repugnantes. Neque unquam eveniet, ut *Tisim* necessario in Gracitudinem aut Innocentiam peccet. Ingratus enim juxta Hypothèsim non est, qui non retribuit, cum retribuere sine alterius noxa non possit.

Unicuique incumbit, ut grato animo sit erga beneficium. Grati verò animi signa tantisper licet differre, donec sine injuria quisque possit se gratum ostendere. Injurius est qui perseverat in injustitia, puta si debitum non solverit. Sed neque debitum naturà est, neque solvendum indebitum, donec possit tandem sine injuria solvi. In signum Gracitudinis cultores Dei sub utroque fœdere offerre solebant sacrificia Creatori, & Servatori Deo. Verum cum simul & semel duobus Officiis atque incumbere sit impossibile, quæritur utri prius sit insistendum? An ostendenda prius, quæ Deus jure postulat, grati animi tecmeria? An læso fratri satisfaciendum de contumelia aut damno dato, quod munus ad innocentiam spectat resarciendam? Respondet Servator, 'Si munus tuum attuleris ad Altare, & illic memineris fratrem tuum habere aliquid contra te [causam scil. movendi in te de illata illi injuria litem] 'omitte illic munus tuum coram altari, & abi, primum reconciliator fratri tuo, & tunc ubi veneris, offer munus tuum. *Mat. v. 28. 24.* Quod si etiàm Divino jure damna vicino facta prius sunt resarcienda, quàm Gracia summo Deo pro infinitis beneficiis reddi debeat, certè Gracia homini cui-cunque debita nulla ratione Innocentiæ videbitur præferenda. Huc etiàm spectat quod à *Musonio* non ignobili inter Ethicos veteres. Philosopho responsum est. 'Nemo, *inquit*, illum inobedientem appellaverit, qui patrem avarum habens, ab eo furari, aut deposito fraudare quempiam jussus, non exequitur mandata. Annon putas aliquos esse patres, qui filiis suis talia imperent?

' Ego certè quendam novi adeo sceleratum, ut filii, quem  
 ' formosum habebat, pulchritudinem vendere ausus  
 ' fuerit. Quod si hic adolescentulus à patre venditus, &  
 ' missus ad turpe facinus contradixerit, neque iverit, An  
 ' potius eum inobedientem, an castum & sobrium esse  
 ' dicemus? Itaque sive Patris, sive Magistratus, seu  
 ' Domini præceptis quis non obsequens fuerit, nequa-  
 ' quam inobediens est; uti etiam neque injustè, neq;  
 ' perperam facit. Verum ille duntaxat immoriger est,  
 ' qui bene, honesteque, utiliterque imperata negligit, &  
 ' non obtemperat. Quamobrem & parentibus suis tum  
 ' demum aliquis obedit, cum sponte facit quæ ipsi rectè  
 ' jusserint. Ita *Musonius* apud *Stobæum*, v, 77. *Hy-*  
*permetra*, in cæteris jussa parentis præstare paratissima,  
 in mandato tamen de marito jugulando patri non ob-  
 temperare maluit. Hanc *Ovidius* in *Epistolis* sic inducit  
 perorantem.

*Esse ream præstat, quam sic placuisse parenti.*

*Non piget immunes cadis habere manus.*

*Me pater igne licet, quem non violavimus, urat,*

*Quæq; aderant sacris, tendat in ora faces;*

*Aut illo jugulet, quem non bene tradidit, ense;*

*Ut qua non cecidit vir nece, nupta cadam.*

*Non tamen, ut dicant morientia, PÆNITET, ora,*

*Efficiet. &c. in Epist. ad Linum.*

Laudatur etiam illud *Apollonii Tyanæi* apud *Eusebium*,  
*Prepar. Evang. lib. 4. cap. 14.* 'Ο δὲ δούλιον ἀμωβλὼν τὸ εὐερ-  
 γασίας καὶ τὸ εὐνοίας ἀντάξιον ἀποδίδει, ἕκ ἐκ τῶν κακῶν τῶνα  
 δρᾶν ὁρῶμαι ταῦτα παρέχον. 'Quicumque justam beneficii  
 ' vicem, & merito parem ex æquo rependit, eum oportet  
 ' non ex illata alteri injuria hoc præstare. *Cicero* simili-  
 ' ter *de Off. 1.* 'Multi, inquit, sunt, qui cupidi splendo-  
 ' ris & gloriæ, eripiunt aliis quod aliis largiantur. Hiq;  
 ' arbitrantur se beneficos in amicos suos visum, iri, si lo-  
 ' cupletent eos quacunque ratione. Id autem tantum  
 ' abest ab Officio, ut nihil possit esse Officio magis con-  
 ' trarium. Videndum igitur, ut ea liberalitate utamur  
 ' quæ profit amicis, noceat nemini. *Quære L. Syl-*  
 ' *le & Caii Casaris* pecuniarum translatio à justis Dominis  
 ' ad alienos non debet liberalis videri.

**Num. 7. Annon ledendus alter, ut aliis  
benefiat, vel liberis, vel consanguineis,  
vel ignotis.**

Rectissime videtur à *Cicerone* dictum, ' Qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia ac si ipsi in rem suam alienam convertant. *Off. 1.* Et proinde sive liberi, sive cognati agnate, sive etiam ignoti & non necessarii sint, in confesso est minorem esse & potteriore ad eos, quàm ad nosmet ipsos, Obligationem. Si igitur in procurando cognati agnate, vel etiam ignoti & extranei bono, quis alteri nocuerit, non minus peccat contra naturalem æquitatem, quàm si sui causa tantundem faceret.

**Num. 8. Quod fides quomodocunque data  
contra expressum aliquod Naturæ dictamen,  
nulla ratione obligare quenquam  
possit.**

Hoc sine controversia Naturæ est interdictum, ne quid paciscamur directè contra quæcunque ipsius placita: si quid ita pactum fuerit, ne ratum habeamus. Si quis igitur promiserit se dehinc injuriis daturum operam, se ingratum aut fœdisfragum fore, sui curam omnino sepositurum, *æsoqꝝ* se præstiturum, vel inhumanum; inutiliter sanè promittit, vovitque: Neque poterit se quibuscumq; promissis votisque ad hujusmodi exequenda promissa obligare. Quid enim cogitari ineptius, aut rationi omni incongruentius, quàm à Deo Naturæ conditore leges ita dari, ut facillime per istiusmodi voluntaria promissa perimi plane possint, & penitus abrogari? In hujusmodi errorem incidisse *Judaorum* Doctores queritur *Servator*, indeque corrupto fuisse iudicio isthoc ostendit exemplo. ' *Deus, inquit, sic præcepit, Honora patrem tuum & matrem; Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri* ' aut

\* aut matri, Donum est, quocunque à me juvari poteris ;  
 \* Liber evadet à præcepto, neque opus erit ut patrem ma-  
 \* tremve honoret. Ita irritum fecistis mandatum Dei  
 \* per Traditiones vestras. Vide *Matth. 15. Marc. 7.* ubi  
 absurdæ Seniores arrogantiz arguit, quod obligationem  
 Divinz legis ex voluntate sua pendere facerent, & penes  
 se esse ex mera oris sui autoritate Divini oris mandata  
 tollere. Formulæ hujusmodi, quod *Corban* dixere Vete-  
 res, apud *Grotium* in notatis ad *Matth. 15.* extant tales.  
 1. *Quicquid paravero, de illo non comedet pater meus quic-*  
*quam.* Ex Codice *Nedarimo, & Maimonide.* 2. *Sacrum*  
*erit quicquid paravero in futuro ad os patris.* Ex libro  
*Caph. Nacal.* 3. *Quicquid paravero, patri meo sacratum*  
*esto: Qui sic vovit, non potest irritum facere votum, ex R.*  
*Nissim.* \* Frequens enim fuit [ sic ibidem doctus Annota-  
 tor ] \* *Judæis, ut non tantum voto, sed & Jurejurando*  
 \* se obstringerent, ne huic aut illi benefacerent. Quod  
 \* tum ex Ebræorum magistris discimus, tum à *Philone,*  
 \* cujus hæc verba sunt notatu ad hanc rem digna. *Ἐισὶ δὲ*  
*οἱ ἴθρβον ἀμικλοὶ καὶ ἀκοινῶντες δι' ἰσθρβολῶ μισανθροπίας γρο-*  
*νότες, ἢ καὶ ἰσθρβῆς οἷα χαλεπῆς διασίνης ἐκβιασθέντες ὄρκω*  
*ἢ ἀχρίπτα πενήλαι ἢ ἠθῶν, οἵτινες ἢ φάσιν ὁμοπράττοι ἢ*  
*ὁμοεργῶν ἔχον ἢ δῖνα, ἢ πάλιν πρὸς ΔΕΙΨΝΙΜΗ' ΡΕ'Ξ-*  
*ΞΙΝ' ὈΦΕΛΕΙΑΝ τινὰ, ἢ παρ' ἐκείνου τινὰ λυψιδῶ καὶ*  
*μέχρι τολῶπης.* \* Quod si is qui tale votum nuncup. flet,  
 \* postea immutatâ voluntate, largiri aliquid vellet πρὸς δέον,  
 \* Sacerdotes (quorum magna pars erant *Pharisæi*) rem ex  
 \* Voti lege ærario vindicabant. Notabile est quod *Tyrîi,*  
 \* cum vetarent πρὸς ξενικὸς ὄρκους, speciatim nominârunt  
 \* ἢ ὄρκων κελύμνων *Κόρβαν.* Ita *Grotius.* Doctissimus eti-  
 am *Sanderfonius* noster *Lincolniensis,* quid de hujusmodi  
 Votis, Juramentis, vel Fide quoquo modo pactâ, quæ  
 talem contineat causam, rectum judicaverit, late expli-  
 cat, de *Juramenti Obligatione, Prælect. 3. §. 7.* \* Pluri-  
 \* mos, inquit, videas, quos nulla Officii conscientia ad  
 \* recte agendum compulerit ; Juramenti tamen religionē  
 ita (a) constrictos teneri, ut quod malo consilio juratum

(a) Sæpe pleriq; constringunt se Jurisjurandi sacramento, ut cum ipsi cogitaverunt promittendum non fuisse, sacramenti contemplatione faciunt quod sponderunt. *Ambros. 1. de Off. 12.*

' est, ad ipsum implendum se pessimo errore (b) putent  
 ' obligatos. Atqui apertâ ratione constat, nec rei illicitæ,  
 ' quatenus illicita est, ullam esse obligationem, nec rem  
 ' malam ullam vim accipere à Juramento. Et *Secl.* 8. ' Si,  
 ' *inquit*, quis juraret occidere patrem, natum infantem  
 ' exponere, adulteram dictis loco & hora convenire, aut  
 ' cum aliis conjuraret in societatem furti, latrocinii, frau-  
 ' dis, aut alterius cujusvis, quæ sunt peccata Admissionis:  
 ' vel si juraret patrem senem & egenum non alere, pau-  
 ' peribus Eleemosynas non erogare, &c. quæ sunt pecca-  
 ' ta Omissionis adversus præcepta secundæ Tabulæ: In  
 ' his & hujusmodi rebus simpliciter & universim illicitis,  
 ' ex omnium consensu simpliciter & universim obtinet  
 ' Hypothesis, *Nullam esse posse ex Voto, Promisso, Jura-*  
 ' *mento, vel aliunde Obligationem.* Hujusmodi pacta,  
 ' vota, promissa, turpem proculdubio causam continent,  
 ' contraque bonos mores sunt: & majori improbitate &  
 ' turpitudine sunt conjuncta, quàm quæ vulgo in jure *con-*  
 ' *tra bonos mores & turpem causam continentia* dicuntur pa-  
 ' cta; quæ tamen respondent Jurisprudentes nullo modo  
 ' esse observanda. *l. i. summo. 17. ff. de pactis. §. 4. & l. alia.*  
 ' *14. §. 1. de solut. Marri.* Elegans sane in hac causa spe-  
 ' cies ab ipso Imp. Justiniano proponitur, *Novella 51. Lex*  
 ' *interdixit, Nulli licentiam esse in scena detentas mulieres fide-*  
 ' *jussores exigere, quod observabunt & complebunt impiam*  
 ' *operationem, Invenerunt deinde aliam viam ad impieta-*  
 ' *tem deducentem; Jusjurandum enim exigebant, quod*  
 ' *punquam ab impia illa & turpi operatione cessabunt.* Mulie-  
 ' res autem existentes miseræ, & sic male seductæ, piè age-  
 ' re se putabant si impiè egerint, & juramenti custodiendi  
 ' causa suam prostituerint castitatem. Rescribit igitur  
 ' Imperator oportere eas agnoscere, quod hujusmodi ju-  
 ' risjurandi transgressiones magis placent Deo, quàm ob-  
 ' servationes. Non enim, si quis ab aliquo jusjurandum  
 ' acceperit, *quod occidet, aut adulterabitur,* aut aliquid aget  
 ' tale, illicitum oportet servari jusjurandum; utpote cum  
 ' sit turpe, & illicitum, & ad perditionem ducens. Ideo

(b) Et juravit illicite, & perseveravit injuste. Bern. epist. 219.  
 Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. 22x. q. 4. c. in malis.

liceat mulieri, quamvis hujusmodi jusjurandum juraverit, recedere à jurisjurandi hujus amaritudine, & castè vivere sine periculo perjurii. Deinde irrogat pœnam decem librarum in hujusmodi juramentum exigentem aut accipientem. Imò notum jus, non commissi ab eo perjurium, qui ab infami juramento recedit. Θεολογία ἡ ἀληθινή, ἡ δὲ δικαία προλαμβάνουσα φιλοστοιμίᾳ, ἐκ ἀρχαίων ἡ ἀδελφότης. Halic. xi.

Imò leges ipsæ, quarum vigor in conventionem, consensu, & pacto Civium plurimum constat, contra præcepta Naturæ rationalis, sive summi numinis factæ, nihil valent, nec pariunt quamcunque Obligationem. Juxta quod in legibus terræ *Anglicana* vetustioribus, Jureconfulti nostrates jam diu statuerunt: ‘Si qua, inquit, reperta sit consuetudo quæcunque generalis, vel si etiam Statutum [id est, constitutio auctoritate Regis, Procerum, & Plebis fulcita] ‘sanciat legi Dei repugnans; puta, si ‘cautum sit, ne quis Eleemosynam quomodocunq; indigentibus erogaret; Statutum illud sive Constitutio ‘nulla est. *Doctor & Student. lib. i. c. 6.*

## Num. 9. An Fides Innocentia preferenda?

Promissis quibuscunque potius abrenunciare, quam innocentem lædere, Naturæ (sive Dei, qui naturam condidit) videtur in hominum cordibus esse rescriptum. Quis conspirationis *Catilinana* impietatis notasset correos, aut quoquo modo iis imputasset, si à tam immani facinore, etiam post fidem datam descivissent, & *Catilinam* factorem factoremque tanti sceleris reliquissent destitutum? Si quem *Judeorum*, qui in vitam *S. Pauli* conjurati narrantur (*Act. 23. 21.*) pœnituisse instituti, nec sanguine innocentis Apostoli manus pollui sustinuisse, An hoc illi vitio vertendum, quod tandem respuisset, ulteriusque uti parricidarum machinationibus recusasset? Impiumne aliquando censebitur fidem latronibus confederatam rescindere? Nemo sic sensit usquam. Adeoque communi hominum judicio hoc videtur paradoxum dogma



ma, ut etiam Patrono careat. Nec interest, an qui fidem dederit, ante eam initam sciverit vel non sciverit præstationi ejus consecuturam esse injuriam. Posteriori in specie damnatur *Herodis* Tetrarchæ facinus. Cujus historiam exhibet *Matthæi. cap. 14.* Tetrarcha Saltatriculæ, ex fratre nēpti, gratiam facturus, juravit se ei daturum quicquid peteret: Petiit illa rem iniquissimam, hominis innocentis & indemnati amputatum in patina caput: Rex fieri jussit, *Ἰδὲ τὸ ἕξος, ἔ, τὸ Κωμανουδῆς.* ‘Elto, *jubet Sanderfonus,* hoc nobis exemplum in cautelam, & meminerimus Juramentum sic indefinitè prolatum, cum sua justa exceptione semper esse intelligendum. Atque huc spectare videtur quod dicit *Cicero, Off. 1.* ‘Incidere tempora cum reddere depositum, & facere promissum, indignum justo homine sit; quæque pertinent ad Veritatem & Fidem, ea interdum negare & non servare sit justum. ‘Decere enim referri *aut ad ea fundamenta Justitiæ,* ut ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati serviatur. Ubi illud fundamentum, *ne cui noceatur,* prius & superius Officium in sublimi statuit, ita ut ab eo principio per fidem datam nihil possit nec debeat derogari.

## Num. 10. An Fides Gratiitudini præferenda?

Imprimis hoc à Natura censuimus præcipi, ne quis paciscatur quicquam directè contra Naturæ placitum quodcunque; adeoque servari non oportebit hujusmodi pactum; *Hoc si modo mihi dederis, fecerisve, quamvis in posterum facile potero me gratum parenti meo exhibere; nullus tamen me gratum exhibebo.*

Sin verò ita ineatur, ut pacto insequatur hujusmodi indigentia vel impotentia quæcunque, quæ impedimentum est, ne gratias possim bene merito retribuere, Aut illa provideri potuit, aut non potuit Indigentia: Si non potuit præcaveri, vis divina est; ipsaque præcavendi impossibilitas à peccato Ingratitudinis excusabit; adeoque ad fidem ex pacto præstandam constabit Obligatio, a<sup>u</sup>lque

atque Gratiudinis eliciendi alia captanda erit occasio. Si Impotentia possit incidens præcaveri, peccavit paciscens, quod præ negligentia sua eo devenit res, ne possit omnibus Naturæ placitis per se satisfieri; permanet nihilominus Obligatio ad fidem juxta exigentiam pacti præstandam. Ratio, cur credam constare adhuc Obligationem, hæc est. Quod in omnibus (quantum ex historia assequor) gentibus habentur ratæ, quæ etiam his consequentibus sunt conventiones; neque exceptiones hujusmodi opponi uspiam legimus. *Non debeo quod pactus sum præstare, quoniam præstando quod pepigi, & liberando ex conventionem fidem, consequens esset patrem meum aut amicum indigere.* Certè hujus alicubi in Natura extaret exceptionis vestigium, si beneficia amicorum conventiones bona fide natas irritas redderent.

Sed quomodo, inquires, peccato liberabitur, qui suam ita diminuit potentiam, ne possit se gratum exhibere? Resp. Non per violationem juris illius hominis, qui cum paciscenti bona fide contraxit (neque enim illi incumberebat malas ex altera parte secum contrahenti incidentes perpendere consequentias) sed per satisfactionem, si fieri possit, vel aliàs procuratâ remissione. Sin minus hæc successerint, peccato ex negligentia orto adhuc continebitur.

Sed conclusioni plenius firmandæ Ciceronis (ut soleo) sententiam attexere modo non gravabor. 'Neque, inquit, contra fidem amici sui causâ vir bonus facit. Ne si judex quidem erit de ipso amico: ponit enim personam amici cum induit iudicis. Tantum dabit Amicitiz, ut veram esse amici causam malit, ut perorandæ litæ tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum verò jurato dicenda sententia sit, meminerit Deum se adhibere testem. Itaque præclarum à majoribus accepimus morem rogandi Judices, si eum teneremus, quæ salvâ fide facere possit. Hæc rogatio ad ea pertinet, quæ paulo ante dixi: *Honestâ amico à Judice posse concedi.* Nam si omnia faciendâ sint quæ amici velint, non Amicitiz tales, sed Conjuraciones putandæ sunt. Cum autem in Amicitia, quæ honesta non sunt, postulabuntur; Religio & Fides anteponantur Amicitiz; & sic habebitur is, quem requirimus, delectus Officii.

Num.

## Num. II. An sui Amori preferenda sit Fides?

Sui amori postposita pacta nihil planè valere poterunt, nulli in vita communi usui inservire; cum ex isthac Hypothesi post pactam etiam fidem, quisque ea libertate in procurandis rebus suis atque explendis desideriis uti adhuc possit, qua ante pactam fidem uti poterat. Neque deesse cuiquam poterit, qua à contractu liberetur, exceptio, si contra dixisse sufficiat, res nostras, utilitatem nostram, honorem, vel voluptates nostras aliter postulare, vel in summam, aliter nobis placere. Non reddam, inquiet *Titium*, mutuum, quia usui mihi erit, si non reddatur. Pretium tibi pro empto nolo numerare, pecunia enim mihi opus est. Forte etiam divitiis tuis inhio, retinendis dilector. Servare modo fidem incommodum est; atqui, ex nova hypothesi, commodis cedere oportet fidem. Longè rectius in definiendo honesto ab antiquis etiam Paganis est iudicatum. 'Fides [ut suprà ex *Seneca*] 'nullo corrumpitur præmio: Ure, inquit, cæde, occide, non prodam. *Epist.* 88. 'Ad *Carthaginem* rediit *Regulus*, cum neque ignorabat se ad crudelissimum hostem atque exquisita supplicia proficisci; quòd fidem servandam putabant. *Cicero Offic.* 3. Et de Germanis proditum est, eos vincula servitutemque pati potius, quàm fidei violationem. Similiter *Marcus Antoninus* Imp. præcipit. Μὴ τιμῆσιν ποτε αἰς συμβόλαιον αὐτῶν ἐδραγῆσον ἢ ποτε ἢ πίστιν ἐδραγῆσαι, τὸν αἰδῶ ἰσχυροτατικῶν. κλ.

'Nihil unquam in pretio pro re tibi utili habeas, quòd eo te adigat, ut fidem fallas, modestiam deseras, &c. *lib.* 3. 7. *Sanderfonus prælect.* 2. *sect.* 3. *de Juramenti Obligatione*, in illud *Psalmi* 15. *Quis habitabit in Tabernaculo Domini?* Resp. *Qui juravit in malum, & non mutabit:* 'id est, inquit, Qui postquam se juramento obligavit, maluit vel cum magno suo damno præstare quòd juravit, quàm alicujus temporalis commodi intuitu datam fidem violare. Quibus & consonum est illud *Iustini Martyris, Apol.* 2. Ἐκ οὐρίας, inquit,

quit, ἡ ἀρετὴ καὶ ἀπὸ τῆς ἐλευθερίας τῆς ψυχῆς, πρὸ φιλαλήθης, καὶ ἰσχυρῆς ἀπείληται τὰ δίκαια λέγειν καὶ ἀρετῶν, ἀρῆσαι δὲ. Si tandem quærat, quomodo verum sit quod dici solet, *Caritatem bene ordinatam à seipso incipere*; si Fidei servandæ & Innocentiæ præceptis nostri amorem postponamus? Resp. Proverbium illud imprimis & proprie dici de voluntaria rerum nostrarum bonorumque, sed iusta prudentique administratione; quæ nostrum aliquis propriam suam & privatam rem, vel intra vel extra familiarum ambitum sapienter & ordinatè distribuit & disponit. In ea autem bonorum suorum dispositione rectissimum est, ut quisque *incipiat à seipso*; seque existimet sibi conjunctissimum; deinde consequens est, ut post se quisque liberos suos amet, eosque proxime respiciat, plusque diligat, quàm recto ordine cæteros consanguineos; consanguineos magis diligat quàm cæteros cives, cives magis quàm externos, homines externos plus quàm cætera animantia.

Sanus autem isti Proverbio alius est sensus; qualem apponit S. *Augustinus* dicto illi Theologorum, *Miserere anima tuæ placens Deo*. Sui enim miseretur, atque in se caritatem exercet, sibi scil. optimè consultit, qui innocentiam suam & fidem tuetur; qui rectè factorum conscientiam (summum scil. in hac vita bonum) externis quibuscunque vitæ commodis atque emolumentis prætulit. *Aristoteles* summus sanè Philosophus similiter (ut paulò supra *num. 4.* ostendimus) hoc Problema solvit; sed prior sensus sufficit; & revera videtur genuinus.

## Num. 12. *An Caritati in prolem, consanguineos; & externos, præferenda sit Fides?*

Si Fides (ut proximo supra articulo exposuimus) Sui amori præferenda sit, multo magis caritati in prolem, aut in vulgus, anteferri debet; neque à quopiam (quantum scio) extat quicquam hac in re controversum. Vide tamen infra *num. 14.* ubi de Ordine Caritatis in con-

sanguineos quaeritur, & offenditur ex more Romanorum Pupillos, Clientes, Hospitesque, propter fidem datam Consanguineis esse praetatos.

**Num. 13.** *Quid in iis casibus agendum sit, cum per fidem minus strictè ex articulis contractus servatam, nulla contrahentibus noxa fiat, nullum contingat damnum aut praedudicium; contra ex contractu strictè observato in Gratitude[m] nostram, vel ceteras caritates aliàs debitas, videamur impingere?*

Respondeo in casibus omnibus istiusmodi, ubi ex promissis minus strictè observatis praesumitur non admitti noxam, nec damnum inferri vel praedudicium, agi debere cum contrahenti, ut consentiat ad rescindendam bonam gratiam, sive ex mutuo consensu, fidem, & prius factam tollendam conventionem. Quem etiam credibile est acta omnia istiusmodi, quae sui nihil interfunt, non difficulter remissurum. Imò sanè contra Naturam peccaverit (quae jubet ut alii aliis mutuo, ubi sine incommodo poterimus, in rebus scilicet indifferentibus & molestiam non creantibus, inserviamus invicem) si remittere contractus obligationem iis rerum circumstantiis detrectaret.

Verum non ita nimium faciles simus oportet in hac praesumptione non admitti noxam, vel laesionem aut praedudicium inferri. Sanè unusquisque quid suam interest optimè dignoscere rectè judicatur; adeoque an remittenda sit Obligatio, vel non remittenda, qua quis sibi devincitur, rectissime discernere. Ita ut nihil consultius esse possit, quam ab eo ipso remissionem concessam expectare, etiam proprio consensu obligatam, nisi ex firmissimis rationibus praesumatur.

Nec alia ratione *Ciceronis* illud admisto, *Off. 1.* ubi dicit,

dicit ea non servanda esse promissa, que tibi magis sunt inuicilia, quàm ei cui promiseris commoda. Ita quippe interpretor. Non statim esse servanda, verum agendum imprimis de remissione, ut si quo modo fieri possit ad æqualitatem (ut aiunt Jcti) omnia reducantur. Neque enim, nisi interpositâ remissione, aut natâ facti impossibilitate, aliàs quàm solutione debiti, tolli ex pacto obligationem adhuc constat.

**Num. 14. Caritas in Consanguineos a prole diversos, quo ordine inter cætera Officia ex Naturæ placitis præferenda sit? Quem locum in ordine Officiorum tenebant Pupilli & Clientes jure Romanorum.**

Si amor liberorum & à liberis descendentiùm naturaliter hoc in consanguineos Officium postponatur, iis etiam quæ amor liberorum priora potioraque sunt, Officium illud in consanguineos postponi necesse est.

In hoc autem non Jureconsulti solum (quod tamen hi omnes ore uno consentunt) sed & tota consentit hominum, quantum scio, natio, & usus rerum publicarum confirmat, Consanguineos Proli, descendenti scil. à stirpe lineæ debere, natura instigante, posthaberi. Testimonia supra huic Hypothesi inserta, quæ astruendæ hujus Obligationis existentia inserviunt, ordinem etiam modo positum naturali hominùm rationi esse consentaneum, uberrimè demonstrant. Præponi autem vulgari caritati eam in propinquos inde claret, quod aliàs in nihilum hæc redigeretur Obligatio. Cognati enim si posthabendi fuerint, vel simul eodemque ordine cum externis ignotisque censerentur, nullum peculiare jus, nullum sanguinis remanebit privilegium. In successibus autem ab intestato apud *Græcos, Romanos, & omnes* perquæ gentes, potior est, semperque ab antiquo fuit, consanguineorum etiam non à stirpe recta descendentiùm,

quàm externorum & vulgi conditio. Consanguineos autem appello propinquos ejusdem sanguinis.

Aliae etiam quaedam erant jure *Romanorum* antiquo necessitudines, praeter eas quae inter parentes, liberos, & sanguinis propinquos intercedebant; quae tamen propter Fidem mutuo datam acceptamque (non simpliciter, & ex singulari Naturae lege) consanguinitate habebantur potiores. Unde Pupillis & Clientibus, fidei suae commissis, Tutores & Patroni magis quàm cognatis solebant prospicere. Hujusmodi autem (quae ascitae sunt, non à Natura profectae Obligationes) exemplum non inficetum proponit *Gellius*, *Noct. Attic. lib. 5. cap. 13.* ‘Seniorum, inquit, hominum & *Romae* Nobilium, atque in morum disciplinarumque veterum doctrina & memoria praestantium, disceptatio quaedam fuit de gradu atque ordine Officiorum. Cùmque quaereretur, Quibus nos ea prioribus potioribusque facere oporteret, si necesse esset in opera danda faciendoque Officio alios aliis anteferre? Conveniebat facile, constabatque ex moribus populi *Romani*, primum juxta parentes locum tenere Pupillos debere, fidei tutelaeque nostrae creditos; secundum eos, proximum locum Clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumque nostrum dederunt; tum in tertio loco esse hospites; postea esse cognatos. Haec autem cum ex fide data fluxerint Officia, non novum cudunt principium, sed solum ostendunt Officia ex fide data natis ex amore consanguineorum, quod & supra ostendimus, esse potiora.

### Num. 15. *An Proli prae ignotis benefaciendum?*

Quod talis in filios *σπυρν*, quae facile eos vulgo & externis praeferat ab omnibus universim hominibus, ut maxime naturalis atque honestissima proberetur, nemo adhuc dubitare visus est: Idemque, si tanti esset, ex usu successionum ab intestato & testimoniis supra citatis possit confirmari. ‘Optimè, inquit *Cicero*, *de Off. 1.* societas hominum conjunctioque servabitur, si ut quisque erit con-

conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferatur.

**Num. 16. An Vulgaris Caritas, seu Liberalitas in externos, Philantia postponenda?**

Caritatem in externos postponi debere Sui amori intelligi satis potest ex addita ubique limitatione, *Communandum scil. esse in iis qua accipienti sunt utilia, danti non molesta, atque ex illis typis, comparationibus, atque instantiis, quibus solet hæc caritas exprimi: cum perinde esse dicitur atque lumen dare de lumine, non prohibere aquam profluentem, erranti monstrare viam, &c.*

---

C A P.



## C A P. X I.

De comparatione Officiorum singularium  
sub eodem capite, sive ex eodem  
Placito Promanantium.

**Num. 1.** *Sub eodem capite necessariam esse Officiorum comparationem Placitum de Innocentia primum, quartumque de nostri Amore tuendis, nullas exhibere comparationum species.*

**N**ON solum diversi nominis atque ordinis Officia inter se mutuo poterunt comparari, sed etiam sub eodem capite sæpe necessaria est hujusmodi comparatio. Veluti cum quaeritur, positis variis varii generis passionibus: Ultra potior & prius servanda, si simul omnes servari non poterunt? Cui Benefactori prius par referendum? Cui filio filiaeve plus, priusve conferendum? Inter cognatos, aut alios indigentes, cujus potior habenda conditio? Primum sane, *de Innocentia ad Innocentes extendenda*, quartumque, *de nostri amore*, nullam videntur pati inter se comparationem. Ad primum enim quod attinet: Qui nemini nocere, qui nec *Titium* nec *Mavium* laedere debet, frustra cui parcendum magis, aut uter alteri sit praefendus, quaerit. Neque dicat quis contingere posse, ut impossibile sit aliter fieri, quam ut a me vel *Titium* vel *Mavium* laedatur. Cui enim in proclivi est mori potius quam facere injuriam, certo poterit procurare ne quenquam omnino laedat innocentem.

Quod

Quod ad quartum spectat, cum personæ singulares nullam patientur cum seipsis comparationem, cum de Sui amore questio instituitur, nullo modo fieri potest comparatio. Quis enim rationem cognovit, qua quis seipsum sibi vel anteferre poterit, vel posthabere?

**NUM. 2. Comparatio Officiorum sub Placito de Fide servanda, ubi ostenditur pactiones tempore priores jure esse potiores, sicut & priora Juramenta. Tam Pacta quam Juramenta habere vim constructivam tantum, non destructivam; adeoque prius jus per Pactum vel Juramentum alterius non tolli. Unde neque Pactio neque Juramentum Civili Juri contrarium valet. Quod plurimis probatur exemplis & instantiis.**

In comparationibus Officiorum sub Placito *de Fide servanda* imprimis asseritur conventa, pacta, promissa tempore priora, jure potiora semper æstimari debere. Nisi enim prius pactum semper potius sit, penes unumquemque foret obligationes quascunque civiles per contrarias denuo pactiones ad libitum dissolvere; quo nihil unquam absurdius cogitari possit. Prius & potius contractibus pactisque convenit, quod de juramento dixit *Sander sonus*. 'Habere scil. vim obligatoriam, sed constructivam tantum, non destructivam; & posse inducere novam obligationem ubi nulla fuit, vel confirmare eam quæ præfuit, sed non posse tollere eam quam invenit, aut aliam ei repugnantem superinducere. Ex merito enim juramento, nec nisi quatenus promissorium est, & pacto accedit, non nascitur Obligatio. Sed constituta per fidem datam obligatione, ex juramento fit, quod sollemniter atque exerte Deus testis facti, vindexque falsi,

rogatur

rogatur interesse. Et ratio, quam scitissimè reddit clarissimus Theologus, cur posterius juramentum prioris obligationem tollere non possit, contractibus ad amissum convenit. Quia scilicet per omnem Obligationem jus alteri accrescit; quisquis enim obligatur, alteri obligatur. Et iniquissimum videtur, ut per merum actum, puta pactum seu juramentum unius, laedatur jus alterius sine ipsius consensu. *Sandersen Praelect. 2. §. 11.* Et apud omnes passim est receptum, Neminem quicquam promittere debere, priori alicui promisso contradictorium: Actus autem contra Justitiam perpetratus novum jus perpetranti non acquirit. Omnes enim perque leges hoc absurdissimum judicant, ut quis ex delicto suo conditionem suam meliorem faceret. Quæstioni autem, Qua ratione tandem cum promissario agendum sit, qui bona fide, & sine prioris pacti suspitione, paciscenti credidit, & fidem ejus est secutus, atque ita de rebus suis disposuit, ut ex pactione non præstitâ necesse sit promissarium grande damnum incurrere? Resp. neque fidem imprimis datam postponi debere, neque iniquam conditionem bona fide paciscenti debere inferri. Quatenus autem *Titio* nocitum est, ex quo pactæ fidei stare non poterit *Mavim*; eatenus *Mavim* ad damna innocenti refarcienda, ut in capite de restitutione noxarum dicitur, certissimè tenebitur.

Ex hoc autem fonte, quod pactum tempore prius, jure semper potius sit, alia pronata est Juris Regula: *Cum lex dominatio omnium conventio astringitur, pactum ei contrarium non valet.* Ait *Prator*, Pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, plebiscita, Senatus-consulta, edicta Principum, facta erunt, ne cui eorum fraus fiat, servabo. ff. de pactis. l. 7. §. 7, Et generaliter, inquit, quoties pactum à Jure communi remotum est, servari hoc non oportet. Et *Marcellus* scribit, Si stipulatio interposita sit, de his pro quibus pacisci non licet, servanda non est, sed omnino rescindenda. Ejusmodi pactorum species omnes recensere longum esset. Illud convenire non potest, Ne de moribus agatur: vel plus vel minus exigatur: ne publica coercitio privatâ pactione tollatur. Item ne illa quidem pacta servandâ

vanda sunt, ne ob res donatas vel amotas ageretur: quia altero pacto ad furandum mulieres invitantur, altero Jus Civile impugnatur. 'Et si convenerit ne ob impensas necessarias ageretur, Pactum non est servandum, quia tales impensæ dotem ipso jure minuunt. ff. de pactis dotalibus. l. 5. 'De die reddendæ dotis hoc juris est, non licere ita pacisci, ut mulieris conditio deterior fiat. ff. eod. l. 14. Adde speciem Juris elegantem. ff. eod. l. 17. *Atticilinus*. Justa igitur & rationalis pactorum dotalium divisio, quam tulit *Paulus*, l. 12. §. 5, 'Ex pactis, inquit, conventis, quæ ante vel post nuptias interponi solent, alia ad voluntatem pertinent, alia ad jus: veluti quando dos petatur, quemadmodum reddatur: In quibus non semper voluntas contrahentium servatur. Ratio à *Gothofredo* in Annotatis rectè ponitur. 'Quia scilicet pacta hujusmodi intercedunt in iis, quæ jure civili finita sunt ne fierent.

Imò nec secundum Civile Jus sacrosancta juramenti religio pacionem quamcunque poterat confirmare Juri communi contrariam. Ita ex antiquo & indubio jure rescribunt *Impp. Theod. & Valent.* quod 'ubicunque lex prohibuit factum, certum sit nec stipulationem tenere, nec mandatum ullius esse momenti, imò nec sacramentum admitti. *Cod. de leg. l. non dubium. §. 1.* Sic *Divi Severus & Antoninus* rescripserunt: 'Jusjurandum contra vim legum, & auctoritatem juris in testamento scriptum nullius esse momenti. l. si quis *Inquinatus. 112. §. fin. ff. de leg. 1.* adde l. *Furia gentium. 7. §. & generaliter. ff. de pactis*, Quod si Juris Canonici professores non tantam legibus Civilibus auctoritatem tribuant, ut juramento præjudicent, hac ipsa tamen ratione à viris probis doctisque vapulant. Vide *Mastertium de justitia Romanarum legum. lib. 1. capp. 6. & 7.* Quid enim? Si sponsio prima secundæ etiam cum juramento affirmatæ præjudicet, nonne & lex, cum sit communis sponsio, juramento contrario præjudicaret? Et nisi prima sponsio secundæ derogaret etiam jurejurando munitæ, facile quis possit quamcunque sponsonem tollere & annihilare per juramenti contrariæ prolationem.

Voluit insuper lex *Romanorum Civilis*, ne minores pa-

*Eis stare cogentur. ff. de minoribus. lege. 1. cum conset fragile esse & infirmum minoribus consilium, multorum insidiis expositum & captionibus. Si igitur xxv annis minor emerit aliquid, aut vendiderit, si in societatem coierit, vel acceperit mutuum pecuniam, ex contractibus tamen in suum præjudicium non obligatur, ff. eod. l. ait Prætor. 7. §. 1. Verum ei, eo quo statuit Prætor modo, succurri oportet.*

Si item convenerit, ne omnino in societate bonorum divisio fieret, hanc tamen conventionem, firmam ratamque permanere vetuit lex, utpote Juri contrariam, quod exertè statuit *commune esse dividendum. ff. de communi dividendo. l. 14. §. 2. & §. 4.*

Lex prohibet, ne nuda conventionem transferatur jus, nudasque promissiones, utpote sine causa factas, temerarias haberi jussit. Cum proinde commune Placitum sive Jus obtinuit, ne hujusmodi valerent pacta, ex publico consensu fit ne possint obligare. Qui consensus, cum prior fuerit, jure potior merito censetur.

Multæ sanè sunt causæ, cur legum latores Juris arbitri, in certis istiusmodi circumstantiis pacta vel omnino fieri, vel facta vim obtinere vetuerint. Neque tamen nobis semper est necesse, causas his penitus habere perspectas. Pacta hujusmodi prohibita esse sufficit. Omniumq; istiusmodi conventorum, ex quo publica facta est in contrarium constitutio, una hæc est ratio, cur obligatoria non sint, quod consentire in ea justè non potuimus. Quandoquidem legibus sive conventioni civium communi visa sunt contraria, in qua publica conventionem noster etiam consensus rectè implicari creditur.

**Num. 3. Officiorum comparatio sub Placito de Gratitudine. Plurimum benevolo potius facienda est Retributio. Obiter queritur, Patriæ an Parentibus plus debeamus? Gradum benevolentiae aestimari debere eo, quatenus amici sui causam suam posthabuerit. Insigniori amico aut benefactori differenda aliquando gratia sunt, ut alii amico, licet inferioris notæ, opitemur, qui maxime opis indiget.**

Ad comparationem Officiorum sub Placito de Gratitudine, hujusmodi videntur spectare Regulæ.

**Reg. 1.** Plurimum benevolo potius est facienda Retributio. Et proinde impossibilitas rependendi Officium minus benevolo, nisi per omissionem Officii quo ad magis benevolum tenemur, jus dat ne, ea manente impossibilitate, ei, qui minus erat benevolus, fiat, quæ alias deberetur, Gratiarum retributio: si dividendi possint agendarum gratiarum beneficia, tum maximè benevolo plurimum rependi debet.

Hunc casum ductu *Servatoris* ita solvit *Simon* Phariseus, *Luc. 7. 41.* Duo, inquit *Servator*, erant debitores quidam creditori. Alter quingentos debebat denarios, alter quinquaginta. Creditor utrisque, cum solvendo non essent, totum æs remisit. Queritur uter duce naturâ plus diligit? Respondet *Simon*, Is certè cui plus gratis est remissum. Probavit Dominus responsum Pharisei Hospitis: Atque hoc idem in muliere peccatrice, quam notaverat hospes, contigisse asseruit. Multum scilicet eam jure *Servatore* suum dilexisse, quod multa mediante *Servatore* fuerint illi gratis condonata. Ubi & *Magister* & *Phariseus* gradum *Obligationis*

ex magnitudine beneficii æstimant. ‘Acceptorum, inquit Cicero, ‘beneficiorum delectus sunt habendi, nec ‘dubium quin maximo cuique plurimum debeat. In ‘quo tamen imprimis, quo quisque studio, benevolentia ‘fecerit, ponderandum. [Addit deinde:] ‘Temerè ‘collata non æquè esse magna habenda, ac quæ confide- ‘ratè & constanter deferuntur. Ita Cicero. *Off.* 1. Spe- ‘tat etiam ad hanc comparationem nobilis, qui apud ‘*Musonium* exhibetur, casus. ‘Pater, inquit, tuus Philo- ‘sophiâ tibi interdicit; at *Jupiter*, communis hominum ‘Deumque pater, jubet ac hortatur. Lex enim ejus & ‘præceptum jubet hominem justum esse, probum, bene- ‘ficum, temperantem, magnanimum; dolores ac vo- ‘luptates superare; ab omni invidia, fraude, insidiisq; ‘purum esse: In summa, bonum esse hominem lex di- ‘vina præcipit. Bonum autem, & Philosophum esse, ‘non differunt. Ergo cum patri obediendo hominem ‘secutus sis, philosophando autem Deum, sine dubio ‘philosophandum tibi potius est quàm non.

Quæstio item illa apud *Hecatonem*, qua Officia ad pa- ‘triam & parentes debita comparantur, ad hunc titulum ‘etiam spectat. ‘Si, inquit, pater fana expilet, cuniculos ‘agat ad ærarium, indicetne magistratibus filius? Nefas ‘id quidem est: quin etiam defendat patrem, si argua- ‘tur. Non igitur Patria præstat omnibus Officiis? Imò ‘vero. Sed ipsi patriæ conducit pios habere cives in ‘parentes. Quid si Tyrannidem occupare, si patriam ‘prodere conabitur pater? silebitne filius? Imò verò ‘obsecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil profecerit, ac- ‘cusabit, minabitur etiam. Ad extremum, si ad perni- ‘ciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponat sa- ‘luti patris. Ita Cicero *Off.* 3. ex sexto *Hecatonis de Of- ‘fic.* Celebre *Platonis* dictum est: *Τὴν πατρίδα θεωρεῖν ὡς θεόν ἢ πατέρα ἢ μητέρα μάταιον* id est, Patriam colere oportet magis, quam matrem liberos. Ex eadem Hypothesi patriam priori sæpe recenset loco, & parentibus præ- ‘fert; veluti cum scribit, ‘Non nobis solum nos esse ‘natos, sed nostri partem sibi patriam vindicare, partem ‘parentes, partem amicos. Quem ordinem etiam alibi ‘servat: ‘Si, inquit, contentio quædam fiat, & compara- ‘tio,

‘tio, quibus plurimum tribuendum sit, Officii Principes  
 ‘sunt patria & parentes, quorum beneficiis maximis ob-  
 ‘ligati sumus. Notat tamen doctiss. *Henricus Stephanus*  
 Jureconsultos quosdam *parentes* prius quàm *patriam* no-  
 minare. Et fortè *Cicero*, Ethicæ licet doctrinæ magister  
 callentissimus, avidus tamen nimis auræ popularis capta-  
 tor, concivium animos hac arte conciliare sibi voluit,  
 patriam scil. parentibus præferendo. Argumento tamen,  
 quo suam sententiam tueretur, probabili carere non po-  
 tuit, cum nisi patriâ & magistratibus (parentibus scil. pa-  
 triæ) salvis, ipsi parentes vix aut ne vix salvi esse possint.  
 Sed fortè, an parentum an patriæ majus sit beneficium,  
 disputabilis adhuc est quæstio. Certum interim est, ma-  
 ximo beneficio plurimum esse tribuendum.

*Reg. 2.* Cùm, ut restè *Cicero*, imprimis ponderandum  
 est, quo quisque studio & benevolentia contulerit bene-  
 ficium, dicendum secundo, & pro perpetua Regula ob-  
 servandum; ‘Magnitudinem gradumque benevolentix,  
 ‘quæ parem etiam exigit, æstimari deberi ex eo, quate-  
 ‘nus quis amici sui causâ, rem suam posthabuerit, & seip-  
 ‘sum abnegaverit. Qui enim ex hoc genere sunt amici,  
 aliis quibuscumque temerè, & sine dispendio & periculo  
 suo benefacientibus, longè sunt anteferendi. Potiores  
 autem in hac classe sunt, qui in majoribus damnis & pe-  
 riculis amicorum suorum causâ, animo se pro amicis ex-  
 ponendi, lubenter sunt constituti.

In secunda classe, ubi non tam animus quàm benefi-  
 cium, ejusque mera moles in examen venit, & ubi non nisi  
 post Sui amorem incipit Officium; illius tamen potior  
 est habenda conditio, qui plurimis vel majoribus bonis  
 beneficiarium auxerit, à miseris redemerit, vel debita  
 remiserit.

*Reg. 3.* Ex contemplatione Indigentix tertia notari  
 possit Regula hujusmodi. ‘Impossibilitas rependendi  
 ‘benevolentix Officia benefactori licet inferioris notæ  
 ‘valde indigenti, nisi gratix potiori amico debita ali-  
 ‘quandiu differantur, jus facit, ut potiori debita retri-  
 ‘butio aliquandiu retardetur, & differatur *Αρτιχαις*,  
 ‘modo postea debitum reddi probabiliter possit *Αρτιδωειν*.  
*Titium* puta amicum, jam statim nisi ei succurratur, in  
 extremo



extremo vitæ periculo constitutum: Tueri amicum potes, sed cum alios habeas intimiores, quaeritur, Annon iis imprimis, ceu præcipuè & præ aliis bene merentibus facienda sit retributio, extremum periclitante posthabito? Respondet Cicero, *Off. 1.* ‘In referenda gratia, si cætera sint paria, hoc maximè Officii esse, ut quisque maximè opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. Quod contrà fit à plerisque, à quo enim plurimum sperans, etiamsi ille his non egeat, tamen ei potissimum inserviunt. Ratio Regulæ est, quòd momentum gratiarum reddendarum non definivit Natura, reddendas definivit.

**Num. 4. Officiorum comparatio sub Placito de φιλοτεχνία. Ubi imprimis de jure Primogenituræ quaeritur. Et an Naturæ instinctu fit, quod liberorum alii aliis præferuntur?**

Sub Placito de cura Proles comparantur inter se ejusdem Parentis diversa soboles. Atque imprimis de jure Primogenituræ quaeritur, An ex præcepto Naturæ rationalis descendat alios liberorum aliis deberi anteferri? Sanè si ipsam consulamus rationem, nec jura vel *Mosæica* vel *Feudalia* attendamus, nulla mihi se prodit ratio, qua probari solidè possit, majores natu liberos cæteris semper præferri deberi. Esto jam hæc apud nos ex *Normannica* victoria consuetudo, Esto communis terræ lex. At neq; naturalis communiter affectus, nec humana ratio id cogit. Quod ad naturalem affectum parentum attinet, nihil certius quàm sapius juniores natu posthabitis majoribus parentes maxime depèrire, & teneriori esse in eos animo. Solem negat, hoc quisquis inficiatur. Ratio unica cur summa rerum in uno locaretur, est nominis & familiæ honestior conservatio. Quasi honorificum esset ut è liberis alii mendicarent, alii Dominiis titulisque fastuosi incederent. Certè familiæ dignitas, & generis fama,

fama, non minus defenderetur, si junior, aut medius, aut quisquam à seniore alter, ad hæreditatem ex asse proveniret; multo autem facilius & certius, si majoris spei juvenis ad maximam dignitatem, & totius familiz opes proveheretur. Quid enim cum ratione sperari poterit, si quando prodigum aut stultum contigerit sortiri, ob nativitatis prærogativam, hæreditatem? Concidit ex seniorum iniqua prælatione meriti honor, & sine honore ipsum meritum. Nemo enim desperatâ mercede parentes anxie demereri contendet. Nullum habebit locum Proverbialis illa apud nos Parænesis, *Doc best, and have best; Faxis potiora, potiora habessis*; si aliud non spectetur meritum, quàm fortuitæ nativitatis prioritas. Nemo certè nisi excors in Naturæ leges peccasse credit cives omnes Reip. *Romana*, quibus ex more par erat liberorum conditio. Admittebantur enim ex æquo in parentis intestati bona. Quin & hæc ipsa, quæ tantum desert primogenito consuetudo, tam dura, iniqua, aspera veteribus *Cantii* incolis videbatur, ut recusatum sic *Cantianis Normanni* Conquestoris dominium, donec hoc iis indultum est, ut priore jure uterentur; quo moris erat, ut ad filios ex æquo secundum capita descenderet hæreditas. Quo etiam jure, sine omni læsæ conscientiz scrupulo, magna *Cantii* pars, ad hunc usque diem sine admissione seniorum in terras defuncti, feliciter utitur. Jureconsulti nostrates istum succedendi modum *Gavelkind* nuncuparunt. Ita *Littletonus*, titulo *de Villenage*, lib. 2. sect. 210. ‘In agro, inquit, *Cantii*, ubi terræ & tenementa jure *Gavelkind* tenentur, juxta consuetudinem & usum memoriam omnem hominum excedentem, proles mascula hæreditatem in æquas partes divisam possidet. Quam quidem consuetudinem obtinere par est, cum rationi consentanea sit. Unusquisque enim postgenitorum, non minus est generosus quàm major natu filius: aliusque forsitan in majus conscenderet decus & familiz honorem, si quid illi à majoribus fuerit relictum. Verum (quod notat ibidem *Cokus* Annotator)

*Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat  
Res angusta domi.* —

Nec in *Cantio* duntaxat, sub ditione *Britannica* obtinuit hic mos, verum & in aliis *Anglia* locis, in *Wallia* item, & *Hibernia*. Vide *Cokum in comment. ad Littletonum. Tit. Parceners by Custome, sect. 265.* Nec nihili est faciendum quod apud eos, qui majores natu masculos ad hereditatem ex asse præferunt, fœminis primogenitis non ita sit consultum. Quarum omnes ex æquo cohæredes lex fore constituit, & *Breve*, quod vocant, *de positione facienda*, hac in causa subministrat, nisi speciali loci alicujus jure à generali derogetur. Porro si ex quorundam locorum consuetudine jus Naturæ possit argui, ratio etiam erit cur juniores senioribus præferantur. In quibusdam enim Maneriis junior natu filius, posthabitis senioribus, terras omnes & tenementa parentis jure hereditario possidebit; idque per vim consuetudinis, quæ *Burg English* nuncupatur. Vide *Littleton's Tenures, sect. 165. & 211.* Quæ etiam consuetudo in servilibus Episcopi *Wintoniensis* Feudis ab antiquo ad hunc usque diem generaliter observatur.

**Num. 5. De Officiorum comparatione sub Placito de *successione* in Consanguineos. De prælatione Consanguineorum ex linea descendenti. Deficiente linea descendenti, quod homini liberum sit quemlibet cognatorum cuilibet præferre.**

Naturam humanam ita liquet esse comparatam, ut prolem atque a prole descendentes magni faciant; cæterisque sive cognatis, sive agnatis (nisi aliud præ ingratitudine ab iis demeritum per accidens sit) semper præponant.

In cæteris nulla suppetit naturalis conscientiæ regula, cur quis alium alii sanguinis ratione præferat. Nihil frequentius occurrit, quam ut fratrum filii ipsis præponantur fratribus, vel ut nepos filii anteponatur, in non descendentibus, filio. Nunc fœminarum, nunc marium po-

potior in legatis conditio. E consobrinis huic magnam rei familiaris partem, illi ne hilum dari quotidiani est usus. Quid plura? Nihil est ejusmodi, quod non sine omni scrupulo pro arbitrio suo facere videntur homines.

Summa igitur est, consanguineos vulgo, nisi permagna comperiat in necessitatibus diversorum inæqualitas, in beneficiis distribuendis semper anteferri consuetos. Consanguineos autem inter se non tantum habere discriminis (si lineam descendantem, *Natos* scil. *natorum*, & qui nascuntur ab illis excipiamus) ut dignum sit quod à Natura observetur, aut conscientiz intercedat quodcumq; dictatum, quo aliis postponi jussis aliorum potior fiat conditio. Si quem autem præ cæteris carum habemus, aut copiosius bona nostra impertimur, aut hæredem constituimus, is fere est qui de nobis optimè meruit, aut cui credibile est beneficium quod conferimus, quod bonus & sapiens & frugi sit, fore publicè fructuosius, aut per quem alteri alicui Naturæ placito aliqua ratione possimus satisfacere. Ita maximè indigenti necessario, aut cognato, plus conferre pia est & prudens caritas; subvenire ei præcipuè consanguineo, quem nostri parentes plurimum dilexerunt, pia est gratitudo.

Moris gentium quod attinet, hoc certo jure & consuetudine erat receptum apud *Romanos*, *Græcos*, & omnes ferè Nationes, ut propinqui iis præferrentur qui nulla ejusmodi necessitudine erant conjuncti. Atque hoc sanè vel inde constat, quod ubi nulla extitit voluntas Testatoris testamento declarata, ex intestato non ad extraneos, sed propinquos deferebatur hæreditas.

Cum autem prope immensus aliquando sit consanguineorum numerus, variique tam cognationis quam agnationis gradus, uter alii sit præferendus, an omnes ex æquo stent, omniumque par sit à Natura conditio, merito dubitatur. Proximitatem gradus cognationis non semper hæreditatem solere conferre, dilucidè exponit Imperator, *Inst. de gradu cognationum. §. ult.* ‘Repetitis, inquit, omnibus quæ tradidimus, apparet non semper eos, qui parem cognationis gradum obtinent, pariter ad hæreditatem vocari: eoque amplius non semper eum, qui proximior sit cognatus, semper potiozem esse. Cum

enim prima causa sit suorum hæredum, aut eorum inter  
 quos suos nullo modo, apparet pronepote[m] vel abne-  
 pote[m] defuncti potior[em] quàm fratrem, aut patrem,  
 matremve defuncti: cum alioquin pater quidem & ma-  
 ter primum cognationis gradum obtineant, frater verò  
 secundum, pronepos autem sit tertio cognationis gradu,  
 & abnepos quarto. Amotis quoque suis hæredibus, ag-  
 natus, qui integrum jus habet agnationis, etiam si lon-  
 gissimo gradu sit, plerumque potior habetur quàm pro-  
 ximior cognatus. Nam patri nepos vel pronepos avun-  
 culo vel materteræ præfertur. *Grotius, de jure belli, lib.*  
*2. cap. 7. §. 10.* cum imprimis statuisset hæreditatem Na-  
 turæ jure ad proximum generis pertinere, Paragrapho  
 proximè sequenti propriâ interpretatione aliquid de di-  
 cto suo demere videtur. Hæc, inquit, quæ diximus,  
 quanquam naturali æquitati maximè sunt consentanea,  
 non sunt tamen jure naturæ necessaria; ac proinde ex  
 diversis causis voluntatem humanam moventibus variari  
 solent, partim, legibus, moribus. Qui subitionem in  
 locum nonnullis gradibus admittunt, in aliis non ad-  
 mittunt: alibi distinguunt unde bona veniant, alibi id  
 insuper habent. Est ubi primogeniti plus postgenitis  
 ferunt, ut apud *Hebræos*. Est ubi æquantur. Est ubi ag-  
 natorum habetur ratio. Est ubi cognati quilibet cum  
 agnatis tantundem ferunt. Etiam sexus alicubi momen-  
 tum habet, alicubi non habet. Et alibi cognationis  
 ratio habetur inter propiores gradus, alibi longius ex-  
 tenditur. Nisi cui hæc sufficiant, conferatur lex *Mo-*  
*saica* de gradibus & ordine successionis ab intestato, quæ  
*Numerorum cap. 27.* extat, cum *Novella Imp. Justiniani*  
*egregia. Collat. 9. de hæredibus ab intestato venientibus, &c.*  
*Tit. 1. Novell. Const. 118.*

Nam.

## Num. 6. De Comparatione Officiorum sub Placito de Humanitate, seu Caritate vulgari erga omnes homines exercenda.

Sub hoc Placito, de Caritate in homines extraneos, non necessarios, seu *vulgari Humanitate*, hujusmodi videntur delineari posse, in comparatione Officiorum, Regulæ, rerum agendarum directrices.

*Reg. 1.* Si plures occurrant egentes, æque omnes ignoti, neque possit quis singulis opem ferre, maxime omnium indigentibus imprimis succurri par est. Sin æque omnes comperiantur indigi, nihil interest quibus quis se Patronum aut liberatorem exhibet. Ita Cicero: 'In collocando beneficio, si cætera sint paria, hoc maxime Officii est, ut quisque maximè opis indigeat, ei potissimum ospitulari. *de Off. 1.* Quibus addendum viderur illud *S. Augustini*: 'Si tibi, *inquit*, abundaret aliquid, quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset; si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret, nihil justius faceres, quàm ut sorte eligeres cui dandum esset, quod dari utrique non possit. *Augustinus* ita, de *Doctrina Christiana, lib. 1. c. 28.* vel, ut subjungit ibidem, pro sorte habendum est, prout quisque tibi colligatus temporaliter adhærere potuerit.

*Reg. 2.* Si qui obveniant opum aut operis indigi, quorum alii aliis honestiori sint vitâ, & moribus ad justitiam & pacem magis compositis, ipsa probitas homines, qui ea utuntur, cæteris reddit potiores. Quod enim homini bono & prudenti confertur, humani generis ferè cedit bono. Is enim omnia ad fines à natura constitutos, quæ sua sunt, disponit. Homini compertæ nequitæ si quicquam erogandum sit, eo sine erogari debet, ut ad bonam frugem reducat. Sed magnopere cavendum est, ne ineptis ad bonum finem utamur mediis; adeoque de collatis bonis arma sibi comparet improbus in moratiores convertenda, atque expensis illicitis atque inhonestis

his nostrâ abutatur liberalitate. Caterum si ignotus occurrat indigens, nec adsint turpitudinis notæ, adhibenda est humana Caritas. Ita sapius fiet ut probum juves, sæpe etiam improbum corriges. Speciosa enim est Virtus, & Magnetis Instar ferreos hominum etiam non proborum sibi allicit & demulcet animos; & pulchris sapientum & bonorum exemplaribus conspicua, quos non invenit, fecit sæpe meliores.

**Num: 7. Ut possit quis totum explere Officium, atque secundum virtutem perfectissimam & morum integritatem vivere, qua cura adhibenda?**

Rescribit rectè ad *Atticum Cicero, Epistolarum lib. 13 epist. 20.* ‘Curandum esse, idque in omni vita [ non per vices solummodo & intervalla ] ‘quemque à recta conscientia transversum unguem non oportere discedere. Et si difficiles quidam modo positi (præsertim quoties Sui amoris alia obsistunt Officiâ) videantur casus, majori idcirco diligentia providere virum bonum decet, ne omnino in eas conjiciatur angustias, quibus exequi aliud, absque alio omisso, non possit Officium. Dubitat quis, quid faciendum ei qui vitam suam tueri nequit, nisi per necem vicino inferendam. Prudens igitur eo magis cavebit, ne omnino in hunc deveniat statum, qui & occasionem peccandi subministrat, & illecebras. Insipiens sanè ille, quisquis se in illum sciens conjecit, & imprudentiæ pœnis merito luit, si ab occurrente dejiciatur. Nec facile quenquam vel crudelissimus Tyrannus sine damno suo in hujusmodi difficultates possit cogere. Si vi cogatur quis, simile quid patietur pristinis in Ecclesia Fidei Christianæ testibus, qui jussi se vel polluere turpiter, aut ignis incurrere tormenta, pœnam Martyrii potius quàm gravis peccati reatum eligebant. Omne igitur studium curamque impendat prudens, ne eo labatur, quo statu positus non possit sibi, aut suis, aut etiam extraneis benefacere,

facere sine innocentium incommodo, fidei datæ, aut debita gratitudinis violatione, omniaque Officia justo ordine sine cujuscunque omissione exequi. Defendatque se quoad poterit ea rerum statione, qua possit plurimis, maximèque amicis, proli & consanguineis, atque etiam sanguine disjunctis, sine alterius Officii omissione prodesse.

Si cui verò præ sua negligentia deerit facultas actus virtutis secundum Naturæ Placita justè exercendi, ea negligentia culpæ annumerabitur, quod non eam adhibuit, quam debuit, diligentiam, ne copia ei & opportunitas deficeret illud præstandi, quod Conscientia Naturalis præstandum docuit.

‘ Hoc, *inquit Seneca*, ab homine exigitur, ut pro sit ho-  
 ‘ minibus (si fieri potest) multis, sin minus paucis, si  
 ‘ minus proximis, si minus sibi. Nam cum se utilem  
 ‘ cæteris exhibet, commune agit negotium. Quomodo  
 ‘ qui se deteriore facit, non sibi tantummodo nocet,  
 ‘ sed etiam omnibus quibus melior factus prodesse potu-  
 ‘ isset. Si quis bene de se meretur, hoc ipso aliis prodest,  
 ‘ quod illis profuturum parat. *De vita beata. c. 30.*  
 ‘ *Hecatonem Rhodium* discipulum *Panetii* video, *inquit*  
 ‘ *Cicero*, in iis libris quos de Officiis scripsit, *Q. Tube-*  
 ‘ *roni* dicere, Sapientis esse nihil contra mores, leges, in-  
 ‘ stituta facientem habere rationem rei familiaris; neque  
 ‘ enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis,  
 ‘ propinquis, amicis, maximè Reipublicæ. Ita *Cicero de*  
 ‘ *Off. 3.* ‘ Innocentia (sic *Platonici*) sola optimam in  
 ‘ posterum spem præbet, unicum vitæ solamen. Vir  
 ‘ igitur sanæ mentis ad id imprimis pecunias esse utiles  
 ‘ judicabit, ut quicquid vel Deo voverit, vel homini  
 ‘ promiserit, aliterve debuerit, impleat, neque ob pau-  
 ‘ pertatem adducatur aut mentiri cuiquam, aut ulla in  
 ‘ re defraudare. Pecuniæ namque referendæ sunt ad  
 ‘ Justiciam, Justitia ad vitæ alterius præmium. Hæc  
 ‘ habet ex plurimis gravibusque præceptis *Platonis* excerpta  
 ‘ *Marsilius Ficinus*, in dialogum 1. *Platonis de Rep.*  
 ‘ Grave est illud *D. Pauli* præceptum 1 *Thes. 4. 9, 10.*  
 ‘ In caritate fraterna, *inquit*, magis magisque abundate,  
 ‘ ambitiosè etiam contendite quieti esse & pacifici, &  
 ‘ pro-



‘ proprias vestras res privatim agere. Operantes propriis  
‘ manibus, ut vos geratis honestè erga externos, etiam &  
‘ Paganos, & nullius rei ipsi indigeatis. Voluit Chri-  
‘ stianos suos Apostolus bonis justitiæ & pacis plenos, ab  
‘ omni *pleonexia* & injuria immunes fore: Ne qui autem  
‘ restarent illecebræ, quibus ad injurias vicinis inferendas  
‘ provocarentur, ulterius suavit ut sudore, industriâ, ma-  
‘ nuumque labore eum sibi compararent vitæ statum, quo  
‘ nullius rei ipsi indigerent: ne vitam instituendam præ-  
‘ cepit, ne qui in necessitatem, vel peccandi quascunque  
‘ occasiones incidamus. Quod Deus Opt. Max. faxit, ut  
‘ omnibus animi & corporis viribus procuremus.

---

C A P.

## C A P. XII.

## Quibus modis tollitur Obligatio.

Num, I. *De generibus modorum, quibus tollitur Obligatio. Quod solutio Debiti primus modus sit.*

**Q**uod de verborum obligatione verè aureum *Pomponius* scripsit, ff. de solution. & liberat. l. verborum. 107. id omni Obligationi accommodatissimum censui, eam scilicet *naturaliter* aut *civiliter* perimi posse.

1. *Naturaliter, veluti solutione*, cum naturalis fiat præstatio debiti: aut *natâ solutionis impossibilitate*; veluti cum res, quæ præstari debuit, sine culpa debitoris in rebus humanis esse desiit.

2. *Civiliter, ut acceptilatione, & cæteris modis* quorum vis potissimum in remissione voluntaria aliquo saltem modo significata consistit. Sed cum vera solutione obligationem tolli nemo unquam contradixit, frustra Ratio, Auctoritas, & Juris usus urgeretur; nisi quis velit ut eum imitaretur Jurisconsultum, qui plurimis paginis multâ tam olei quàm operæ impensâ ex testimoniis Juris Civilis & Canonici probare, Mortem esse omnibus communem nec evitari posse, contendit.

Num.

**Num. 2: Quod Impossibilitas facti modus etiam sit, quo tollitur ad factum obligatio. Judicia Scitorum & Gentilium variis casibus exemplisque rerum judicatarum confirmata.**

Sententia Jurisconsultorum communis est, Nullâ cum culpâ esse implicitum, qui non liberâ voluntate sed ex coactione quicquam perpetravit; nec quenquam teneri ad ea præstanda, quæ ipsi sunt impossibilia: idque positum in Jure casibus liquido constat. Lex est: *a* Si Dominus sciat servum suum noxam committere, tenetur in solidum: i. e. ad plenam & integram totius litis æstimationem. *b* Senatusconsulto *Silaniano* cautum erat, ut Dominis subvenirent servi: *c* at neque lex vult Dominum teneri ad præstandam litis æstimationem, si quando penes non sit ut factum prohiberet; *d* nec Senatusconsultum servum obligat ad tuendum Dominum, cum ad id minimè valuerit. Hinc naturæ Juris, quæ ad hos & cæteros quoscumque hujusmodi casus extenduntur, Regulæ: *e* Culpâ caret qui scit, sed prohibere non potest: *f* Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non possit. Hinc natum enim Jus de furiosis, amore correptis, ebriis, dormientibus, infantibus, irâ commotis; qui omnes, licet atrociora facinora commiserint, eatenus tamen poenâ immunes sunt, quatenus actiones eorum involuntariæ sunt repertæ, & ex necessitate morbi aut naturæ dimanantes. *g* Furiosus igitur, qui leges latas animadvertere non potuit, nec ita compos mentis erat ut prudenter se in actionibus gereret, si nullis lucidis, quod aiunt, intervallis uteretur, quibus possit legem recogno-

*a* l. 2. ff. de noxalib. *b* ff. De Sen. Silan. l. 1. *c* ff. de nox. act. l. 4. in delictis serv. & Bronchorst. in ff. de reg. jur. l. 50. *d* ff. de SCto. Silan. l. si quis. 3. in init. Decius de reg. juris. in l. 50. *e* ff. de reg. juris. l. 50. *f* ff. eod. leg. 109. *g* ff. ad l. Aquil. l. sed si quemcunque. §. 2. & l. Divus. ff. de officio præsid. & in c. aliquos. 15. q. 1. Et Andreas Gailus pract. observ. lib. 2. observ. 110. §. 20.

scere, & animum actionesque ad amissim hanc conformare, stulta licet, imò alias injusta, impia, horrida perpetraverit, licet *b* paterno sanguine manus imbuisset (ita ut ordinariè post virgarum verbera culeo, viperâ, & cæteris ad notabilem parricidæ pœnam exquisitis dignus censeretur) impunitus tamen Jure fuit; nec legem videtur eum violasse, quæ furiosis non est lata, nec posse injuriam facere, ut & ipsa *i* legis verba præ se ferunt. Si autem lucida habeat intervalla, ut possit aliqua perficere eorum quæ lex jussit, & eatenus tenetur quatenus potuit, & non præstitit; eatenus excusatur quatenus non potuit, quæ non præstitit. De amore correptis, si corripuales morte multaverint, ita à *l* Doctissimis sancitur. Ne homicidii rei statuatur, qui violento animi motu, non deliberata animi voluntate, qui passione, cui resisti non potuit, non electione eos occiderunt. Hac ex parte verò judicia amore correptis rarius favent, quia rariores sunt casus, in quibus passio deliberationem non sinat. De Ebrio sic statuit lex. \* Si quis non ex proposito, aut de industria, sed vini ignoratâ vi deceptus inebrietur, & ita hac ratione mente cadat, & nulla superfit deliberandi facultas aut rectum vitæ gerendæ consilium, hominem licet occiderit, pœna tamen ordinaria non punietur, quia non potuit rebus sic stantibus sibi moderari. \* Dormiens item si homicidium commiserit, non tamen pœna homicidii plectitur, cum huic malo prævenire non possit. Idem eadem ratione de *o* Infante occisore obtinet, & de viro *p* injuria & contumelia subita in iræ violentiam provocato; quin & cæteri similiter omnes quacunque actione deprehenso ob impotentiam naturæ natam, non acquisitam, eatenus excusantur, quatenus malum hoc im-

*b* l. pœna parricidii. §. 2. ff. ad l. Pomp. de par. *i* l. illud relatam. §. 1. ff. de injuriis. *k* Jason in l. patre furioso. num. 39. ff. de his qui sunt sui vel al. juris. *l* Jul. Clarus in d. §. fin. q. 60. num. 10. & Tiraquel. in tr. de pœnis. causa 4. per totam, ut citat And. Gailus, ubi supra. §. 23. \* ff. de re militari. l. 8. omne delictum. §. qui se. Gailus, ubi supra. §. 24. \* Tiraquel. causa 5. per totam. Bart. in l. ut vim. ff. de just. & jure. & Gailus. ubi sup. §. 30. *o* l. infans. ff. ad l. Cornel. de sic. Gailus. §. 31. *p* Dd. in l. si non convitiis. C. de injuriis, & Gail. ubi sup. §. 31.

pedire impotes reperti sunt. Et generaliter hæc obtinent Juris Regulæ. ‘*q* Impossible nulla est obligatio. *r* Ea quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur. *s* In ultimis voluntatibus adjecta conditio impossibilis non vitiat actum, sed ipsa conditio vitiat, & pro non adjecta habetur, salva manente institutione aut legato. Quippe Regula est; Quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere. In stipulationibus idem obtinet: nam, ut habet *Ulpianus*, *t* ‘Si homo mortuus est, fisci non potest, imo neque punitur qui non ficit; poena enim rei impossibilis non committitur. *v* Et in conditione ob causam dati, ‘Si sub causa aliquid detur impossibili, conditio habetur pro non scripta, atque adeo datum condici non potest.

*A Wingato* etiam Municipalis apud nos juris hæc recensentur Regulæ. ‘Ultra posse non est esse. *Max. 23.* ‘Lex non cogit ad impossibilia, sed impotentia excusat legem. *Max. 156.* ‘In actionibus veniam facit Lex, ubi faciendis adfuit Necessitas. *Max. 110.* *Traité of the reason of the Common Law.*

Hinc fit, quod Officia ferè sub conditione possibilitatis solent ab Autoribus præcipi. *x* ‘Qui non defendit alium cum potest, tam est in vitio, quam si parentes, patriam, aut amicos deserat. *y* Qui non vetat peccare, cum possit, jubet. *z* *Δυναμὴν δὲ ἀναγκαστικὴν τὴν ἀξίαν δὲ τῆς δυνάμει*: Illi qui potest hoc incumbit, ut pro dignitate acceptorum retribuat. ‘Cui simile illud *Ciceronis*: ‘Non reddere bono viro non licet, si modo id facere possit, &c.

*Aristoteles* malitiam omnem omnèque peccatum voluntarium concludit, nec à coactione Naturæ aut Fortunæ provenire; hoc enim pro indubitatæ veritatis axioma apud eum supponitur, Nihil eorum, quæ prohiberi

*q* ff. de reg. Juris. leg. 185. *r* ff. eod. l. 135. *s* Bronchorst. in reg. juris. 182. *t* ff. de verb. obl. l. 69. *v* Vultejus Jur'sprud. Rom. lib. 12. c. 8. *x* Cicero 1. off. *y* Senec. in Troa. *z* *Arist.* Ethic. l. 8. c. 13. *a* Cicero de off. lib. 1.

non possunt, esse culpandum. Argumentationem, quem-  
admodum ipse eam expressit, licet paulo sit prolixior, at-  
texam. *b* Ὅσον πράξεων ἀνθρώπος ἐστὶ ἀρχὴ καὶ κίνησις, φαίνεται  
ὅτι ἐνδέχεται γίνεσθαι καὶ μὴ, καὶ ὅτι ἐπ' αὐτῶ ταῦτ' ἐστὶ γίνεσθαι  
καὶ μὴ, ὡν κακίως ἐστὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ μὴ εἶναι. Ὅσα δ' ἐπ' αὐτῶ ἐστὶ ποι-  
εῖν ἢ μὴ ποιεῖν, αἵτις τούτων ἕτός ἐστι, καὶ ὅσον αἵτις ἐπ' αὐ-  
τῶ. Ἐπει δ' ἦτε ἀρετὴ, καὶ ἡ κακία, καὶ τὰ ἀπ' αὐτῶ ἔργα, τὰ μὲν  
ἐπαινετὰ, τὰ δ' ψεκτὰ, (ψέχεται γὰρ καὶ ἐπαινεταὶ ἢ διὰ τὸ εἶναι  
ἀνάγκης ἢ τύχης, ἢ φύσεως ὑπάρχοντα, ἀλλ' ὅσον αὐτοὶ αἵτις  
ἔσμεν. ὅσον γὰρ αἱ αἵτις, ἐκείνη καὶ τὸ ψέχον καὶ τὸ ἐπαινον  
ἔχει) δῆλον ὅτι ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ κακία αἵτις ταῦτ' ἐστὶν, ὡν αὐτὸς αἵ-  
τις καὶ ἀρχὴ τῶν πράξεων. ληπτέον ἄρα ποίον αὐτὸς αἵτις καὶ  
ἀρχὴ πράξεων. πάντες μὲν δὴ ὁμολογοῦμεν, ὅσα μὲν ἐκείνα καὶ  
καὶ προκαίρον τὴν ἐκείνου αἵτιον εἶναι: ὅσα δ' ἀκίερα, ἢ  
αὐτὸν αἵτιον. 'Quarumcunque actionum homo princi-  
' pium ac Dominus constituitur, ea patet posse fieri &  
' posse non fieri, & quod in illius sit potestate ut fiant vel  
' non fiant, utputa quorum ipse Dominus est, ut sint vel  
' ut non sint: & illorum, quotquot sunt in ejus potesta-  
' te, ut faciat vel non faciat, causa est is; & quorumcunq;  
' est causa, ea in ipsius (sunt) potestate. Quoniam igitur  
' virtus & vitium, & quæ ab illis sunt effecta, alia quidem  
' laude digna sunt, alia vituperatione ( vituperantur au-  
' tem & laudantur, non propter ea quæ ex necessitate,  
' aut fortuna, aut natura existunt, sed propter ea, quorum  
' ipsi nos causæ existimus: quorum verò alius quis est  
' causa, ille & vituperium & laudem habet) manife-  
' stum est, quod virtus & vitium versentur circa eas actio-  
' nes, quarum quisque est causa & principium. Quo-  
' circa despiciendum qualium actionum ipse (homo) est  
' causa & principium. Omnes enim confitemur, quot  
' sunt voluntaria & secundum cuiusque electionem facta,  
' illorum quemcunque esse causam; quot verò involun-  
' taria, illorum non eum esse causam. *Aristoteles* homi-  
nem negat earum actionum esse causam, quas non impe-  
dire potuit, in quibus nulla erat electio, aut voluntas,  
quasque penes se non habuit ut faceret, vel manus conti-  
neret. Et in conclusione libri illud sibi assumit, quod  
' τὰ ἀκίερα αἰετὰ καὶ τὰ κακὰ, ἢ ψεκτὰ ἐστὶ τὰ ἐπαινετὰ

*b* Arist. Eud. nior. l. 2. c. 6. *c* Arist. Eud. nior. l. 2. c. ult. ad finem.

ἀλλὰ τὰ ἐκείνη ἐστὶ πάντες ἁπανῶντων καὶ ψέγονται οἷς τὴν προ-  
 αἰρεσιν βλέποντες μᾶλλον, ἢ οἷς τὰ ἔργα. ‘Involuntaria, ma-  
 ‘ la licet & turpia (alias) non sunt vituperio digna, neq;  
 ‘ bona laudes merentur, sed voluntaria (bona :) Adhuc  
 ‘ omnes laudamus & vituperamus, electionem magis con-  
 ‘ siderantes quàm effecta. Tandem objectionem solvit,  
 quæ proponi poterat hoc modo: Cur igitur sententiam  
 non fert Judex secundum affectum & voluntatem, sed  
 actum, si voluntas sola in reatu sit, & in tantum quisque  
 nocens, in quantum voluntas à recto defecerit? Διὰ τὴν  
 inquit, ἢ ῥᾶδιον ἔστιν ἰδεῖν τὴν προαίρεσιν ὁποῖα τις, διὰ ταύ-  
 τε ἐκ τῶν ἔργων ἀνασκαζομένη κρίνειν ὁποῖός τις, ‘Quia non  
 ‘ facile est electionem cujusmodi sit perspicere, idcirco  
 ‘ ex operibus judicare qualis quisque sit necessum habe-  
 ‘ mus.

### Num. 3. *De Impossibilitate conditionata.*

De simplici Impossibilitate dictis attexere etiam ali-  
 quid de Impossibilitate conditionata opportunum erit,  
 quamvis suprâ in capite de *Officiorum comparatione* quic-  
 quid hic dixero, confirmatum jam est. Regulas tamen  
 attexere non gravabimur.

1. Tollitur Obligatio ad operationes juxta secundum  
 Naturæ placitum faciendas, si impossibile sit eas præstari  
 nisi per violationem primi.

2. Tollitur Obligatio ad operationes tertii placiti, si  
 impossibile sit eas præstari, nisi per violationem primi vel  
 secundi.

3. Tollitur Obligatio ad actus juxta quartum placi-  
 tum efformandos, quoties præstari nequeunt nisi per vio-  
 lationem primi, secundi, vel tertii.

4. Tollitur Obligatio ad quintum Naturæ placitum,  
 quoties observari non possit sine violatione primi, secun-  
 di, tertii, vel quarti.

5. Tollitur Obligatio ad operationes juxta sextum, si  
 non possint præstari aliàs quam per violatum primum,  
 secundum, tertium, quartum, vel quintum Naturæ pla-  
 citum.

6. Tollitur

6. Tollitur Obligatio ad actiones quascunque secundum septimum Naturæ placitum, quoties præstari & exequi nequeunt, nisi per violationem superius positum.

7. Et quoties comparatio fit in eodem placito, ubi dignius indigniori officit, ut utrumque præstari nequeat officium, ea impossibilitas efficit, ne ad indignius eo instanti exequendum teneatur. Sed de his uberius, distinctius, & confirmatius in superioribus capitibus est dictum.

**Num. 4.** *Quod tertia exceptio seu excusationis vel obligationem auferendi modus generalis sit Renunciatio, vel Juris Remissio facta ab iis, quorum interest obligatio.*

Si omnes, quorum interest ut is præstetur actus qui ex obligatione debetur, in illud consentiant ne præstetur, non injustus censetur qui non præstitit: Non enim amplius debetur jus cui jam est renunciatum. Innocentis jus diximus, ut à nemine lædatur; Emptoris, ut quod emit, possit possidere; Patris, ut alimoniam à liberis accipiat; Mei ipse, ut me tuear & defendam; & cætera similiter. Nihil autem magis rationi naturali est consentaneum, ut inquit Jurisconsulti, quàm ut voluntas Domini res suas in alium transferre volentis habeatur rata. Neque jura minus possunt quàm res ipsæ corporales alienari. Jus Titio est, ut aere utatur libero etiam ex Vicini prædio, veluti cum servitus ei imponitur; tunc enim hoc adeptus videtur Titium, ne jus sit vicino, se invito, altius ædificare, atque ita minuere lumina ædificiorum ejus. ff. de servis. prædiorum urban. l. lumen. Vel si aream ad conculcationem fructuum ædificaverit, jus habere possit ut vento ex proximi prædiis utatur libero, & nemini liceat vel ædificando, arboreve serendo, vel tale aliquid aggrediendo, ventum illum prævertere. Cod. eod. l. cum talis. §. 1. Quis tamen injustum dicer,



ut contra fiat, cum *Titius* jus suum remiserit? Hæreditates, Usus, Ususfructus, quæ res Incorporales & Jura ab Imperatore audiunt, *Inst. de reb. corporalib. & incorporalib.* recusari tamen ita & remitti possunt, ut aliis justè accedant. Ita etiam & in omni jura se habet res, cujus è natura est origo. Jus indemnitatis, ita enim loquar, remittere Innocens potest; idque crebro fit, quoties absolutum & supremum dominium constituitur, quæ & ἀποκράτης & ἀνυπερδύου βασιλεία audit: subditi enim omnes hoc Principi sine omni conditione, ejusve vicissim obligatione, jus remittunt, Fortunas vitasque suas, ejus bonitati dicam, an voluntati, non fidei (neque enim *παραβασίλεις* fidem subditis vicissim dat) committunt? Qui si innocentem malo voluerit afficere, non quidem de injuria queri poterit, cum jus quod prius compebar, ne à Principe damnum pateretur, remiserit. Imò etiam in Rep. mixti domini hoc aliquando contingit, aut saltem nihil impedit quo minus possit contingere. Si enim à legitimo Parlamento lata fuerit lex, Si quis *LL. Doctor Londinum petierit, Capital esto*, non injustè se morte multari causare potest: Ratio est, quod consensu suo legislativam potentiam Parlamento confirmavit. Et plurimæ certè sunt in omni Rep. leges, quarum rigor non aliàs quam ex consensu hoc (lex enim omnis est Populi pactum) possit defendi. Licentia apud *Spartiatas* data, imò & apud *Agyptios* (ut supra memoratum) ut res ab innocente vicino surreptæ, si modo leges de furto factò observentur, lucro furum adeoque innocentium damno cederent. Non igitur queri de injuria possunt, quibus amissæ res, cum ex communi hoc contractu fiat. Fidejussores criminum, & pœnarum alienarum susceptores, imò Obsides ipsi omnes innocui, ex pacto solum capitis evadunt rei. *Zalencus* injuriam non est passus, cum altero se carere oculo voluerit. *Sinnenses* non patiuntur, quoties terga in verbera & pœnam vendentes eam, quam aliàs non meruere, sentiunt? Generalis omnium hæc est ratio, Quod *Volenti non fiat injuria*: quodque de remissione per novationem dicit *Ulpianus*, ff. de novat. l. i. non minus de pura remissione naturaliter obtinet. ‘Illud, inquit, non interest, qualis præ-

præcessit obligatio, utrum naturalis, an civilis, an honoraria; utrum verbis, an re, an consensu: qualiscunque igitur obligatio sit, novari verbis potest. Quæritur apud *Iustinianum*, 'An si quis conscribendo instrumento se se confessus fuerit, Non usurum fore præscriptione, ea tamen uti possit? Respondet Imperator eum, qui hoc pactus est, non debere adversus suam conventionem venire. Si enim & ipso Prætoris edicto pacta conventa, quæ neque contra leges neque dolo malo inita sunt, omnimodo observanda sunt; quare & in hac causa pacta non valeant, cum alia sit regula Juris antiqui, Omnes licentiam habere his, quæ pro se introducta sunt, renunciare? *Cod. de pactis. lege, si quis in conscribendo. 29.* Quam regulam, mutatis paulum solummodo verborum apicibus, sic *Julianus* profert: 'Unicuique licet contemnere hæc, quæ pro se introducta sunt. *ff. de minoribus. leg. si iudex. 41.* *Triphonius* idem agnoscit Jus: 'Cuique enim licere *pronuntias*, sui juris persecutionem, aut spem futuræ perceptionis, deterior rem constituere. *ff. de pactis. l. 46. ad finem.*

Liquidissimum est quod habet Imperator de modo auferendi obligationem ex contractu. *Inst. quibus modis tollitur oblig. §. ult.* 'Ex obligationes quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur. Nam si *Titius* & *Sejus* inter se consenserint, ut fundum *Tusculanum* emptum *Sejus* haberet centum aureis; deinde re nondum secutâ [ id est, neque pretio soluto, neque fundo tradito ] 'placuerit inter eos ut discederetur ab ea emptione & venditione, invicem liberantur. Idem est in conductione & locatione, & in omnibus contractibus qui ex consensu descendunt.

Per consensum etiam quot tolli solebant Obligationum genera, ex vi *Acceptilationis Aquiliana* videri potest. 'Quicquid enim mihi ex quacunque causa (contractu vel quasi, ex maleficio vel quasi, aliove quopiam modo) *Titium* dare, facere oportet, oportebitve, præsens, in diemve, aut sub conditione, quarumcunque actionum mihi cum *Titio* actio est: [sive sit cum eo tanquam filio pro alimonia, sive cum venditore pro re empta, aliave ex causa, nihil interest] 'quæcunque adversus eum mihi petitio,

' petitio, vel adversus eum persecutio est, eritve, quodve  
 ' *Tuum* meum habet, tenet, possidet, dolove malo fecit,  
 ' quo minus possideat, illud, inquam, totum possum per  
 ' *Aquilianam* stipulationem remittere, ut videre est ex  
 formula remissionis, *Inst. eod. §. 2.* Remissio autem per  
 hanc acceptilationem nihil minus quam solutionem re-  
 quirebat: definitur enim imaginaria solutio, *Inst. eod.*  
 §. 1. & facta crebro apud *J. C.*tos audit. Notabile enim  
 satis est quod habet *Ulpianus*, *ff. de acceptilatione. l. si ac-*  
*cepto. 19. §. 1.* ' Inter Acceptilationem & Apothecham hoc  
 ' interest, quod Acceptilationi omni modo liberatio con-  
 ' tingit, licet pecunia soluta non sit; Apothecha non aliàs  
 ' quàm si pecunia soluta sit. Hinc annotat *Gothofredus*  
 in locum: ' Acceptilationi non posse opponi exceptio-  
 ' nem pecuniæ non numeratæ. Formula igitur illa *Inst.*  
*quibus modis tollitur. §. 1. Habesne acceptum? Habeo:*  
 vel Græcè, ἔχεις λαβὼν ἀνδεῖα τόσα: ἔχω λαβὼν, idem  
 sonat atque si quis diceret, Perinde habeo ac si accepis-  
 sem abs te vera solutione. De qua formulæ interpreta-  
 tione, nisi nullus restaret dubitandi locus, ex alterius for-  
 mulæ comparatione confirmari potest. Extat autem *ff.*  
*de acceptilatione. l. 7. sane. Accepta facis decem?* Ille re-  
 spondet, *Facio.* Quin & *Juris* apud nos municipalis hæc  
 apud *Wingatum* statuuntur Regulæ. ' Consensus tollit er-  
 ' rorem. *Max. 121.* ' Quilibet potest renunciare *Juri* pro  
 ' se introducto. 123. ' Volenti non fit injuria. 122.  
 ' Omnis Ratihabitio retrahitur, & mandato seu licen-  
 ' tiæ æquiparatur. 124. *Tract of the Reason of the Com-*  
*mon Law.*

*Aristoteles de morib. lib. 5. c. 11.* definit ita injuriam.  
 ' Ἀδικῶν ἐν τῷ βλάπτειν περὶ τὴν πάχρηστον βλάβησιν' βλάπτεται  
 ' μὴ ἔν πε ἑκὼν, ἀδικεῖται δ' ἐδὲς ἑκὼν. ' Injuriam afficere  
 ' idem est atque lædere contra læsi voluntatem: Damno  
 ' enim afficitur quis etiam sponte sua (seu volens dam-  
 ' num quod patitur) nemo autem volens Injuriam afficitur.  
 Exempla etiam habet *Philosophus*, quibus confirmetur  
 Axioma. Primum de incontinenti, qui quamvis sibi nocuerit  
 ex mala electione, nondum tamen injustus censetur.  
 Secundum de *Glaucō* apud *Homerum*,

Χρῖστα χαλκίων ἐπιτόμοι' ἐπιβαλοῖον

permutante,

permutante, aut quocunque alio modo, qui quamvis prodiga largitione aut pacto rem familiarem bonaque sua possit diminuere, nihilo magis tamen injurius sit, quod ἐπ' αὐτῷ ἔστι τὸ δίδουαι, in ejus potestate sit qui dat, dare vel non dare, prout libuerit. Concludit igitur, ἐπὶ μὲν ἔν τῷ ἀδικοῦντάι, ὅτι ἔχ' ἐκείσιν δῆλον.

Crellius (*Eth. Arist. part. 2. c. 18*) Aristotelem xpi vīda ferè sequitur; volenti enim posse fieri injuriam negat, 'quia hoc ipso injuria revera esse desineret. Nam eo ipso, dum hic vult damnum perpeti ab altero, de jure suo remittit, ac sic alter nihil revera contra jus ipsius facit. Injuria est damnum à sciente prudente illatum, eum demum cum nolenti etiam illatum sit. Et *quest. 3.* concludit, Neminem sibi ipsi posse facere injuriam, hac ratione, 'quia quisquis sibi damnum infert, volens infert; quisquis autem patitur, nolens patitur, adeoque simul esset nolens & volens.

Eademque ferè commentatus est *Gassendus* ad *Moralem Philosophiam Epicuri*, in pag. 88. lib. 10. *Laert.* ubi egregium etiam illud *Aristotelis Eth. lib. 5. c. 12.* citat, & sic transferre voluit. 'Si quis in rerum distributione minus accipiat quam sibi debeat, ut viri moderati solent facere, non posse eum queri factam sibi injuriam (& commutans quidem præsertim jacturam cum gloria, aut cum eo quod honestum est simpliciter) ὅτι ἔκ' ἀδικοῦντάι ἀλλὰ βλάπτεται, adè ut non injuria sed damno solum afficiatur.

N r n

Num.

**NUM. 5.** Quo pacto fieri possit, ut qui naturaliter juri possit renunciare, ita tamen civiliter obligetur, ut illud non facere valeat? *Distinctio Bartoli, quibus in casibus secundum Jus Civile juri suo quis possit renunciare.*

Certè ex conventionem seu contractu illud fieri possit; cumque Lex se habeat ut Civium contractus, ex ipsa Lege. Ita se vivo, penes *Titium* est ut possit Jura sua remittere, & res in alium transferre, nihil tamen impedit, quo minus ex consensu conventio fiat, ne illa remittantur. Si quis igitur promiserit se Jura non esse renunciaturum, nequit is invito promissario à promisso recedere: quodque conventum est, partes utrasque ex promisso obligat. Quæritur proinde, an juxta leges civiles ratione qualibet & casibus quibuscunque pacisci non liceat, nec in pactis possimus rebus nostris renunciare? Respondendum consequenter est, rationem esse quòd lege prohibeamur, quæ prima civium intelligitur conventio impediens ne posterius pactum quodammodo ratum fiat. De Pactis enim supra observatum est, Prius tempore Jure esse potius.

Notabile nihilominus satis est, eas ipsas, quas reperimus in Jure Civili, prohibitiones, in Jure Naturali suum habere, magna saltem ex parte, fundamentum; vel scilicet quia qui supponitur renunciare mente caret, adeoque curatore eget, ut res suas gerat; vel quia ex renuntiatione alteri contingit detrimentum; vel alias contra bonos mores directè pugnet; ut si quis ideo sua renunciaret, ne cogeretur in parentes esse gratus: cujus rei fidem facere possit vel unica illa *Bartoli* hac in re distinctio, ad l. si quis. num. 3. C. de pactis.

Aut, inquit, est Jus publicum, & ei non potest quis renunciare; aut est Jus privatum, cui quis vult renunciare: & tunc quandoque illud continet privatam  
utili-

‘ utilitatem renuntiantis, & publicam simul ; quandoque  
‘ continet utilitatem renuntiantis, & cujusdam alterius  
‘ privati ; quandoque continet utilitatem renuntiantis  
‘ tantum.

‘ Primo casu, si quidem utilitas privata potest separari à publica, valet renuntiatio quantum ad privatam utilitatem ; quantum ad publicam, non : si non potest separari, non valet.

‘ Secundo casu, cum continet utilitatem renuntiantis & tertii, & tunc idem est ; qui, si quidem possunt separari, valet quantum ad præjudicium renuntiantis ; non quantum ad præjudicium tertii.

‘ Tertio casu, quando continet privatam utilitatem tantum, tum quandoque illud est introductum specialiter in favorem renuntiantis, quando principaliter in odium alterius, & secundario redundat in favorem renuntiantis. Primo casu, si quidem favor est introductus propter renuntiantis (puta minoris) imbecillitatem, renuntiatio non valet : si verò introductum est aliàs quàm propter imbecillitatem ejus, tunc, si quidem talis renuntiatio esset contra bonos mores, vel inducit aliquem ad delinquendum, non valet ; sed si non esset contra bonos mores, nec induceret ad delinquendum, tunc renuntiatio valet. Secundo casu, quando Jus illud principaliter est introductum in odium alterius, tunc si quidem renuntiatio est causa cur illud odium cesset, valebit renuntiatio ; aliàs non valeret.

**Num. 6. *Quod ex hoc principio, Volenti non fieri injuriam, minus rectè ab Hobbio concludatur, nullam esse posse injustam legem.***

Afferit *Malmesburiensis*, (*de libert. & necess.* atque alibi non infrequenter) nullam esse posse injustam legem : quia quisque censetur consensu suo legem sibi, cui observandæ tenetur, constituere ; adeoque impossibile esse, ut justa lex non sit futura, nisi quis sibi possit ipsi esse

injurius. Non inficiari quidem Civiles leges, juxta quod à *Demosthene* est dictum, civium esse pacta, rectèque *Aristotelem* ad *Alexandrum* rescriptisse,  $\text{νόμος \& \lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma \alpha\iota\epsilon\iota\sigma\omega\delta\omicron\varsigma \kappa\epsilon\delta' \omicron\mu\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\omicron\varsigma \kappa\omicron\iota\iota\omega\ \sigma\theta\lambda\epsilon\omicron\varsigma \mu\alpha\upsilon\tau\omega\ \phi\iota\ \delta\iota\ \sigma\phi\epsilon\iota\tau\omicron\iota\eta\ \iota\psi\alpha\iota}$ , *Rhet. lib. c. 1.* modo vox illa *ἴσα* ita limitetur, ne Juri Naturæ à Jure Civili fiat præjudicium. Neminem sibi ipsi injuriam propriè dici posse & nos asserimus; at quid impedit quo minus ejusmodi ineatur pactum; quo aliis à paciscentibus inferatur noxa? Sic *Senatusconsulto*, scito *Populi*, *Principis placito*, aut alia forte ratione inter *Romanos* statutum extare possit, Jus fore rescribens civi *Romano Sinenses, Scythas, Tartaros*, ad libitum & arbitrium sine quocunque meriti intuitu occidere & jugulare; & mille aliàs rationes sunt, quibus pacisci cives possunt in exterorum præjudicium nihil iniqui merentium. Hujusmodi scita neque diffiteor civiles dici posse leges, neque justas esse consentio: Nam neque extendi debet pacti ultra paciscentes obligatio, neque exteros in suum detrimentum consensisse credi par est; neque denique cogitare fas est, *Dei Optimi Maximi* humano cordi inscriptum seu Naturæ Jus Jure Civili vel pactationibus quibuscunque posse perimi.

**Num. 7.** *Quomodo alii etiam modi, quibus obligationes Jure Civili aut Municipali tolli soleant, supra descriptis modis generalibus unice videantur inniti tanquam veris fundamentis, quibus si destituerentur, nihil haberent quo equitatem suam tueri possint,*

§. 1. Ex nata solvendi impossibilitate his rationibus tollitur Obligatio Jure Civili.

1. Per capitis diminutionem maximam & mediam. Quomodo enim solvere potest, qui omnibus ita exiit bonis, ut non possit in possessiones nisi ex postliminio redire?

2. Per

2. Per interitum speciei debita. Ipsa enim quae interit res, praestari non potest: si per culpam debitoris intereat species, quatenus praestari potest, restabit adhuc Obligatio; quippe succedet in locum praestationis speciei praestatio aestimationis.

3. Per exemptionem rei, quae praestari debuit, ex commercio hominum.

4. Per cessionem bonorum & juris sui. Nihil enim quod solvat habet, qui Jus omne suum abdicavit.

5. Per confusionem. Confundi enim Obligatio dicitur, quoties debitor creditori, vel creditor debitori haeres existit, vel unus utriusque. Jus verò tale. Si haeres pro parte sit; Obligatio pro ea tantum parte jure confusionis tollitur, pro qua defuncto succeditur. *l. cum à matre. 4. C. de rei vindicatione. l. 6. C. de hered. act.* Sin ex affe; omnis Obligatio tollitur, si modo haereditatem retineat; impossibile enim est, ut idem cum seipso agat, vel sibi ipsi solvat: cum igitur in omni confusione eadem fiat persona quae debet solvere, & cui oportet solvi, ut tollatur obligatio & actio est necesse.

§. 2. Ex remissione per consensum tollitur Obligatio Jure Civili.

1. Per Acceptilationem.

2. Per Pactum: de quibus supra in testimoniis ad Remissionem spectantibus.

3. Per Novationem. Ea enim fit, cum ex consensu prior tollitur aliquatenus, vel omnino, & nova constituitur Obligatio. Sic enim *Ulpianus ff. de novat. l. 1.* 'Novatio est prioris debiti in aliam obligationem, vel naturalem, vel civilem, transfusio atque translatio: hoc est, cum ex praecedenti causa ita nova constituitur, ut prior perimatur. Novatio enim à Novo nomen accipit, &c. Atque huic coincidit Delegatio.

4. Per Transactionem. In ea enim requiritur ut res sit dubia; & is qui Creditorem se dixit, & is qui Debitorem se negat, aliquid ex Jure suo per consensum remittat.

5. Per Liberationem in Testamento legatam. Veluti si voluntas creditoris de remittendo debitori obligationem satis indicata fuerit.

6. Per Compensationem. In qua hujusmodi supponitur



nitur contractus. Remitto decem libras, quibus solvendis tu mihi obligaris, si modo ipse remittes decem libras, quibus ego solvendis tibi obligor. Consensus verbis contrahentium vel literis significari possit; verum si non aliàs, saltem per primarium illum consensum legi datum, ex qua talis stabilitur per compensationem modus solutionis.

7. Per longi temporis Præscriptionem. Ex qua non alia ratione tollitur Obligatio quàm ex consensu primario ad legem, quæ non finit Obligationes ultra certum tempus protrahi.

8. Ita etiam per oblationem & obfignationem rei debitz. Hoc enim oportet, modo contentus sit creditor; eum legi consenserit, quæ tali solutione creditores jubet esse contentos.

9. Neque aliter per Jusjurandum solutio contingit, nisi quia voluit lex, si contingat, creditore Juramentum deferente, debitorem jurare se non debere, ut creditor agens repelleretur: cui legi consensisse præsumuntur quotquot non exleges se censi volunt, & Juramento liti dijudicandæ deferendo consentiunt.

10. Per exceptionem rei judicatæ. Lege enim, in qua communis implicatur populi consensus, cautum est, ut singulis controversiis singulæ actiones, unusque judicati finis sufficeret, nisi si quis errore deceptus sit: aliter enim modus litium multiplicatus summam atque inexplicabilem faceret difficultatem, maximè si diversa pronunciarentur. ff. de exceptione rei jud. l. singulæ.

Notandum verò posse contingere, sicut actu etiam Jure Civili sæpius contigit, ut coincident hi modi, vel pro tota Obligatione tollenda, vel pro aliqua ejus parte. Impossibile enim est, cum in eandem personam jus stipularis promittentisque devenit, ut solutio fiat, vel actio intendatur, ut supra ostendimus; consensus tamen populi *Romani* aliquid etiam contulit ad hanc Obligationem tollendam. Hinc dicit *Pomponius*, ff. de solution. l. verborum.

107. hac ratione civiliter eam tolli.

Nec importunè ad hoc Remissionis caput reducuntur casus, quibus ex humanæ Naturæ cognitione interpretamur homines ea velle quæ ipsorum intersunt, quamvis

alia

alia voluntatis signa, quàm communis Naturæ sensus, non adfuerint expressa.

*Cicero*: 'Incidunt sæpe tempora, cum ea quæ maxime videntur digna esse justo homine, commutantur fiuntque contraria: ut non reddere depositum, etiamque furioso facere promissum, quæque pertinent ad veritatem & ad fidem, ea interdum negare & non servare sit justum. Potest etiam accidere, promissum aliquod & conventum, ut id effici sit inutile, vel ei cui promissum sit, vel ei qui promiserit. Nec promissa igitur servanda sunt, quæ iis sunt, quibus promiseris, inutilia. *Off. 1.* Ratio est, quòd communis sit præsumptio, Unumquemque velle ea remittere, quæ perfecta sibi forent perniciofa. Imò non irrationalis alia est præsumptio; Unumquemque velle, sicut debet, ea omnia pacta remittere, quæ perfecta promittenti nocere possint, promissario nulla ratione prodesse. Atque idcirco si quis revera mente captus fuerit, aut planè inhumanus extiterit, non semper strictè considerandum quid actu remiserit, sed quid etiam debuit remisisse. Egregium hac in specie exemplum ponit *Cicero, de Off. 3.* 'Si quis, inquit, medicamentum cuiquam dederit ad aquam intercutem, pepigeritque ne illo medicamento postea uteretur, si eo medicamento sanus factus fuerit; & annis aliquot post incidere in eundem morbum, nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut iterum eo liceat uti: Quid faciendum sit, cum sit is inhumanus qui non concedat uti, nec ei quicumquam fiat injuriæ? Resp. vitæ & salutis consulendum. Ita *Cicero*. Hæc autem instantia mente corruptos potius, quàm captos spectat. Promissa etiam non servanda statuit *Cicero, De Off. 1.* 'Si plus tibi noceant, quam illi profint cui promiseris. [Rationem denique subdit.] 'Quia contra Officium est, majus damnum anteponi minori. Itaque [hoc casu] 'non esse contra Officium non facere quod dixeris, ut ille magis contra Officium discedat, si se destitutum queratur. Summa ratio est, quòd præsumptio justa sit, virum bonum eatenus velle promissa pactionesque remittere, quatenus debet, & ad remissionem concedendam Jure Naturæ tenetur. *Iniquum autem est, ut majus bonum postponatur minori.*

Con-

Considerandum igitur est quid ex naturali æquitate communi humani generis bono, salvis justitiæ præceptis, fiet. Resp. Sanè Promissarius ea lege pactionem tenebitur remittere, ut damnum ex ea non præstita ortum pacti reus refarciat; adeoque ex naturali æquitate Promissor tenebitur tantum ad interesse. Summum enim Jus, quod ad promissa strictè servanda obligat, in hujusmodi rerum circumstantiis summa foret injuria. Tales igitur in contractibus ineundis supponi debent conditiones, quæ naturalis æquitas requirit. Si enim leges ita sunt interpretandæ, ne à communi ratione & *bonis* recedant, multo magis de Promissis & Pactionibus privatis idem erit dicendum.

---

C A P.

## C A P. XIII.

## De Restitutione, seu Noxarum ex Natura Placitis non observatis natarum Reparatione.

Num. 1. *Si cujus peccata contra hanc Naturæ Placita vel per damnum datum, fidem læsam, retributionem omiſſam, affectuum naturalium vel humanitatis neglectum & incuriam, vel contemptum, alterius cujuscumque fiat deterior conditio, tenetur peccans id agere, ut damnum passus in pristinum restituatur statum, & ne quid ex ipsius culpa alteri cedat male, procurare.*

**M**aleficioſum (inquit *Grotius*) hæc appellamus culpam omnem, sive in faciendo, sive in non faciendo, pugnantem cum eo quod aut homines communiter, aut pro ratione certæ qualitatis, facere debent: Ex tali culpa Obligatio naturaliter oritur, si damnum datum sit, nempe ut id resarciatur. Damnum, fortè à demendo dictum, est τὸ ἀλάττωτον, cum quis minus habet suo; sive illud suum ipsi competit ex mera Natura, sive accedente factò humano, puta domino, aut pacto, aut lege. *Grotius, de jure belli. lib. 2. c. 17. §. 1, 2.*

Ad *Macedonium* de restitutione facienda sic *Augustinus* Ep. 54. rescribit. Quod autem in Epistola tui

' sequitur, ubi dicitis, Venum nunc ut mores nostri sunt;  
 ' & sceleris poenam cupiunt homines sibi relaxari, & id  
 ' propter quod scelus admissum est possidere; pessimum  
 ' hominum genus commemoras, cui poenitendi medicina  
 ' omnino non prodest. Si enim res aliena, propter quam  
 ' peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur  
 ' poenitentia, sed fingitur: Si autem veraciter agitur,  
 ' non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum.  
 Et infra: ' Qui contra jus societatis humanae furtis, rapi-  
 ' nis, calumniis, oppressionibus, invasionibus abstulerit,  
 ' reddenda potius quam donanda censemus, *Zacchai ex-*  
 ' *emplo.* Nec temere rejiciendum, quod à Theologis  
 quibusdam in *Zacchai* historia observatum est: *Servato-*  
*rum* non prius salutarem ejus statum prædicasse, quam  
 audisset hanc factam publicè sponsonem, *Dimidium re-*  
*rum mearum do pauperibus, & si quid abstuli, quadruplum*  
*ejus reddo.* Et acutè quidem videtur ab *Augustino* ani-  
 madversum, eos non revera *penitentis*, sed fingere solum  
 poenitentiam, qui in reparandis noxis hærent: Quotquot  
 enim nolunt à se restitui aut refarciri damna, adhuc per-  
 manere volunt & continuari nec auferri ab immeritis  
 noxam, & libenter sustinent se, quod animitus ad justi-  
 tiam conversi non faciunt, in Vicinos injurios. In le-  
 gibus de Religione apud *Ciceronem*, de legib. 2. sic præci-  
 pit *Marcus*: ' Impius ne audeat placare donis iram De-  
 ' orum; sanctè vota redduntò. Et in *Comment.* ad legem  
 infra positam *Platonem* citat, qui vetat, qua sit mente  
 futurus Deus dubitare, cum vir nemo bonus ab improbo  
 se donari velit. Certè præ omnibus vulgarissimum hoc  
 de religione præceptum: ' *Ἐστὶν ἰσὴρ ἄγρός ἔξ ἁδάρῃς.*  
 ' *Ἐγὼ. ἔξ ἡμῶν. βίβ. α.* apud *Hesiodum*; quod quidem ita  
 soleo ego interpretari: ' Nefas esse injurium, antequam  
 ' justus coram hominibus sit, (id est, damnum datum re-  
 paraverit, adeoque pro injuria satisfecerit) ' veniam ro-  
 ' gare, aut placare niti Deum. Cæteroque nemini Offi-  
 cium hoc incumberet, cum extet nullus simpliciter aut  
 justus, aut pius; atque hoc quidem sensu *Servatoris* jus-  
 sum accipere est expeditum. Tam enim ad sacra *ἑλπίαια*  
 quàm *ἐὐλασίαια* videtur id pertinere. ' Si munus tuum  
 ' attuleris ad altare, & illic memineris fratrem tuum  
 ' habere

habere aliquid contra te, omitte illic munus tuum coram altari, & abi primum reconciliator fratri tuo, & tunc ubi veneris, offer munus tuum. *Mat. 5. 23, 24.* Quantum enim momenti huic Restitutionis officio coram Deo inest, ex luculentissimo apud *Ezekielens* textu ipse per Spiritum suum testatur Deus. 'Si, inquit, improbus à peccato reversus exercuerit iudicium & iustitiam, pius item restituerit, & rapinam reddiderit, in statutis vitæ ambulaverit, non faciendo iniquitatem omnino, vivet, non morietur. *Ezech. 33. 15.*

**Num. 2. Quod damni reparatio sub lege Mosaica ab iis, qui in alios noxæ causæ visi sunt, exigebatur, S. S. Autoritas.**

Damni reparationem sub Lege *Mosaica* ab inferenti exigi debere plurima testantur S. Scripturæ loca. Leges apertæ sunt.

' Si retexerit foveam quis, aut foderit, deinde illam non operuerit; adeoque ceciderit illuc Bos aut Asinus, Dominus ille (*scil. foveæ autor*) pecuniam restituito Domino illius. (*sc. bovis.*) *Exod. 21. 33, 34.*

' Si quis miserit pecus suam, ut pascat in agro alterius, optimo agri sui & optimo vineæ suæ rependito. Si egressus ignis invenerit spinas, absumaturque meta frumenti, aut ipsa seges, aut aliquis ager; omnino damnum reparet is, qui fecit ut incendium esset. *Exod. 22. 5, 6.*

' Quum quispiam peccaverit, & fefellerit falsitate contra Jehovam, mentitus contra proximum suum, de deposito, aut de societate, aut de rapto, aut de dolo, quo fraudavit contra proximum suum; Sive inventa re mentitus erit de illa; aut juraverit de mendacio; de aliqua re ex omnibus quas facere potest homo peccando in iis: Tum erit quia peccavit & reus est, ut restituat rapinam ipsam quam rapuit, aut ipsam rem dolo interversam, aut depositum ipsum quod apud se depositum fuerat, aut ipsam rem amissam quam invenit; Aut de quocunque juraverit per mendacium, rependat illud quanti fuerit,

fuerit, & quintam ejus superaddito ei : ei cujus est dato illud in die oblationis pro peccato. Ita expiabit eum Sacerdos. &c. *Levit. c. 6. ad initium.* Adeoque cavet Deus, ne quis ex culpa sua lucrum caperet, ut Jus fore decreverit, deficiente persona cui restitutio jure proximitatis erat facienda, eam tamen nihilominus eo casu deberi præstari. Sacerdotem enim voluit personam læsi sustinere, juxta quod *Num. 5. 8.* extat præceptum. Si homo propinquum non habet, cui multa solvatur ; ea Jehovah solvitor, sitque Sacerdotis præter arietem propitiatorium, quo pro eo supplicetur. In quem textum de moribus *Hebraeorum* egregia scribunt *Fagius, Drusius*, aliique, ex veteribus Rabbiorum monumentis. Scias, inquit *Fagius*, quod transgressio quæ est inter hominem & proximum suum, non remittitur ei in æternum, donec restituat illi quod ei debet. Necessæ quoque est, ut reconciliet eum sibi, & petat ab eo condonationem. Quod si proximus ejus noluerit ipsi condonare, adducat ad eum tres homines, qui intercedant pro se, & petant ab eo delicti remissionem. Quod si ne sic quidem facere voluerit, peccatum magnum est ita crudelem esse, & non velle condonare : cum tamen *Israelita* faciles esse debent ad condonandum, quemadmodum fuit *Joseph* erga fratres suos. Si autem moritur proximus antequam petat ab eo veniam, adducat decem homines, quos statuat super sepulchrum ejus, & dicat ad eos, Peccavi in Dominum Deum *Israel*, & contra hunc hominem, quod fecerim ei sic & sic. Et si debeat ei pecuniam, restituat hæredibus ejus. Si ignorat quisnam sit hæres ejus, relinquat domo Judicii, id est, in Consistorio. Ita *Fagius* in locum. *Drusius* similia ex libro *Musar. fol. 18. pag. 2. in Matth. 5. 24.*

Num. 3.

**Num. 3. De Actionibus seu Formis a Jure præstitutis, juxta quas noxa ex non præstitis Obligationibus orta reparari, & damna inde tam publice quam privatim data resarciri Jure Civili consueverunt.**

Audivi sæpius à viris Jure tam Civili quàm Municipali consultissimis, si non integrum Jus, potissimam tamen ejus partem in Actionibus describendis, permitendis, prohibendis, limitandis versari: Actiones autem nihil aliud esse quàm Petitiones secundum Jura institutas, quibus res suas & bona aptè recuperant læsi, & injuriam facientes ad damna ex non præstitis obligationibus nata resarcienda adiguntur. Quemadmodum igitur civiles suprà citatæ Obligationes naturalibus visæ sunt conformes; ita etiam tituli de Actionibus ipsi naturam sequi videntur, quæ noxas injuria quacunque aut *avolsa* factas voluit reparari. Quod non melius ostendi possit, quàm si singulæ inducantur conditiones, quibus noxas per violationem singulorum Naturæ Placitorum factas reparari, & bona atque interesse de integro restitui Jure Civili est constitutum.

§. I.

*De Actionibus ex Placito de Innocentia.*

Ex peccato contra Naturæ de Innocentia præceptum maxima oritur conditionum earum pars, quæ ex dictis in Jure, sive delictis veris, sive quasi-delictis emanare visæ sunt. Quod enim ex hujusmodi delinquentium actibus fiat damnum, suprà à me puto satis esse declaratum.

Actiones igitur ad hoc caput pertinent: De Hæresi, Schismate, Apostasiâ ex Imperatorum constitutionibus; de Sacrilegio, ex l. *Julia*; de Sepulchro violato, de crimine læsæ Majestatis, & ambitu, ex l. *Julia*; conditio item peculatus residuorum & annonæ flagellatæ, ex lege item *Julia*; Plagiatus, ex l. *Fabia*; Homicidii, ex l. *Cornelia*;



*actio*; Parricidii, ex l. *Pompia*; Huc etiam pertinet conditio de Receptatione & illicitis Collegiis, de Prævaricatione, de Calumnia ex l. *Romina*; de Concussione, ex Edicto de Calumniatoribus; de Raptu, ex l. *Julia*; ex qua lege de Stupro & Adulterio etiam agitur; ob ex-pilatam hæreditatem ex Senatus-consulto, & oratione *D. Marci*; Reperundarum, ex l. *Julia*.

Hinc conditio Furtiva, hinc Servi corrupti actio, & ex illata injuria tam civilis quàm criminalis. Hinc de vi bonorum raptorum, de Damno injuria dato; item actio albi corrupti, & per vim exempti. v. *Valtejus Jurisp. Rom. lib. 2. cap. 19.* Quibus addi possunt conditiones ex delictis impropriis, quas in nunquam satis laudato Systemate Juris habemus recensitas. *lib. eod. cap. 20.*

Hic etiam rectè fundamentum sunt nactæ Actionum ex interdictis plurimæ. Ita ex interdicto, Ne quid in loco sacro fiat: Ne quid in via publica itinere publico, quo ea via idve iter deterius sit vel fiat: Nequid in Flumine publico ripave ejus fiat, quo deterior statio vel navigatio reddatur: Ne quid fiat in Clôaca publica; & si quid in ea factum erit, quo usus ejus deterior sit, ut restituatur: De arboribus cadendis: De reficiendo rivo ne vis fiat: De fonte, lacu, piscina, puteo, reficiendis, ne vis fiat; & cæteræ ferè omnes ex interdictis actiones.

§. 2.

#### *De Actionibus ex Placito de Fide.*

Longum esset Conditiones omnes recensere ex Fide ortas, in quibus *Valtejus* à capite septimo ad decimum octavum singulas vel leviter perstringendo est occupatus. Earum series illic videri possit. Aliæ etiam sunt Actiones, quæ in Fide originem possint nasci. Ita ex interdictis; veluti *Salviano*, de Precario; de Superficiebus; de Migrando; & aliæ forsitan nonnullæ. Quot enim ex causis Fides data juxta leges falli possit, tot dari Actiones (ne quis ex culpa sua meliorem sibi redderet conditionem) voluit Lex.

Et notandum videtur, quod multæ licet Conditiones, quæ ex contractu & quasi-contractu veniunt, in Jure iis contradistinguantur, in quibus ex delicto seu maleficio dari Actio dicitur; Naturam tamen rerum hanc distin-

cticnem

tionem rigidè non exigere. In utrisque enim æquè videtur delictum. *Grave quippe est fidem fallere*, sicut & grave ingratitudeis aut injuriæ esse reum. Neque quæ dicta est ex contractu conditio prius conceditur, quam à fide fuerit recessum, ejusque contigerit violatio. Mitius igitur à lege, & clementius aliquantum cum fidei temeratoribus agi quis dixerit, quibus in simplum solum ut plurimum (dolum enim in depositi causa excipio) eras condemnatio.

## §. 3.

*De Actionibus ex Placito de Gratitudine.*

De Actionibus Ingrati, *Cujacius in exposit. Novel. 78. de decal. instrum. & manuscr. Ingrati, inquit, in Jure duz tantum sunt Actiones; adversus Donatarium, & adversus Manumissum: nam adversus alios Actionibus Ingrati, ut quodam loco Seneca ait, ne fora quidem sufficerent. De Actione Ingrati adversus Manumissum vide Cod. de libertis, & eorum lib. L. ibidem unaquæq. Novel. 78. cap. 2. & c. De Actione adversus Donatarium v. Inst. de donationibus. §. 2. vers. sciendum. C. de revocandis donationib. l. 1. item l. 9. l. 10. eod.*

Actionibus his Ingrati annumerari etiam possit ea quæ parenti competit, per querelam de inofficioso testamento adversus filium, qui, cum defuerint in linea descendenti hæredes, in testatione, officii incurius, parentes præterit. ff. de inofficioso test. l. 1. & l. 15. Item Instit. eodem. §. 1. & alibi in Jure passim.

## §. 4.

*Ex Placito de Philantia nulla dantur Actiones.*

1. Ex solius Philantia causa nulla justa dari cuiquam potuit Actio. Nemo enim est, qui ubi sui solius vertitur commodum, non possit secum dispensare, & quod sibi debetur remittere.

2. Nec opus est, ut eo metu cogamur, qua nos affectuum vis maximo propellit impetu.

## §. 5.

*De Actionibus ex naturali affectu profuensibus.*

1. Hac pertinet Actio de Sodomia, sive sit extraordinaria, sive ad *L. Juliam* pertineat. En *L. Pulchram. C. ad L. Juliam de adult. L. 31.* 'Cum vir nubis ut  
fœmina

‘fœmina viris paritura [ita enim legendum duxi]  
 ‘quid cupiatur? Ubi sexus perdidit locum, ubi scelus  
 ‘id quod non proficit scire, ubi *Venus* mutatur in alte-  
 ‘ram formam, ubi amor quæritur nec videtur; jubemus  
 ‘insurgere leges, armari Jura gladio ultore, ut exquisitis  
 ‘pœnis subdantur infames, qui sunt vel futuri sunt rei.

2. Actio etiam & pœna expositi à parente infantis hinc  
 possit deduci; de qua frequens in Jure mentio.

3. Actio per querelam inofficiosi Testamenti, quæ  
 liberis datur, qui sine causa exheredantur, aut in Te-  
 stamenti factione omittuntur. *ff. de inofficioso testamento.*  
*Instit. eodem. Codice. eod.*

4. Actiones etiam ex similitudine illius, quæ fit per  
 querelam inofficiosi Testamenti, in Jure habentur: 1. Ex  
 inofficiosa donatione, cum liberi per parentum libera-  
 lem nimis donationem, dum in vivis erant, factam de-  
 bito eorum subsidio, id est, legitima portione privantur.  
*Cod. de inofficiosis dotib. l. 2. ex inofficiosis dotibus.* Et com-  
 petit, cum mater in fraudem liberorum, id est, ut eos de-  
 bitis emolumentis spoliet, omnia sua bona vel magnam  
 eorum partem secundo merito dat. *Cod. de inoff. dotib.*

§. 7.

*De Actionibus ex Placito de Humanitate, seu Caritate in  
 vulgus debita.*

Ex hoc Placito vix dantur, quæ numerari possint ex  
 Jure, Actiones. De minimis Legem non cavere ipsa de  
 se fatetur *Lex.*

In hoc tamen Placito non temerè quis dixerit origi-  
 nem habere Actionem ex Interdicto, Ne vis ei fiat qui  
 via utitur publica, itinereve publico. *ff. de locis & itinere-  
 rib. publ.*

2. Ne vis fiat, quo minus quis in flumine publico na-  
 vim, ratem agere, quove minus per ripam onerare, exo-  
 nerare liceat; item ut per lacum, fossam, stagnum navi-  
 gare publicum liceat. *ff. ut in flumine publico.*

3. Ex interdicto de Glande legenda. *ff. de glande le-  
 genda.*

4. Ne quis impediatur, quo minus quis ex publico flu-  
 mine aquam ducat: ex l. *Quo minus ff. de fluminibus.*

Num.

**Num. 4. De ratione Obligationis ad pœnas subeundas, & quomodo alicui Jus competat eas, quas debet improbus, pœnas exigere. Ubi probatur Rationem hanc naturalem esse & maxime genuinam, quod alias fieri non possit, ne cui ex alterius culpa sit male: nec ita procurari ut publica res in eundem restitueretur statum, quo ante malo exemplo commissa facinora homines fruebantur. De Civili etiam ad pœnas subeundas Obligatione.**

Hic noxæ merito censetur reus quisquis, quamvis eam immediatè non intulerit, causas tamen sic ad noxam instruxit, ut probabiliter possint nocere. Unusquisque prospero semper Fortunæ secundatus Favonio improbus, non solum per se nocet, verùm, quod magni certè faciendum, exempli sui magnetismo alios ad nocendum prolestat:

*Dociles imitandis*

*Turpibus ac pravis omnes sumus. —*

Nemo sibi uni errat; contra humanam naturam, quisquis peccaverit, peccat. Fœcundum est felix scelus, latiusq; ferè in hominum animos ejus serpit contagis, quàm pestis inter corpora. Neque quidem ex tam infausa vitiorum propagatione simplex emergit damnum, aliud quippe ipsi ad maleficium corrupto accidit, vel si plures sint (ut semper ferè supponi par est) ipsis quotquot sunt omnibus; quippe qui corrumpuntur, privantur volupti è benefactorum memoria mentis statu, quo prius sui poterant; neque habent quo tanta animi voluptas in jam innovata vivendi ratione compensetur. Deinde & aliud est iis illatum damnum, qui quotidie lædi solent ex jam cor-

P p p

raptorum

ruptorum maleficiis. Ponamus igitur felicem aliquandiu. (quoad externa in hoc saeculo) maleficum. Fiet, ut quamvis de industria illud non procurer, plures sibi similes ex facinorum pulchre succedentium contemplatione reddat: Nova autem proles ~~magis~~ ~~etiam~~ ~~etiam~~ ~~etiam~~ exemplat sequitur, eodem utitur genio, & injuriarum studiis exercetur. Si igitur malefeceris, & in causa fueris cur alii ad vitia eadem se componerent ratione, illud imprimis agendum est, ut ipse peccare desinas, deinde ut ceteris à te latis damna repares, & animos, ad injuste agendam quos fecisti promptos, in bonam reducas frugem, & humaniora componas studia. Sola, quantum scio, expedita est ratio, & felix machina ad demoliendum improbe susceptum consilium, ut apprehensio grandioris alicujus mali quam quod injuriae lucro possit compensari, & certo consecuturi, deliberanti objiciatur. Hoc appositissimum ingenium hominis excogitavit remedium, ut à notha illa, quam ex delictis capiunt, voluptate, impietate jam facti velle recedere cogantur. Aut igitur necesse est futurum, ut qui malo suo exemplo alios in scelus provocarunt, se grandiori aliquo malo affici sinant, nec poenas detreant, ut ita prius seducti in frugem redeant; aut necesse erit, ut damna non reparent jam facta, sed lædere alios adhuc persistant, ipsi licet scelere ulteriori proprias manus non contaminent. Quid enim? Venenosam jam emisissent contagem, quæ nisi restinguatur (quo autem alio modo restingui possit nescio) ipsa per se jam nocet, nec desinunt esse injuriarum rei, nisi emanata hæc ex ipsis scelerum effluvia restinguant. Æquum igitur est, ut qui injuriis alios impetebant, per proprium etiam damnum, ne in infinitum ab ipsis ceptum derivatumque excurreret nefas, communitati consulere, ipsique sua potius luerent crimina, quam ut his innocentum societates distraherentur.

Atque hæc quidem est naturalis, quantum ipse assequor, ratio, qua ita obligatur homo ut poenam subire debeat. Postquam enim grave malum sibi imminere intelligit homo, nisi damna ex improbitate sua nata reparet, videtur tam naturale ei damna ejusmodi reparare velle, quam dolorem fugere.

Civilis

Civilis ratio Obligationis ad pœnam est ex consensu ad Legem, quæ hujusmodi pœnam exigit; quam ego ita civilem dixerò, ut in Natura, sicut cæteri contractus, fundari minimè negem: hæc autem vel severissimas, quæ subditis seu civibus irrogantur, pœnas defendi posse arbitror. Supposito quod pati debeat, si quærat, Quomodo nobis exigendi pœnas Jus comperat, brevi respondemus: Jus habere unumquemque secundum Naturæ leges ad illud omne faciendum, quod Natura non vetuit: Nihil autem ab ea vetari jam supponimus, nisi quod hic à me descriptis quodammodo repugnet placitis: Nulli autem repugnat Naturæ legi, qui injurium, & Naturæ communis per omnem mundum legumlatricis contemptorem, damno afficit. Ex hoc Jure propter occisum fratrem argumentatur adversus seipsum *Cainus*: *Jam, inquit, eo res devenit, ut ab obviente quopiam occide (impune) possim.* Gen. 4. 14.

**Num. 5. De Pœnarum in Jure Civili gradibus, ex Inst. de Actionib. §. 21, 22, 23, 24, 25. Et ratione Actionum ultra simplicium conceptarum: de Obligatione item Civili ad pœnas quasunque juxta leges subeundas.**

§. 21.

‘Omnes Actiones (*inquit Imperator*) vel in simplicium conceptæ sunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum: ulterius autem nulla Actio extenditur.

§. 22.

‘In simplicium agitur, veluti ex stipulatione & mutui datione, ex empto, vendito, locato, conducto, mandato, & denique ex aliis quamplurimis causis; cujusmodi actiones persequendæ rei solius causa comparatæ sunt sine omni respectu ad pœnam, ex qua publicè morum corruptioni consulitur. In simplo autem intelligitur omne interesse actoris reum ab obligatione non recessisse,

quicquid scilicet hac ex causa abest auctori, aut est abfuturum quod aliàs non abfuisset. Tantum quippe simpliciter damnatus pendit, quantum sufficere possit praestitum, ut res in eam aequalitatem reducatur quae initio erat, & adhuc, si integras servassent obligationes, mansisse est credibile.

## §. 23.

In duplum agimus, veluti furti nec manifesti, damni, iniuriæ, ex lege *Aquilæ*, depositi ex quibusdam causis; item servi corrupti: quæ competit in eum, cujus hortatu, consiliove, servus alienus fugerit, aut contumax adversus dominum factus est, aut luxuriosè vivere cœperit, aut denique quolibet modo deterior factus sit. In qua actione etiam æstimatione earum rerum, quas fugiendo servus abstulerit, deducitur. Item ex legato, quod venerabilibus locis relictum est.

## §. 24.

Tripli vero agimus, cum quidam majorem veram æstimatione quantitatem in libello conventionis inserunt, ut ex hac causa Viatores, id est, Executores litium, ampliores summam sportularum nomine exigent: tunc enim id, quod propter eorum causam damnatum passus fuerit reus, in triplum ab auctore consequetur, ut in hoc triplo etiam simpliciter, in quo damnatum passus est, contumescatur.

## §. 25.

Quadrupli autem agitur, veluti furti manifesti; item in eo quod metus causa factum sit, deque ea pecunia quæ in hoc data sit, ut is cui datur, calumniæ causa negotium alicui faceret, vel non faceret. Item ex lege *Condititia* constitutio oritur in quadruplum, condemnationem iis imponens executoribus litium, qui contra nostræ constitutionis normam à reis quicquam exegerint.

Notandum, quod in actionibus omnibus, in quibus ultra simpliciter condemnatio fiebat, quicquid ultra à lege requirebatur, ad restitutionem integritatis morum pertinebat modo supra dicto faciendam, & poenæ nomine exigi solebat, ut videre est §. 18. *Inst. eod.* Poena enim in emendationem hominum constituitur. ff. *de poenis* l. 20.

Plaut

Planè [ inquit *Hopperus* ] liquet. originem pœnarum à disciplina esse, & ad ejus qui punitur emendationem exemplumque aliorum, & malum de medio tollendum pertinere. *de vera Jurispr. lib. 12. tit. 7. quo pacto judicia publica peragantur.* Insignis est hoc in argumento *Platonis* in *Protagora* sententia. Nemo, inquit, injustos pœnis afficit, ad hoc attendens præcisè quod quis injustè egerit, nisi fortassis tanquam serpens & præter rationem id faciat. Verùm qui ratione punire aggitur, non præteriti sceleris causa pœnit. (neque enim potest, ut quod factum est infectum fiat, præstare.) sed in futurum prospicit, ne scil. rursus aut idem, aut alius, qui ipsum pœnas dantem viderit, delinquat. Quod *Platonis* dogma citat & *Lastuntius*. Prudentem scil. neminem punire quia peccatum est, sed ne peccetur: *de ira Dei. c. 8. l. 11.* Qui & in *Gorgia* testatur, decere pœnas dantem exemplo cæcis esse, ut ea que patitur contuentes, meliores præ metu evadant. Et *Triphominus, ff. de positi. l. bona fides. §. 6. in princ.* Maleficus & meritis, inquit, publicè, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiã egestate laborare debet: quippe, Pœna unius merus est multorum. *l. 1. Cod. ad l. Julianam repetund.* adeoque cæteros ab illiusmodi facinoribus ferè deterret. Vide ad hanc rem *Duaronum* in *Comment. in Dig. tit. de Pœnis. c. 1. Gaddæum ad legem 131. in pr. n. 25. 28. ff. de Verb. sign.*

Legislatorum igitur, quantum ad pœnas attinet, opus est & negotium, ut finem earum respiciant, & tantum à reo præstandum allocent, quantum ad damna reparanda possit sufficere. Cum enim incommodum visum est unumquemque sibi ipsi fore judicem, quid in causa propria, quantumque pœnæ ab alio propter malefictum exigere, & quousque iræ ultionique indulgere possit; ex communi civium consensu arbitri sunt facti, qui quantum pœnæ ad quælibet detrimenta integrè resarcienda satis judicetur, definitè statuunt.

Horum igitur Placitis si quid durius aut remissius, aut in cujusdam præjudicium constitutum fuerit, Lex tamen est, & publica Conventio; nec queri possunt jure cives vel populi contrahentes, qui Jura sua sibi invicem remittere



mittere justè censentur. Totius civitatis pæctio Lex esse intelligitur. Obligatur igitur unusquisque civitatem, si non ex prima Naturæ lege, quæ satisfactionem exigit; saltem ex pæcto, quo quisque legibus se subditum spondet, adeoque juri omni legibus contradicendi renuntiasse rectè creditur.

### **Num. 6. *Quomodo fiat, quod mala Improborum exempla cedant in Reip. perniciem.***

Maxima humani generis pars in fortunæ bona, vel corporis voluptates videtur propendere. Hi divites dum se fieri volunt, & citò fieri, adeo toti negotiis implicantur, ut non facile vacet de eo quod Prudentia vel Honestas suscipiat, seriò cogitare: & quamvis non sint ex Proximi nequam, facile tamen exemplis aliorum in nequitias deducuntur. Cum enim caliget non exercitata eorum ratio, nec statim judicium ferant quid verum sit, quid honestum, & quid minus, malunt alios sibi proponere vitæ duces; & quemadmodum medicinæ ignari valetudinaria sibi corpora aliis mandant curanda, & potius eligunt aliorum ope uti, quàm sibi ipsis propinare Pharmaca; utque agricolis fundos locant colendos qui ipsi agriculturam nesciunt, aut saltem eos in cultura imitantur: Ita quidem vulgus hominum, dum aliis in rebus occupatur, ita ut ad veritatem è puteo effodiendum, aut quid sit honestum dijudicandum, parum sit otii; ea credunt verissima, ea tanquam honestissima peragunt, quæ aut credere videntur, aut facere solent illi, quos ob sapientiam, aut justiciam suspiciunt.

Alii sunt his multo nequiores, qui nec pensi quicquam habent, quid verum aut honestum sit, quidve qui nomen Honestatis & Sapientiæ studio dederunt, dicent: solum illud audiunt, illud curant, quid velit is quem inveniunt summum Principem, potentissimum virum. Si is Justitiam elegerit, huic debetur quod cæteri non sint injurii: sin se ad impietatem converterit, totus hic hominum

multitudinum corrumpitur statim cœtus. Hinc illa *Cicero* *de leg. lib. 3.* ' Ut cupiditatibus Principum & virtutibus infici solet tota Civitas, sic emendari & corrigi continentia. Neque enim tantum mali est peccare Principes (quamquam & hoc magnum per se malum) quantum illud, quod immensam hominum vim pessimis exemplis sæpius in perniciem allestent. Nam licet videre, si quis velit replicare memoriam temporum, qualescunque summi civitatis viri fuerunt, talem ipsam civitatem fuisse; & quæcunque mutatio morum in Principibus exitit, eandem in Populo secutam esse. ' *Nemo,* *inquit Seneca,* errat uni sibi, dementia spargit in proximos, accipitque vicissim: & ideo in singulis vitiis populorum sunt, quia ea populus dedit; didicitque quisque deteriora, deinde docuit, &c. *ib.*

Porro vix, aut ne vix alicubi terrarum sunt adeo Potentia, Sapientia, aut Honestatis (ad speciem saltem) indigi, ut ii à nullis earum omnium, aut alicujus saltem earum gratia, suspiciantur. Quod ad Potentiam attinet, alta est dignitatum scala; in qua dum ab imo ad superiora contendimus, qui unico tantum gradu distant ab infimis, ab iis honoribus tamen & omni blandimentorum genere afficiuntur. A quibuscunque enim commodi aliquid lucellique proventuri spes est, his omne genus servitii vulgo exhibemus, & ad horum mores nos componimus; juxta quod *Martialis* ludit.

*Capto tuam (pudet heu) sed capto, Maxime, cœnam  
Tu captas alias. &c.*

Et quod ad sapientiam & honestatem attinet, vix quidem dantur adeo moribus improbi, aut mente Bardi, qui à nullis in honore sint & spectatu digni habeantur. Illud est aliquorum scelus, ut nihil generoso aut magno dignum æstiment, nisi quod impium. Ea aliquorum amentia, & infantile judicium, ut vel *Choræbum* depereant. Neque enim omnes summa sequuntur, aut ingenia, aut judicia; similes ferè ab utero nascimur, & quodcunque in tuemur, imitari facile studemus. Vulgaria potius quam rationi consentanea vulgum ducere nemo ignorat, qui vitam

vitam humanam contemplatur; ut non mirum sit magnum esse incommodum, quod à malo exemplo proficiscitur, Imo ipse Deus videtur hac ratione exigere pœnas, & ad *εὐδαιμονία* maximè prospicere. Dicit enim 'Se missurum ultimo die Angelos suos, ut colligant è regno ipsius scandala, & improbè agentes in ignem mittant. Sic *Mass. c. 13. v. 41.* Et *Juvenalis* hoc sceleribus accidere perniciosissimum notat, quod exemplo malo committantur. 'Deteriores enim sunt, qui vitam moresque hominum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædique diripiunt. *Greg. 6. q. 1. ex merito. s. deteriores.*

**Num. 7. Dogmatum Malmesburiensis de jure Pœnæ tam irrogandæ quam remittendæ animadversio: & cum Hypothesi nostra de obligatione ad pœnas dictorum dogmatum collatio.**

Peculiarem hanc Naturæ legem ponit *Hobbius*, oportere unumquemque omnibus pœnitentiam agentibus peccata condonare. 'Lex, *inquit*, Naturæ sexta est, ut unusquisque, accepta temporis futuri cautione, præteritas injurias pœnitentibus & petentibus condonet. *Leviat. p. 1. c. 15.* Nobis (ea nostra est Hypothesis) non licet tantâ esse clementiâ, ut omnibus pœnitentibus & veniam petentibus, quorumcunque facinorum pœnas condonandas esse statim pronuntiemus; nisi saltem velit illam de futura noxa cautionem tam ad alios à se, suoque exemplo corruptos, quàm ad seipsum extendi, & damna jam facta aliquo modo resarciri faciat. Neque enim sufficit ut ipsi, qui primi comperti sunt rei, injuriâque alios affecisse noti sunt, à cœpta aut ulteriori etiâ injuriâ ipsi desistant. Verum hoc etiâ requiritur, ut causæ sint quo alii ad noxam eorum fortè impulsî exemplo noxii esse cessent, & damna ab hoc exemplo nata (si quo modo fieri possit) reparentur. Nec priusquam hoc fiat, Obligationi plend

plenè satisfactum censuimus. Autor verò, ut jus aliquod pœnæ exigendæ statueret, ad grandisonam illam & *swelar dðξαv*, in qua omne stupendi illius in re Politica ædificiî onus recumbit, recurrere necesse habet. *Leviath. p. 2. c. 28.* Jus scilicet esse aliquod Originale, quod unicuique competeat ante Civitatis constitutionem, quo alium lædere, sibi subdere, aut etiam occidere, conservationis suæ causâ possit. Verba in *Anglico Originali* sunt: *Before the institution of a Common-wealth, every man had a right to every thing, and to do whatsoever he thought necessary to his own preservation, subduing, hurting, or killing any man in order thereunto. And this is the foundation of the Right of punishing. &c.* Hujus opinionis ut invidiam evitaret aliquatenus, in versione Latina occultandam procuravit; suppressit enim commatis illius versionem, *subduing, hurting, or killing any man in order thereunto.* Cum autem ante civitatis constitutionem unicuique quilibet agendi, quod ad sui conservationem videtur necessarium, Jus asseruerit, omnes istiusmodi actus sub generali voce contineri ex cæteris scriptis didicimus. Jus autem illud alios omnes sibi subdendi, lædendi, occidendi, cum naturale ex ipsius mente sit, in Principe nec tolli posse nec diminui asserit: quia, ipso iudice, Princeps nullo modo potest dominium in se recipere, & se interim in aliquo ad subditos obligare, ne sic infirmum nimis constitueretur dominium, & magna nasceretur ad Naturæ, quem vocat Belli, statum Reipub. proclivitas. Quæ omnia cum secus à nobis statuuntur, ut ex integra Hypothesi videre est; cumque nullum uspiam, cujusmodi est ab eo commentum, Jus esse Naturæ animadvertimus, quo scil. innocens alter ab alio sine crimine suo lædi possit; consentaneum proinde rationi est, ut fundamentum illud, cui irrogandi pœnas apud Autorem Jus innititur (ceu fictum & tantummodo imaginarium) instrenuum & debile iudicemus.

Alia etiam perquam multa posita à Philosopho *Malmesburiensi* ejusque sequacibus paradoxa deprehendere quis possit, quod aut non adverteret, aut saltem non asferiret veræ Obligationis ad pœnam rationi. Quale est illud quod asserit Hominum multitudinem quancunque,

ubi capitale aliquod admiserit facinus, unde à Rege, nisi se defendant, mortem expectant, posse combinationes jure facere, sibi invicem succurrere, & mutuam opem ferre, vel (ut habet Editio Latina) ‘conjunctis viribus se mutuo defendendi habere libertatem. Nam vitas suas defendunt tantum; id quod innocenti & nocenti æquè licet. Injustitia quidem erat Officii violatio prima, sed quod arma postea ad se defendendos sumpserint, novum (*inquit*) crimen non est. Certè prætermisso quod, qui hoc faciunt, plerumque contra pactam cum Civitate, cujus sunt municipes, fidem bella moliantur, & conjurationes faciant; ulterius etiam dici potest, quod primam illam Obligationem nihili faciant, qua tenemur alios non lædere innocentes. Quippe causæ læsionis sunt (ut suo loco ostendimus) qui alios quocunque modo ad noxam disponunt aut provocant. Prosperum ac felix scelus eos, qui aliàs justitiam sequerentur, in malum exciuit. Et quamvis in nonnullis speciosissima illa forsâ Innocentiæ pulchritudo possit prævalere, ne quicquam ab iis secus fiat quam ipsa præceperit; in aliis tamen, qui corrupto depravatoque sunt ingenio, ita injuriarum inferendarum & malis artibus se locupletandi per prava hujusmodi exempla propagatur contagies, ut non prius extinguatur quàm infelicitas peccantium innotescat.

Si igitur conscientia naturalis judicet noxam innocentibus nullo modo esse inferendam, sique res continuò per totum terrarum orbem gestæ ostendant clarè facinorosos aliàs non facilè posse evitare noxæ illationem, continuationem, perennationem, quam per sui ad pœnas submissionem; necesse tandem est, ut his se submittant, aut reatui subjecti sint, quatenus aliud egerint, quam mens & conscientia naturalis dictavit faciendum.

Num.

Num. 8. De Jure Gentium & Belli inter Gentes. Quod Officia ex Jure Gentium eadem sint quæ Natura præcipit, nec inde nos ad aliud præstandum obligari, quàm ad quod Jure Naturæ imprimis tenebamur, aut quod a Jure Naturæ justâ consequentiâ poterit derivari.

A Jure Naturæ *Jus Gentium* non differre, nec in Jus Gentium peccare Principem, qui ad Naturæ leges se accommodaverit, ex delictorum contemplatione conspicitur, quibus contra Jus Gentium peccari vulgo existimatum est.

Peccata quibus hoc, quod *Gentium* dicitur, violari censetur Jus, sunt vel

1. Contra Innocentiam: cum status læditur, bona auferuntur, patrimonia Principum invaduntur, vel eorum personis, aut personis aliorum ad eos pertinentium quoquo modo injuria intentatur. Honor item in bonis est, maximumque habere ad bene beatæque vivendum momentum censetur. Hic si aliqua ratione diminuatur, noxa fit. Nisi igitur potentioribus ad colloquium adventantibus Principes vel personæ illustres obviam procedant; nisi inferior ad superiorem accedat prius; de equo descendat eum conveniens; nisi ad superiorem prior verba faciat; nisi ut in congressibus & colloquiis, ita etiam in literis & scriptis inter principes pro dignitate personarum debiti honoris observantia exhibeatur; violatur principis aut populi dignitas, cujus non minor est quàm ipsius vitæ (apud generosiores potissimum) æstimatio; & proinde contra placitum de *Innocentia* peccari constat. Vel si subtilius judicandum sit, dicendum erit, Quotiescunque ad certas honoris exhibendas species certissima non constet obligatio, revera nullam esse ad tam officiosas cæremonias, nisi ex *φιλευπία*,

obligationem, ex qua impotentiores sui commodi causâ principes potentioribus assentari & morem gerere non sine ratione consueverunt.

2. **Contra Fidem** : Si quis alium in conventionem aut fœdere fefellerit, non præstando quod promissum est, pæctæque fidei requirebat ratio. Conventionibus enim Principes & Respub. sicut & privati de re aliqua contrahentes obligantur. Tales quotidie fiunt de Sponsalibus, de Matrimoniiis ineundis, de pecunia mutuo danda & rependenda, & quibuscunque de causis etiam privati contrahunt. His accensenda etiam sunt solenniora quæcunque fœdera (sive sint *ἀπομαχίας*, societatis ad defensionem solum, sive *συμμαχίας*, ad defensionem simul & offensionem contracta) quibus si Juramenta accedant, eò magis religiosè (fide coram Deo datâ) cautum censetur.

3. **Contra Philantiam** : Si quis jus Legationis violaverit. Ut præteream enim contra Innocentiam iri ab eo, qui innocuos læserit legatos; contra Fidem, qui quicquam durius in eos statuit, quorum personæ communi hominum pæcto sacræ æstimantur; Certissimum est, Jus Legationis ex *φιλανθία* & vulgari charitate suam sibi habere posse originem. Nisi enim Legati sine periculo suo aut incommodo recipi, audiri, & dimitti possint, publica Regum & Rerumpub. expediri inter se negotia esset impossibile. Nulla esset ratio qua possit alter (si etiam vellet) alteri quod suum est tribuere. Nulla fieri inter dissentientes pax & amicitia; nulla inter amicos principes, qui se tanquam fratres & consanguineos habent, exerceri familiaritas, aut intercedere studii mutui & amoris in se invicem officia.

4. **Contra vulgarem Charitatem**: Puta si innocuas, ut dictum, non sinat quis legationes; si innocuum neget transitum.

Atque hæc quidem sunt, quibus, si Jureconsultos audimus, Jus Gentium violatur; alia forte addi possent, sed ejusdem planè rationis, ita ut particularium inductione liquidum fieri possit, eadem esse secundum Jus Naturæ & Jus Gentium Officia: quæ quidem si quis contempserit, apud principes & populos quoscunque judicium est: & si peccans nolit damnum ex non præstititâ

stitâ obligatione natum plenè resarcire, Jus est, ut bello armisque ad id cogatur, quod sponte præstare recusavit.

Causæ autem Belli inter Gentes videntur duplices. Vel ut alius aliquem tueatur ab injuria, cum signa sint aperta alicujus malitiæ & nefarii contra aliqua Naturæ placita conatus quo alter nocere possit. Signa autem cum nondum satis sint expressa, si in graviori periculo is, de quo est suspicio, cautionem dare detrectaverit, ipsa hæc æquæ postulantis rejectio justæque conditionis recusatio signi erit vice maximè manifesti, ut supra in capite de *Innocentia* est visum.

Secunda verò, & usu magis recepta Belli causa, est ad damnum ex non præstita Obligatione plenè reparandum. Si damnum in morum læsione maxima ex parte consistens respiciatur, Pœnæ nomine venit; si in re, generali voce Damni Reparatio dicitur.

Qua ratione Pœnam jam sub capite Reparationis pono (secus atque *Grotius lib. 2. de jure belli, cap. 1. num. 2. facit*) facilè videbit, qui, quod scripsi de causis Obligationis ad pœnam, dignabitur animadvertere.

Sanè quot ex causis deteriorari alicujus conditio potest per violationem placitorum naturalium (quæ qualia sint jam vidimus) tot ex causis justè oritur bellum; idque, vel ad cavendum ne fiat injuria, vel ad factam resarciendam.

In quæstione, Qui licitè possint bellum gerere, libenter *Grotium* sequor. Communis quippe hic videtur sensus: Nemini naturaliter hoc esse interdictum, ut in justo bello alterius causa suis viribus decernat. 'Alteri quippe prodesse; non modo licitum sed & honestum est. Rectè, qui de Officiis scripserunt, aiunt, Nihil esse utilius homini homine altero. *Solon* docuerat beatas fore Respublicas, in quibus alienas injurias quisque suas existimaret. Et, ut cætera desint vincula, sufficit humanæ naturæ communio: ab homine enim nihil humani alienum est. *Menandri* dictum est;

*Injuriarum si improbis autoribus  
Reponeremus ultionem singuli,  
Nobis putantes fieri, quod sit alteri,*

*Interi*



*Inter nos juncti conspiratis viribus,  
 Non prevaleret innocentia impetus  
 Audax malorum, qui custoditi undiq̄  
 Jussiq̄ pœnas, quas merentur, pendere,  
 Aut nulli penitus essent, aut pauci admodum.*

Democriti verò hoc. Ἀδυνατόν τινος ἔστι δυνάμει  
 καὶ ἡ ἀπορία τὸ μὴ ἴσθαι διαίτην. Quod sic explicat  
 Lactantius. Deus qui cæteris animalibus sapientiam  
 non dedit, naturalibus ea munimentis ab incurso & pe-  
 riculo tutiora generavit. Hominem verò quia nudum  
 fragilemque formavit, ut eum sapientia potius instrue-  
 ret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum,  
 ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraque  
 omnia pericula & accipiat & præstet auxilium. *De  
 jure belli, lib. 1. cap. 5.*

---

C A P.

## C A P. XIV.

## De Numinis Placatione.]

Num. 1. *Quod naturali ratione verisimile sit, Deum peccatis contra hac Placita admissis offendi, non tamen esse implacabilem; & supposito quod placabilis sit, hominum interesse ut offensum placent.*

**Q**uod ab omnibus gentibus observatum est, id non nisi à Deo sancitum esse dicendum antiquitus dicebat Socrates. Xenophon lib. 4. de factis & dictis Socratis. Nec Socrates solum, sed & Sapientes omnes idem animadvertebant; Naturæ scilicet autorem ea fabricasse, quæ omni naturæ universaliter conveniunt; quod nisi concessum sit, unde originem suam communes *ἕρως* deducant, non facile erit existimare.

A pud omnes peræquæ gentes honestæ, & justæ, hominibus neque rationali dignæ censentur secundum recensita Naturæ placita actiones institutæ; ideoque à Deo nostro conditore, nec aliunde profectos esse communes hos de honestate sensus, & in animo nobis connatas prolepses, credi consentaneum est.

Naturam Deumve nihil facere frustra sentiunt, quotquot Sapientiam *ἡ τῆς θεῆς* locant; amentium enim est, aut eorum saltem qui ingenio utuntur levi & inani nimis, nulla de causâ, nullo fine, nullius rei intuitu actiones in se suscipere. Et quotquot quoquo modo definiunt Sapientiam, in eo maximè consistere divinam hanc virtutem

virtutem dicunt, quod media optima, atque expedita ad optimos fines assequendos proponat.

Fines omnes rerum aſſabrè fictarum ex aptitudine ad uſum ſpecialeſ dijudicamus, indeque (ut prius obſervatum) nares odoratui, linguam loquelz, aures auditui comparatas à natura facilè opinamur; proinde Conſcientiam pariter, ejuſque dictamina, Anticipationeſque de Deo, (quale illud à Comico eleganter expreſſum,

*Eſt proſecto Deus, qui que nos gerimus auditq; & videt*——

*Bene merenti bene profuerit, male merenti par fuerit)*

judicia item de felicitate bonorum, & de improborum poenis in futura vita ſuſpiciones, omniaque ejuſmodi divina providentiâ eſſe comparata & nobis indita eo fine, ut à nequitiis & injuriis deterreamur; & contrà, ut ad virtutes morum, vitæque honeſtatem facilius deducamur, ſi non certum, maximè videtur veriſimile. Quippe ſicut nares odoratui, & lingua humana loquelz, ita notioneſ hæ ad mores ſecundum virtutes efformandos faciunt.

Dato igitur veriſimile eſſe, ſi non indubium, Deum Opt. Max. hoc fine notioneſ haſ mentibus indidiſſe, conſequens erit, ut voluiſſe cenſeatur illud fieri quod ex iis mediis intenderat, noluiſſe contrarium; eoſque qui creatis, inſtitutis, & gratis conceſſis ad præſtitutum finem mediis uti nolunt, ea nolle quæ Deus voluit, adeoque ſummo numini contraniti & ſe opponere.

Entia autem, quorum perſpectæ nobis Naturæ ſunt, omnia quibus ſenſus ineſt, gravius ferunt rebelles & ſibi contranitentes, quàm quos intuentur obſequio, cultu, & honore propter collata beneficia humiliter ſtudioſeque inſervientes. Et quibuſcunque potentia magnitudine ultra communem fortem elevatis *Hectoris* illud apud *Homerum* convenit.

*Δυσίπρωτ δὲ τὸ πᾶσι δὲ ἑμὲ μέγαν ἀντιῶσι.*

Mala inferunt inimicis plurimi: Nemo ad amuſſim bonus hoſtes perinde & amicos ſuos benevolentia & amoris officiis amplectitur.

Deum

Deum hac in re dissimilis esse naturæ, cæterisque Entium generibus anomalon, nihil est quod arguat; præsertim cum nulli Entium speciei hoc vitio vertatur, sed ad rationalis alicubi naturæ virtutem & perfectionem spectet: nec ratio compareat, cur non summo Enti eadem personarum acceptio, & in beneficiorum elocatione secundum merita & demerita distinctio, virtuti etiam & perfectioni sit.

Rationi igitur consentaneum est, ne ii, qui averruncata mala, sibi que volunt prospera omnia, per Dei bonitatem & potentiam procurata, id faciant quo offendantur Deus.

Et si contingat offensum esse, & studium adhuc maneat, ut potentiâ ejus in procurandis bonis & malis arcendis protelandisque utamur, necesse erit, ut studeamus Deum iterum placare, & in pacem demulcere, & quoquo modo, si fieri possit, & implacabilis is non sit, in amicitiam iterum demereri: ratio est, quia ex suprâ recensitis supponimur credere eum offensum offendentibus minus favere: placatum autem offensam remittere, & perinde se exhibere benignum, ac si nulla uspiam offensâ fuisset lacesitus. Neque facile fieri possit, ut implacabilis & nullâ exorandus ratione supponatur Deus. Inter perfectiones enim & virtutes Misericordia, Clementia, Placabilitas, in omnium Entium ordinibus censentur.

*Quo quisq; est major, magis est placabilis ira.*

Ovid. de Trist. lib. 3. Eleg. 5.

Et Cicero: 'Nihil est laudabilius, inquit, nihil magno & præclaro viro dignius Placabilitate & Clementiâ. *de Off.* 1. Nemo igitur eò impudentiæ venit, ut offendi posse, placari non posse, dixerit. Summi Numinis impetvestigabilis est essentia, & à distincta divinarum virtutum & perfectionum attributarum comprehensione immensum distamus: at nec explicari nec animo concipi possit, qua mente in totum humanum genus futurus sit Deus, si expiari peccata, aut Numen suum placari non sinat. Sequetur quippe eam esse summi Numinis perfectionem, ut semper, ut cum omnibus universim hominibus quasi bellum gerat (nemo enim est qui divinæ mentis præscripta

semper secutum se, Deumque proinde nunquam offendisse ausit asserere) ut nulli parcat, in nullum è nostro genere clementiam exerceat, aliosve edat actus, quam quales ab odio iraque excandescantibus solent proficisci. Rectissime sanè fateatur *Lactantius*, 'Humanæ naturæ conditionem non pati quenquam esse sine macula. Ultimum ergo remedium est, ut confugiamus ad Poenitentiam; quæ locum etiam inter virtutes habet, quia sui correctio est, ut cum fortè re aut verbo lapsi fuerimus, statim resipiscamus, & nos deliquisse fateamur, oremusque à Deo veniam, quam pro sua misericordiâ non negabit, nisi perseverabimus in errore. &c, apud *Lact. lib. Acepbal. c. 9.*

## Num. 2. *Quod Numen placabile a Gentibus passim cogitatum sit; & de Placationis faciendæ usu, Ethnicorum Testimonium.*

Quo crediti ingenio apud Ethnicos Dii, ex pulchella *Flora* apud *Ovidium* oratione optimè constat, ubi de Ludorum origine disserit. ,

*Nos quoq; tangit Honos: festis gaudemus & aris,*

*Turbaq; cælestes ambiciosa sumus.*

*Sæpe Deos aliquis peccando fecit iniquos:*

*Et pro delictis hostia blanda fuit.*

*Sæpe Jovem vidi, cum jam sua mittere vellet*

*Fulmina, Thure dato sustinisse manum:*

*At si negligimur, magnis injuria peris*

*Solvitur, & justum præteris illa modum.*

*Respice Thestiaden, flammis ardentibus arsit:*

*Causa est, quod Phœbes ara sine igne fuit.*

*Respice Tantaliden, eadem Dea tela tenebat:*

*Virgo est, & spretos bis tamen ulta focos.*

*Hippolite infelix, velles coluisse Dionem,*

*Cum conservatis diriperetis equis.*

*Longa*

*Longa referre mora est collecta oblivia damnis :*

*Me quoq; Romani prateriere patres.*

*Excidit officium tristi mihi ; nulla tuebar*

*Rura, nec in pretio fertilis hortus erat.*

*Convenero Patres, & si bene floreat Annus,*

*Namminibus nostris annua festa voveat.*

*Annuum voto : &c.*

Frequentia item in antiquis ejusmodi extant præcep-  
ta, quale illud *Hesiodium* :

— Ἐρδων ἴερ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν

Ἄλλοτε δὴ πονδῆσι δύνωϊτε ἰλδοκῆς,

Ὡς κα' τοι ἴλαον κραδίω, καὶ θυμῶ ἔχασε

De officiis Sacerdotum recenseri merentur quæ habet  
*Cicero de Legib. 2.* huc spectantia. Lex est :

Quæ quoique divo decoræ gratæque sint hostiæ pro-  
vidento : discunto ignari à publicis sacerdotibus. Eo-  
rum autem duo sunt genera : unum quod præsit cære-  
monii & sacris ; alterum, quod interpretetur fatidi-  
corum & vatum effata incognita, cum Senatus popu-  
lusque adsciverit. Interpretes autem *Jovis Opt. Max.*  
publici Augures signis & auspiciis postea vidento ; di-  
sciplinam tenento Sacerdotes, *Vineta, Virgetaque, &*  
salutem populi auguranto ; Divorum iras providento,  
iisque parento ; cœlique signura regionibus ratis tem-  
peranto ; urbemque, & agros, & templa liberata &  
effata habento ; quæque Augur injusta, nefasta, vitiosa,  
dira defixerit, irrita infectaque sunt.--- Bella discep-  
tando ; prodigia, portentata ad *Etruscos, &* haruspices, si  
Senatus jusserit, deferunt ; *Etruriaq;* principes disci-  
plinam docento ; quibus divis creverint, procuranto ;  
itemque fulgura atque obstita pianto.--- Sacrum com-  
missum, quod neque expiari poterit, impiè commissum  
est : Quod expiari poterit, publici Sacerdotes expianto.  
Et lex quidem de Sacerdotibus, eorumque muniis, sic  
habet ; quæ quidem, si *Ciceronem* audiamus, *Romanis*  
*moribus, legibus Numæ, optimaq;* cuiq; *reipublica stat*  
*consentanea.* Glossa ibidem sequitur : ' Descriptio, in-

‘quit *Marcus*, Sacerdotum nullum justæ religionis genus prætermittit. Nam sunt ad Placandos Deos alii constituti, qui sacris præsent solennibus: ad interpretanda alii prædicta *Vatum*.

Nec frequentius quicquam occurrit celebratum quàm Deorum *Clementia*; neque aliâ quacunque virtute apud Oratores juxta & Poetas Diis comparantur principes viri, quàm ex Placabilitate & *Clementia*. *Sola Deos*, inquit *Claudianus*, æquat *Clementia nobis*. Et ad *Cæsarem Ovid*,

*Hoc tecum commune Diis; quod utriq; rogati  
Supplicibus vestris ferre soletis opem.  
Nam quid erit quare solito dignemur honore  
Numina, si demas velle juvare Deos?  
Jupiter oranti surdas si præbeat aures,  
Vicitima pro Templis cur cadit?---*

Et vitio indulgentis apud *Juvenalem* est illud,

— *Exorabile Numen  
Fortasse experiar; solet his ignoscere.---*

Acque infinita alia sunt hujusmodi.

**Num. 3.** *Humaniores iratum Numen placandi ritus, qui tamen ipsi inepti nimis cuiquam, secundum naturam facienti judicium, possint videri, & tantum non ridiculi.*

Satis venustum *Horatii* illud est ad *Phidilen*, ad placandos Deos præscriptum. *Carm. lib. 3. Od. 23.*

*Cælo supinas situleris manus  
Nascente Lunâ, rustica Phidile;  
Si thure placaris & hornâ  
Fruge lares avidâq; porcâ:  
Nec pestilentem sexties Africum*

*Fœcunda*

*Fecunda Vitis, nec sterilem seges  
Rubiginem, aut dulces alumni  
Pomifero grave tempus anno.*

Et non minus celebrem Placaminis faciendi rationem habet *Cicero*, Oratione in *L. Catilinam*. 3.

‘ *Memoria, inquit, Quirites tenetis, Cottâ & Torquato*  
‘ *Consulibus, complures in Capitolio turres de cœlo*  
‘ *esse percussas, cùm & simulachra Deorum immortalium*  
‘ *depulsa sunt, & statuz veterum hominum dejectæ, &*  
‘ *legum æra liquefacta; tactus etiam est ille, qui hanc*  
‘ *urbem condidit, Romulus; quem inauratum in Capi-*  
‘ *tolio, parvum atque lactantem, uberibus lupinis inhian-*  
‘ *tem fuisse meministis. Quo quidem tempore cùm ha-*  
‘ *ruspices ex tota Etruria convenissent, cædes, atque in-*  
‘ *cendia, & legum interitum, & bellum civile ac dome-*  
‘ *sticum, & totius urbis atque imperii occasum appropin-*  
‘ *quare dixerunt, nisi Dii immortales omni ratione pla-*  
‘ *cati suo numine prope fata ipsa flexissent. Itaque illo-*  
‘ *rum responsis tunc & Ludi decem per dies facti sunt,*  
‘ *neque ulla res, quæ ad placandum Deos pertineret,*  
‘ *prætermissa est. Iidemque (haruspices) jusserunt, si-*  
‘ *mulachrum Jovis facere majus, & in excelso colloca-*  
‘ *re, & contra atque ante fuerat in Orientem convertere,*  
‘ *atque illud ita collocandum Coss. ipsi statuerunt.*

Quomodo infesta *Romanis Flora* per *Floralia* Instituta in gratiam iterum & pacem rediit, supra ex *Fastis Ovidii* tetigimus.

Eximium est *Apollinis à Porphyrio* memoriæ proditum de Sacrificiis Oraculum, quomodo Deorum quique placandi sunt, pulchrè præcipiens, ita ut nihil immane aut tetrum edicto contineatur. Versuum seriem repetere longum esset. Extant apud *Eusebium, de præp. Evangel. lib. 4. cap. 9.* Summa est; Deos aliquos esse subterraneos, alios terræ incolas; ac subterraneos quidem Inferos, quemadmodum & terræ incolas, Terrestres propterea nominatos: jubet igitur victimas quadrupedes, easque nigri coloris omnibus ex æquo immolari; dissimilem tamen sacrificii ritum esse vult. Terrestribus enim hostiam altari impositam jugulari præcipit; Subterra-  
neis



neis autem in fovea, sic nimirum ut cadaver integrum terrâ quasi sepultum obruatur: Aereis autem numinibus immolandas volucres totasque flammis concremandas, earumque sanguinem circum altare fundendum esse monet: at Marinis ut volucres quidem, sed quæ atro colore sint, ac medios in fluctus vivæ adhuc spirantesque porticiantur.

*Virgilius Anchisen inducit mactantem*

*Taurum Neptuno, taurum tibi, Puscher Apollo,  
Nigram Hyemi pecudem, Zephyris felisibus albam.  
Ænead. 3.*

Ad hoc caput omnia referri debent Lustralia. Bene enim de satisfactione. cap. 6. animadvertit Grotius: 'Lustrum latinum literâ unâ interpositâ à Græco λυστρον derivari. Lustrare ergo urbem, est eam à pœna liberare per lustrum, id est, pœnam succedaneam, quod & Piaculum dicitur. Sic ex Gentium opinione Desii lustrant Romanorum exercitum, Thebas olim Menæceus, de quo mater apud Papinium.

*Lastrale me feris ego te, puer inclyte, Thebis,  
Devotumq; caput, vilis ben mater albam?*

Roma cum publica fiebant Lustralia, omnes Centuriz & Equites in campum Martium Convocabantur, ubi sue, ove, & tauro cæsis, immolari solebant. Hoc Lustrum, ut inquit Livius, est dictum. Decad, lib. 2.

De privatis habemus in Catone exemplum, qui ita expiare familiam consuevit. Primo per oblationem petitionis hujusmodi. 'Mars pater, te precor quæsoque, uti sis volens & propitius mihi, domoque familizque nostræ, uti tu morbos visos invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, & intemperies prohibeassis, defendas, averrunces, &c. Deinde pro more mactatio fit, Agni, Vituli, & Porci, & si hæc non visa sunt sufficere, alius additur cum hac formula Porcus: Mars pater, quod tibi illuc porco neque satisfactum est, te hoc porco piaculo. Cato. de re rust. c. 141.

Non dissimile apud Bosimum, hist. lib. 2. Vales quidam

dam *Valesius* iratos sibi sentiebat Deos, liberos quippe ægritudine multaverunt, & fulmine sacrum percusserant lucum. Quid ergo faciendum statuit? *Περαισι τῆ ἐστῆς* *ἡο πελαίας ἀπὸ τῆς αἰδῶν ὑπάρχοντο ἰαυτῶν, ἔχ τῆς αἰδῶν* *μνηστῆς.*

**Num. 4. Crudeles qui inter Gentes Deum placandi obtinuerunt Ritus, Exemplis variis ex historia petitis declarati.**  
*De Ἀνθρωποθυσίᾳ: De Expiationum formis per Deiformes victimas, in quibus veri per Christum sacrificii exemplar mentitus est Diabolus. An Cananæi ab Abrahamo Ἀνθρωποθυσίας exemplum derivarunt.*

Non opus est, ut ipse novæ exemplorum collectioni insudem. Jam collecta vel transcribere fortè nimium videri possit.

*Ramus* in libro de *Moribus Gallorum vet.* singulari, hæc ex variis autoribus nobis de *Ἀνθρωποθυσίᾳ* exempla in manus tradidit. Quod *Galli* captivos sacrificabant Diis. (ex *Diodoro*.) Quod *religionis causa Gallorum* quotquot affecti erant gravioribus morbis, quique in præliis periculisque versabantur, aut pro victimis homines immolabant, aut se saltem immolaturos vovebant. Ratio, quod pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium Numen placari arbitrabantur. (Ex *Cæsaris Comment.*)

Eorum quippe alii immani magnitudinæ simulachra habuerunt, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complere consueverunt, quibus circumventi flamma exanimabantur homines: (ut idem *Cæsar*.)

Instruebant ligneum Colossum sæno contextum, in eoque pecudes, & omnis generis bestias, unaque homines concremabant. [Hæc *Strabo*, aliique de iisdem similia.]

similia.] Tandem Autor ipse. ' Atrocitas, inquit, hæc  
 ' Gentium communis, vel potius gentilium dæmonum  
 ' propria: sic enim quondam humanis hostiis litabant  
 ' ferè gentes omnes. *Livius* post *Cananensem* pugnam scri-  
 ' bit tales hostias *Roma* fuisse. Interim aut ex Fatalibus  
 ' libris sacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quæ  
 ' *Gallus & Galla, Græcus & Græca* in foro boario sub terra  
 ' vivi demissi sunt in locum ibi saxo conseptum, ibi ante  
 ' hostiis humanis minimè *Romano* sacro imbutum. Hæc  
 ' *Livius*. ' Neque jam *Arabes, Thraces, Scythas, Ægypti-*  
 ' *tios, Græcosve*, ad istam fidem memorem; cum etiam  
 ' *Dionysius Halicarnassæus* primo libro *Antiquitatum Ro-*  
 ' *manarum*, doceat *Jovem & Apollinem*, quoniam deci-  
 ' ma nascentium hominum non immolaretur, universæ  
 ' *Italia* gravissimas clades importasse. *Diodorus*, vicesimo  
 ' historiz libro, *Saturni* statuatam & sacrificia hujusmodi  
 ' narrat *Carthagine*, dum adhuc incolumis staret, fuisse.  
 ' Dicebant autem, ait, *Saturnum* illis iratum fuisse, quo-  
 ' niam prius ipsi excellentiores ex filiis suis sacrificabant;  
 ' postea verò clam emptis infantibus atque educatis, li-  
 ' berorum loco immolabant: cumque diligenti factâ in-  
 ' quisiione multi ex suppositis invenirentur sacrificari,  
 ' facile animis induxerunt ut crederent, ad obsidionem  
 ' urbis hostes idcirco divinitus missos fuisse, quoniam  
 ' priscos Deorum honores non servarent. Itaque Deos  
 ' placare studentes ducentos ex Nobilissimis adolescenti-  
 ' bus publicè sacrificarunt; trecenti verò alii, quoniam  
 ' se suspectos esse videbant, sponte se tradiderunt. &c.  
 ' *Ramus ib. pag. 97, 98.*

Ex *Psalmo* 106. 37. & *Jer.* 19. 5. apparet *Cananos*  
 & vicinas gentes solitas morti dare liberos suos in Deo-  
 rum suorum honorem. Ita *Sepharvæos* in honorem *A-*  
*dramelechi & Hanamelechi* liberos suos igni comburendos  
 dedisse testatur *Historia* 2 *Reg.* 17. 31. *Cananei* maximè  
*Molochum* colebant, & eorum imitatione non rarè *He-*  
*brai*. Ostendit id sacer *Textus Amosi* 5. 26. collatus  
 cum *Act.* 7. 43. *Grotius* in cap. 18. *Deuteronom.* *Can-*  
*anos* eisdem cum *Phœnicibus* esse asserit, *Molecam* eun-  
 dem cum *Saturno*; cujus stella & nunc eo nomine ab  
*Hebrais* vocatur. *Grotio* hac in re facem prætulit *Sel-*  
*denns*:

*dennus*: apud quos tamen in eo disconvenit, quod *Seldenus Saturnum*, eundem cum *Abrahamo* aut *Israele*, pro Deo cultum. *Grotius* credibilis existimat exscriptorem *Eusebii*, qui *Philonis Biblii* verba recitat, errasse, qui ubi 'Iα' erat scriptum, putavit compendium esse pro 'Ισραηλ. Verba *Philonis Biblii* sunt, κείνθ, ὃν οἱ Φοίνικας 'Ισραηλ προσεφθ'ῶσι. Videantur Autores ipsi. Sanè ab isthoc *Abrahami* exemplo derivari posset hujusmodi 'Ανδρωποδυστα, nisi ipsi *Abrahamo* apud *Cananeos* videretur antiquior. Propter hujusmodi enim insana sacrificia, terrâ suâ exterminavit Deus veteres *Phœnicie* cultores. Vide *Psalm.* 106. v. 37, 38.

Memorabilis de *Moleco* legitur Historia in mystico ad sacra Biblia commentario. 'Etsi (inquit Commentator) omnes fuerant domus Idololatricæ in ipsa urbe *Jerusalem*, *Moleci* tamen fuit extra urbem in loco separato. Quomodo *Molec* erat factus? Imago erat habens faciem vituli, manus expansas, instar hominis manus aperientis, ut ab alio aliquid accipiat. Extrinsecus excavata septem illi extracta erant facella, ante quæ imago ista collocabatur: Avem sive pullum columbinum offerens primum facellum ingrediebatur, Ovem aut agnum secundum, Arietem tertium, Vitulum quartum, Juvenum quintum, Bovem sextum; qui denique filium proprium offerret, septimum occupabat facellum: hic *Molecum* exosculabatur, juxta illud, *Sacrificatores hominum vitulum exosculabantur*. *Hos.* 13. 2. *Molecus* igne supposito succendebatur; donec ignitus fieret instar lucis: tunc sacrificuli acceptum infantem candentibus *Moleci* manibus indebant, ac ne parens ejulatum & clamorem pueri audiret, Tympana pulsabant, unde locus תפן dicitur, quasi à תפן Tympanis. Ex libro *Falcutt.* in *Jer.* 7. fol. 61. col. 4. vide & *Kimchi* 2 *Reg.* 23. 11. citata per *Buxtorfium* in *Lexico rad.* נל. *Fagius* paulò aliter in *Targum Levitici*. 'Fuit, inquit, *Moloc* imago, septem habens conclavia; unum aperiebant Similæ offerendæ, aliud Turturibus, tertium Ovi, quartum Arieti, quintum Vitulo, sextum Bovi; qui verò volebat offerre filium, huic aperiebatur septimum cubiculum. Et facies hujus Idoli erat ut facies Vituli; manus planè dispositæ

‘ sitæ ad recipiendum ab astantibus: & saltabant inter  
 ‘ rim quo pueri in Idolo igne succenso cremebantur, per-  
 ‘ cutientes Tympana ne pueri ejulatus audiretur.

Citat etiam *Eusebium Porphyrum*, aliosque historicos, quos habet, Autores, nullam ita humanam esse gentem, ut non aliquando hujusmodi sacrificiis indultum ab ea sit. *Rhodi Saturno, Salaminenses Agraulo, Egyptii Junoni, Chii & Tenedii Baccho, Phœnices Saturno & Diana Taurica*; cui & ipsi *Chersonesi incolæ Tanri* omnes peregrinos sacrificabant. *Lacedæmones Marti, Cretenses Saturno & Jovi, Laodicenses Palladi*; *Arabes, Græci omnes, Thracæ, Scythæ* alicui Deorum. Imò unus *Aristomenes Messeniensis ἐκτεμβας* è bobus superans, trecentos *Jovi* homines immolabat. *Euseb. prepar. Evang. lib. 4. cap. 16.* apud quem plura hujusmodi sacrificia legi possunt, si cui tam horrenda sapiunt placationum genera; & apud alios passim autores. *Justinus lib. 18. de Carthaginensibus.*  
 ‘ Cum inter cætera mala etiam peste laborarent, cruci-  
 ‘ sacrorum religione & scelere pro remedio usi sunt:  
 ‘ quippe homines ut victimas immolabant, & impuberes  
 ‘ (quæ ætas etiam hostium misericordiam provocat) aris  
 ‘ admovebant. Pacem Deorum eorum sanguine expo-  
 ‘ scentes, pro quorum vita Dii maximè rogari solent  
 De iisdem *Silius Italicus*,

*Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,  
 Poscere cade Deos veniam, ac flagrantibus Aris,  
 Infandum dictu, parvos imponere gnatos.*

Semel, cum visi essent ab *Agathocle Rege Siculorum*, ducentos Nobilium filios immolasse narrat *Lactantius*, ex *Pescenneo Festo. Lact. lib. 1. c. 31. v. & Plutarchum. lib. de superstitione. Minutium in Octavio.* Cujusmodi sacrificiorum rationem nobis deprompsit *Judeus Philo.* ‘ESΘ, αἱρ, ἢ πῆς παλαιῶς ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ κινδύων αἰνῆ ἢ πάντων εὐφορῆς πῶ ἢ χαρισμῶν ἢ πικρῶν καὶ κρατῶν ἢ πῆλεως ἢ ἔθους εἰς Θεῶν ἐπιδύναται, λύτρον τῆς πικρῆς συμφορῆς. ‘ Mos erat veteribus, in maximis periculorum  
 ‘ calibus, ut, universalem omnium interitum præcaver-  
 ‘ ret; dilectissimum filiorum caperent, & in eadem pro

CIVI-

• civitate vel gente darent pretium Redemptionis, Diis  
• vindicantibus offerendum.

Hæc autem & hujusmodi sacrificia, quibus solenne erat dare *primogenitum pro deflectione, & fructum ventris pro peccato anima* (ut verbis prophetæ utar) Deus Opt. Max. semper reprobavit & abominatus est. Vide *Micham cap. 6. v. 7. 8. & c.* Hac ex causa *Canaanitas* veteres terrâ suâ extrudit, ut videre est *Sapient. capp. 12. & 14.* Hac ex causa in populum *Israëliticum* vehementer excanduit, quoties nefaria hæc vicinorum imitabantur sacrificia. v. *Jerem. 7. 30, 31. & eundem cap. 19. 5, 9. Psalm. 106, 36, 37, 38.*

*America* item incolæ humanis sacrificiis indulgebant. *Peruviani* virgines & tenellos adhuc pueros Diis mactant; nequaquam generi suo aut sanguini hac ex parte parentes. Aliquando ducentos semel offerunt. *Mexicani* his inferiores non nurrero quidem immolatorum sed qualitate inventi sunt, quippe non suos sed captivos sacrificant. Ritus istorum plenè ab *Acosta* narrantur, in capitibus quibus de *Americanorum* pœnitentia agitur, *lib. 5. cap. 17, 18, 19, 20, 21, & c.*

Alia etiam apud eos satis crudelia memorantur, neque per vulgarem ἀνθρώπων θυσίαν, expiationum genera. Neque jam moror, quod pro vita parentum proles solebat immolari *Virachoca* Deo, ut ita ei satisfaceret, ut refert *ib. c. 19. 25.* neque quod gravis populi pœna impingebatur in sacerdotes, quibus hoc officii erat sibi novaculis, subulis, & ejusmodi instrumentis sanguinem per vulnera mittere, ut populum expiarent: eademque (coram Deo vindictæ pœnitentiisque præfecto *Tescalipuca*) de causa se flagellis, funibus nodatis, & urticis cædere, jejuniæque, omnesque corporis animique macerationes sustinere, ut restatur *ib. c. 17.*

Verum duo sunt quæ præterire nequeo, quibus se simiam Dei Opt. Max. in placationis ritu instituendo fecit Sarcas. Narrat enim hanc eos satisfactionem adinvenisse, ut expiationi maximè commodam, quæ fiebat per mortem captivi, cui ob similitudinem cum Holo divinus honor est per annum mactationem immediatè præcedente tributus; cuique, eo quod personam divinum tum

temporis gereret, idem cultus eademque veneratio, quæ Diis adhiberi consueta est, concedebatur. *cap. 21.*

Secundum exemplum de expiatione per captivum eodem ferè ritu fit. Eligebatur enim captivus boni habitus & membrorum *συμμετρίως*, sine macula aut læsione, morbo aut defectu, qui Decorum lavacro imprimis lotus eodem, quo Idolum amiciebatur habitu, ut Deo esset quam posset maximè similis. Hic item cultum omnem decorum, puerorum, & muliercularum obligationes, & preces, & cætera cum quadam majestate suscipiebat; & à priore in eo ferè solum distabat, quod cum utrumque immolari in placationem esset necesse, superius memoratum non nisi post exceptam totius anni religionem, hunc verò statim post quadraginta dierum cultum macabant. Quæ historiz *Platonis* illud à *Rhodogino* citatum in memoriam reducant. 'Deus omnium nobis est mensura, multoquæ magis, si, ut ferunt, homo est. *4. de leg.* ' Quod exponens *Platonius* Nobilis, Si Deus aliquis homo est, 'id est, si quando fiat homo. *Calius Rhodog. lect. antiq. lib. 5. c. 38.*

**Num. 5. De variis Philosophorum ad placationem Numinis faciendam ex judicio naturali rationis, non Oraculorum consilio, sententiis: Quodque hac in re animi conversionem ad sapientiam & puritatem magni facientes, de cætero Orationibus & exiguarum impensarum libamine propitiari Deos, crudelitati vero, pompæ, & sumptibus sacrificiorum parci voluerunt.**

Plurimi præter recensita jam hominum genera erant speculationibus Philosophiæ (id nomen studio huic conflatit *Socrates*) dediti, qui mentem suam & connatam solum

solum rationem excutientes consulentesque, Oraculorum effata, Haruspicum responsa, & divinis illas Augurum artes suspicabantur imposturæ, nec naturali uni Deo sed multis popularibus eos inservire animadvertabant, & plausum facere solebant ad argutam illam apud Ciceronem quæstionem, *Qui Augur Augurem possit absq̄ risu intueri?* Isti sententiis diversimodè partiti in varia abierunt hac in re dogmata: Alii enim altum incedentes, & ut *Virgiliis* utar phrasi, *vana tumentes*, nec sapientis esse vel pœnitere vel placare Numen, dicebant; eum decere integrum vitæ maculæque purum, cum Diis ex pari vivere (verba *ἰσσοτάμονα*) asserentes. Alii parcius ista; jubebant tamen suos omni opera niti, ne quæ à sapientia, pietate, justitia, vel universa vitæ puritate absterent; interdicentes sedulo, ne expiationi per sacrificia fiendæ legis naturæ temeratores frustra confiderent: quippe oportere aiebant

--- Τὸν ἄνδρα χήσιμον προυκίνας,  
 Μὴ παρδίνος θθεόντα κὶ μοιχάιδμον  
 Κλέπλοντα κὶ σφάλλοντα, χημάτων χδειν,

neque taurorum aut caprarum sanguine hostiisve quibuscunque quicquam sperare effectum quod Diis cordi sit; sique, quod humanum sit, aliquando peccetur, simplici conversione ad pristinam vitæ puritatem eos propitios pollicebantur. Alii si non simplici conversione hoc præstari putabant, aliàs tamen, idque facillimis rationibus, vel per factas supplicationes & preces, vel per exigui sumptus libamina, sine ritibus vel crudelitate horrendis, vel pompâ nimis speciosis, exorabile Numen esse disserere solebant. Vitæ enim puritatem perinde apud Deum esse atque apud Principem Vestigialium solutiones, quorum summas habeat rationes necesse est: dictos autem ritus solennibus inter honorificos viros præsidendi, assurgendi, & discumbendi officiis similes, quæ si observentur, bene est; sin minus, superioresque hos honores insuper habeant, nihil interest. Et quamvis inter se non conveniant sententiis (quippe quod qui leviores impensas non tollant, in victimis præscribendis consecrandisque



disque differunt; qui omnes tollunt, in eo tamen differunt, quod hi non admittant, isti admittant Orationes & Numinis deprecationes; ipsæque Orationes apud alios vocales, aliosque mentales & conceptæ solum probantur) in eo tamen omnes (eos loquor, qui vili faciebant oracula) unâ conveniebant, morem vulgo inter populos receptum Deos placandi per *ἱερόμας, ἀλοσυτίματα*, & quæcunque vel animalium vel fructuum sacrificia, impium esse, truculentum, absurdum, inficetum, prodigum, Diis hominibusque juxta indignum: Quomodo enim Deo, inquirunt, puro à materia & spirituali convenient, quæ corpore & mixtione constant? Quomodo homini proficit, ut bona quis in communem omnium hominum usum concessa à summo Deo, prodigè ignibus absumat, cum usui vicini esse possint? Neque hanc Deo gratam acceptamve prodigentiam fore pollicentur, cum virtutes amet, quibus contraria est effusio, Prodigalitasque apud omnes gentes vitio versa semper sit. Et nisi confessum sit in communem usum animalia & fructus per liberam Dei donationem cedere debere, anxie inquirere satagunt, unde jus constet mastandi innocua quocunque prætextu animantia. Mille insuper declamationes extant, quod vulgus à Majestate summi Dei hoc cultu plurimum in eo detrahant, quod indigentias, famem, sitim, & non sustinendas in suffimentorum inopia molestias apud eum ponant, quæ an calumniæ sint vix pensi facio; id tamen *Americanos* sentire testatur ex Sacerdorum narratione *Acosta, Hist. Ind. lib. 5. c. 21.* Istaque *Astrogen* tenuit persuasio, *Belum* Deum suum quadraginta oves, sex vini amphoras, & duodecim similaginis modios quotidie devorare. *Histor. de Be! & Drac, v. 6.*

De *Pythagora* dicit *Jamblicus cap. 11. de vita Pyth.*  
 Ταῖς ἢ γυμνασίῃ ἢ ἑτέροις ἀποφύουσι λέγεται ἔπειτα  
 μὴ κατὰ τὸ ἴτερος μέλλοντο ἢ αὐτῶν ποιῆσαι τὰς εὐχὰς βέλ-  
 λου' ἀν' ἐαυτὸν καλὸν καὶ κατὰ τὸν ὅσον μὴ θεῶν τέποις προσχρόντων,  
 ἔπειτα αὐτὰς ἐπὶ πλείους ποιῆσαι ἐπιέκειναι, ἢ ἐπιέκειναι ἔχουσι τὰς  
 ταῖς εὐχαῖς ἰσακροσμήναι. Ἐπειτα πῶς θεοῖς προσφέρειν ἢ  
 μέλλουσι ταῖς χρῆσθαι αὐτὰ ποιῆν, ἢ χρεῖς οἰκίαν ἢ τοῦ  
 βωμῆς προσεργεῖν, οἷον πόπανα, ἢ ψαῖμα, ἢ κηρία, ἢ λιβα-  
 τωτέρ.

ποτόν. φησὶ δὲ ἐν θανάτῳ τὸ δαίμονα μὴ πρᾶν, μὴ δ' ὡς ἕδ-  
 ποτε πάλιν προσέσαι ἐν κρισίῳ πολλά διαπρᾶν. ' *Fœminis*  
 ' autem *Cyrotioniarum* in medium proposuisse de sacrifi-  
 ' ciiis fertur. Primum quidem quemadmodum si alius  
 ' pro ipsis Diis immortalibus vota precesque facturus es-  
 ' set, non sint admittendæ, nisi honestum ac bonum, nem-  
 ' pe quod iis Dii faciles aures præbere soleant, sic ut ipsæ  
 ' quoque æquitatem plurimi facerent, ut paratos habeant,  
 ' qui preces sint exaudituri. Deinde ut Diis offerant quæ  
 ' ipsæ propriis manibus erant effecturæ, utque absque  
 ' servorum administratione ad aras afferrent, qualia sunt  
 ' placentæ, liba, coctilia ex melle, & thus. Cæcis autem  
 ' mactatisque animalibus Dei numen non esse honoran-  
 ' dum, neque quasi nunquam rursus accessuræ sint, uno  
 ' tempore multa infumere decere.

*Porphyrus*, idque non ex ipso solum, sed Sapientis  
 cujusdam, quem citat, sententiâ præcipit, ne quis ausit  
 Deo, rerum omnium principi, aliquid eorum, quæ sensus  
 attingit, vel adolere, vel consecrare. ' *Οὐδέν γδ*, inquit,  
 ' *ἔτυλον ὁ μὴ τῆς αὐτῶς εὐθὺς ἔστιν ἀχέδαρτον.* κλ. ' Nihil enim  
 ' ex materia conflatum est, quod idem non ei, qui ab om-  
 ' ni materia sejunctus est, impurum continuo fuerit.  
 ' Quare ne ipsa quidem eum deceat Oratio, sive quæ cum  
 ' voce conjungitur, sive quæ latet interius, si perturba-  
 ' tione aliqua mentis inquinetur: sed potius casto silen-  
 ' tio sanctisque cogitationibus de eo susceptis eum reli-  
 ' giosè veneremur. Æquum enimvero est, ut vitæ cum  
 ' eo similitudine conjuncti sublimem ipsi ac cælestem  
 ' instituti nostri rationem, veluti sanctissimum sacrificium,  
 ' offeramus, quæ simul etiam & hymni loco sit, & sa-  
 ' lutem nostram contineat. Videatur apud *Euseb. præ-*  
*par. Evang. lib. 4. c. 11.* apud *Porphyrum 2. de animal. ab-*  
*stinen. Apollonius Τραπεzus* in suo de Sacrificiis opere,  
 ' *Οὕτως ποίνωι μάλιστα ἀν τις οἶμαι*, inquit, ' *τὸ προσήκουσαν ἐπι-*  
*μέλειαν ποιοῖτο τῷ θεῷ.* κλ. ' Equidem, inquit, sic existimo;  
 ' iustis quenquam verisque religionis officiis numen co-  
 ' lere, sibi que per sese propitium illud ac secundum præ-  
 ' cæteris hominibus habere posse, si Deo quidem illi,  
 ' quem Principem diximus, quique & unus est, & longo  
 ' à reliquis intervallo sejunctus, secundum quem utique  
 ceteros

ceteros cognosci necesse est, nihil unquam sacrificarit,  
 ignem non accenderit, nec eorum quæ sensibus usur-  
 pantur quicquam planè consecravit, (utpote qui rei  
 nullius indigeat, non modo nostræ, sed nec eorum eti-  
 am à quibus plurimum naturæ dignitate superamur;  
 cumque adeo nihil sit eorum, quæ à terra vel ære quo-  
 quo modo procreentur, aut alantur, non planta, non  
 animal, quod, si tanti naturam Numinis atten-  
 damus, non labis genus aliquod videatur) sed tantum  
 excellentem illam ac præstantem orationem ei semper  
 obtulerit (eam autem intelligo, quæ nequaquam ore  
 profertur) atque ab eo qui rerum omnium est opti-  
 mus, eo quod similiter in nobis optimum est interpre-  
 te, bona postularit, illud autem mens est, quæ nul-  
 lius operam instrumenti desiderat. Hæc igitur si au-  
 dimus, nihil planè summo illi ac rerum omnium  
 moderatori Deo sacrificandum est. Extat & locus  
 apud *Enseb. prepar. Evang. lib. 4. cap. 14.* 'Numen,  
 ait *Theophrastus*, utriusque rei indignitate commotum,  
 justas ab hominibus pœnas expetiit; quod alii quidem  
 Athei extiterint, alii male sentientes veriùs quàm in  
 Deos impii, quippe qui vulgarem nihiloque nostra  
 meliorem Deorum esse naturam arbitrati sint; quo fa-  
 ctum etiam fuerit, ut illi nullum omnino sacrificium  
 fecerint, hi verò improba fecerint, victimis usi nefariis.  
 Interdicit etiam, ne à quoquam, si modo veram pie-  
 tatem ac religionem colere velit, res animarum Diis  
 immolentur; id quod aliis plerisque rationibus ipse con-  
 firmat. Itemque paulo post, & sanè, *inquit*, ea tantum  
 sacrificare par est, quorum sacrificium nulli perniciem  
 afferat: nihil enim est, quod æquè ac sacrificium ab  
 omni aliorum detrimento vacare debeat. Nam si quis  
 nihilo minus animantes quàm fructus ipsos nobis à Deo  
 nostros in usus concessas ac donatas esse dixerit, cogitet  
 enimverò exitium illis ab sese afferri, quippe quibus  
 animam eripiat. Abstinentum igitur ab earum sacri-  
 ficio est, præsertim cum *ovis*, hoc est, sacrificium,  
 vel ipso nomine, *ovis*, id est, sancti aliquid purique  
 sonet; sanctus autem nemo sit, qui alienis ex rebus,  
 seu fructus illæ, seu plantæ sint, invito domino usurpa-  
 tis,

‘tis, gratias habeat. Nam sanctum id esse qui possit, quod cum eorum, qui rebus suis spoliantur, injuriâ fiat? Quod si ne fructibus quidem alienis sacrificium à quoquam fieri sanctè potest; qui rem alicui longè præstantiorem eripuerit, is profecto non nisi impiè sacrificare poterit, cum indignitas & injuria hoc ipso gravior sit futura.

Iterumque post alia quædam. ‘Ubi autem intellexerit Adolescens magnis sumptibus, adeoque boum (ut loquuntur ipsi) ac cæterorum animantium epulis Deos ipsos delectari, qui fieri queat ut frugi ac temperans esse velit? Idemque si acceptas esse Diis hujusmodi victimas putaverit, quomodo in animum inducat, sceleratè facere sibi non licere, qui sacrificiis maleficia reddimere se posse videat? Contrà verò, si Deos nihil istis omnibus indigere sibi persuaserit, sed in eorum potius, à quibus adeuntur, mores intueri, magnique sacrificii habere loco rectam de seipsis deque rerum veritate sententiam, ferine poterit, quin & temperans, & justus, & sanctus evadat? Enimvero cum sincera mens, & animus ab omni cupiditate vacuus optimæ Deorum primitiæ sint, non alienum tamen ab iisdem fuerit, alia quædam ipsis modicæ ac facilis impensæ libare, si tamen id non justificationis promerendæ studio, sed omnî studio & prolixâ voluntate fiat: siquidem isti Deorum honores, solennibus apud viros bonos præsidendi, assurgendi, ac discumbendi rationibus similes putandi sunt, non vedigalium pensionibus. Hæc aliaque plurima ex Porphyrio habet *Enseb. præp. lib. 4. cap. 14.*

Rectè *Hierocles.* ‘Ὅστις πῦρ ἢ δίδω, ὡς προσλάβειν, καὶ λέγει διὰ οἰόμεθα ἑαυτὸν εἶναι διὰ τῆς κρείττονα καὶ ἡ προσφροσύνην πολυτέλεια πῦρ εἰς δίδω εἶ γίνεται, οἱ μὴ μὲν ἔσθθη φρονήματι προσάγειτο. Δῶρα γὰρ καὶ θυπηολίας ἀφρονων, πρὸς προσή, καὶ ἀναδήματα προσάλοις χρηστὰ. *Hier. in 2. Pyth. carmen.* ‘Quisquis Deo, tanquam egenti, honorem tribuit, non videt ut se Deo potentiolem faciat. Ipsa deinde oblationum profusio honori Deo non cedit, si averso à Divinitate animo offeratur: Dona siquidem & hostiæ stultorum nihil aliud sunt quàm ignis pabulum, & donaria sacrilegis opum suppeditatio.

Nec minus venustè ejusdem sectæ homunculos irri-  
det *Lucianus*. Οἱ ἔχθρῆς, dicit, ἡ παραδιδόντες οἱ ἑνο-  
ταπεινὸν ἡ ἀβήτους τὸ θεῖον ἀποκρίσασιν, ὅτι ἴ) ἀνθρώπων ἐ-  
λίς. Typum dein rei, ut quam sit absurda videatur, pro-  
ponit. Οἱ, inquit, θεοὶ ἄρα ζῶντες ἀποκρίσασιν οἱς  
ἴ γὰρ, ἡ πάντῃ ἀναβιβάζουσιν ἐπικύνοντες, οἱ πῶδιν ὄλονται  
πῦρ ἀναβιβάζουσιν, ἢ ἀναφρεσίδωλον κτίσαν ἐλασσοκρίτων ἀπὸ πῶ-  
διν. . . . Κἀν μὲν δὴ πῆς εὐαχύνεται πάντες, ἐπιμαχρόντες τῆς εὐ-  
φῆς, ἡ τὸ αἶμα πίνοντες τοῖς βώμοις παραβιβάζουσιν, ὅσῃ αἱ μυῖαι.  
*lib. ἀπὸ δὲ ἑσῶν.* ‘ At verò Dii juxta *Jovens* assidentes in  
‘ terram despiciunt, & intento capite circumspiciunt,  
‘ sicunde subvolantem ignem videant, aut nidorem in  
‘ aere surgentem, circaque fumum rotantem sese. Quod  
‘ si quis fortè sacrum faciat, epulantur omnes fumo inhi-  
‘ antes, ac muscarum in morem sanguinem exugentes cir-  
‘ cum aras effusum.

**Num. 6.** *Quod maxima Gentilium pars  
hos Placationis ritus sibi metipsis præ-  
scribere non sint ausi, sed satius duxe-  
runt divinitus illos per Oracula, Vates,  
Augures, aliosq̄, quibus cum Diis pu-  
tabatur commercium, sciscitatos ad-  
discere. Quod ratio, ipsaque rei natura  
hanc exegit modestiam. Et de Christianæ  
Religionis excellentiæ.*

Certissimum est maximam Ethnicorum partem Pla-  
cationum ritus sibi præscribere non esse ausos; sed sati-  
us duxisse per Oracula, Vates, Augures, aliosque, qui-  
bus cum Diis putabatur commercium, illos addiscere.  
Ita *Plato, lib. 4. de rep. vel justo.* ‘ Templorum, inquit,  
‘ constitutiones & Sacrificia, cæterique Deorum, & Dx-  
‘ monum, & Heroum cultus; sepulchra præterea & fu-  
‘ nera defunctorum, & quæcunque sunt ad eos placandos  
‘ mini-

‘ ministeria subeunda ; talia profecto neque ipsi scimus,  
 & in ordinanda civitate nulli credemus alteri, si sapi-  
 emus, nulloque alio utemur Interprete, nisi Pa-  
 trio Deo. Hic nempe Deus, in rebus hujusmodi cum-  
 ais, hominibus patrius interpret, in media terra super  
 umbilicum sedens, exponit. Idem initio libri octavi de  
 legibus. Τύπων μὲν ἐχθρόν ἐστι τῆσδε μὲν καὶ νομοθετήσας  
 ἑορτὰς καὶ ἄλλ’ ἐν Δελφοῖν μαντικῶν ἀπνεὺς θυσιᾶς, καὶ τοῖς δι-  
 σισιν ἀμεινον καὶ λῆρον θυῖσιν τῆ πόλι γίγνοι’ ἄν, πότε καὶ καὶ  
 πόσαι καὶ ἀεθμιον. ‘ His proximum est ut de Feriis [nimi-  
 rum de Sacris & Religione ] ‘ per *Delphica* Oracula le-  
 ges fanciamus : quænam sacrificia quibusque Diis red-  
 dere Civitas debeat, & quando, & quot numero.

Conclusio hæc à *Socrate* ponitur apud *Platonem* ad fi-  
 nem *Theagis* : Veræ sapientiæ facultatem omnino à Deo  
 pendere. Ἐάν μὲν τῆσθε φίλον ἦ, πάνυ πάλυ ἐπιδώσεις καὶ  
 ταχὺ οἰδὲ μὴ, ἔ. Quid igitur faciendum, ut eam indipi-  
 scamur animi virtutem? Resp. *Theages* : Ἐμοὶ μὲν τοίνυν  
 δοκῆ, ὃ Σόκράτης, ἡμᾶς ἐποσὶ ποιῆσαι, ὑποπειραδῆναι τῆ δαι-  
 μονίᾳ φίτω ζωνόντας ἀλλήοις. Quasi dixerit, mediis uten-  
 dum ; adeundus igitur es cum bono Deo, mi Præcep-  
 tor, eventus verò à Deo ipso expectandus. καὶ εἰάν μὲν παρ-  
 οἴκῃ ἡμῖν ταῦτα βέλπει· οἱ καὶ μὴ, τότε ἔδη παραχρημα βελδο-  
 σῆμδα ὅτι δρᾶσάμῃ· οἴτε ἄλλῃ ζωισόμδα, οἴτε καὶ αὐτὸ πὲ θεῶν  
 τί σοι γιγνώσκον πειρασόμδα ὄρημουδιῖσαι ἐυχαίσι τε καὶ θυσι-  
 ας καὶ ἄλλῃ ὅτῃ ἂν μάντης ἠξήγῶνται. ‘ Si id concesserit  
 Deus, optimè ; sin minus, è re capiemus consilium  
 quid fiet : aut alium adibimus, aut ipsissimum illum  
 Deum, qui tibi adest, conabimur placare atque demul-  
 cere precibus atque sacrificiis, aliove quovis ritu, quem  
 Vates præscribent. Omnis assidentium corona ipseque  
*Socrates* rectissimè concludunt à juvene esse responsum.

*Pelægi* cum malis premerentur, Oracula consulebant,  
 τίνα θεῶν ἢ δαίμωνων παραδόντες τὰδε πάχουσ, καὶ πὲ ποιήσασιν  
 αὐτοῖς λωφῆσαι τὰ δαιμόν’ ἰλίπς ; ‘ Cujus ob Dei vel Dx-  
 fmonis offensionem isti paterentur, quibus religionis  
 præstitis officiis mitigandæ calamitatis spes esset ? qui-  
 bus ita responsum est : ‘ Iram Deorum tum demum le-  
 nitam fore, cum decima natorum *Jovi*, *Apollini*, & *Ca-*  
*biris* immolaretur pars. *Euseb. præp. Evang.*, l. 4. c. 16. ex  
*Dionysio Halicarnasæo.* Τετ 2 Ge

Generalius verò est, quod ex *Porphyrio* citat Autor *Præparationis Evang. lib. 5. cap. 11. &c.* 'Ὅτι οἱ Δαίμονες, ἕς ἃ δὲς ἀπηλλάξαν, ἀνθρώπους ἐδίδαξαν τὰς οἰκίας ἀεικρίαι. 'Quod dæmones ipsi, qui Deorum loco habebantur, quo superstitionum ritu secum agi vellent, homines docuerunt. [Indicârunt quippe] ἵνα ἃ δὲ δύν, ἢ ὡς οἰκίας ἡμέρας διατρέτιδας, τότε ἡμα ἡμῶν ἀγαλμάτων πικρὸν δὲ ποιοῖν. Καὶ ὅπως, ἐν ἑλὲν ἔστιν ὁ μὲν παρ' αὐτῶν μὲθόντες οἱ ἄνθρωποι ὑπὲρ αὐτῶν ἐτίμησαν. 'Quibus opotteret hostiis rem sacram fieri, quos dies ut nefastos averfari, quam in speciem simulachra configurari. In summa, ne unum quidem est, quod non ab iis homines edocti ita eos coluerunt, [juxta ritus scil. è præceptis dæmonum & doctrina traditos.] Deinde capitibus immediatè sequentibus, ex inductione singularium, quod universaliter asseruit, optimè confirmatum dedit. Summa est, quoties ira Deorum apud gentes per signa portentaque innotuit, vel adibant *Delphos*, *Pythium*q; consulebant de ritu instituendæ Placationis, ut in exemplo suprâ ex *Eusebio* citato, in historia vulgata de *Iphigenia* juxta Oraculi effatum mactatione, plurimisque aliis tam inter *Romanos* quàm *Græcos* exemplis, frequenter missi sunt qui sciscitarent Oracula, ut rationes dignoscerentur quibus placari possint Numina, imminentesque aut publicæ aut privatæ arcerentur calamitates: vel Sacerdotes aut Haruspices quoscunque, quibus cum diis putabantur fuisse commercia, easse ratione consulebant, quoties tempestas quæcunque ingruens cultum extraordinarium aut novum deposcebat Placaminis ritum. Sic imminenti clade ex Deorum ira per portenta patefacta,

— *Tuscos de more vetusto*

*Acciri Vates*--- religio erat, ut narrat *Lucanus*, *lib. 1. ad finem.* Haruspices item consulebantur in exemplo à *Cicerone* in tertia *Catalinaria* recensito. Lex item de Muniis Sacerdotum ex *Cicerone de Legibus* huc traducta communem hunc esse sensum confirmat, Deorum cultum non aliàs nisi à Diis ipsis esse addiscendum; juxta quod ex *Pythagoreorum* dogmate expressit *Jamblichus*. Οὐ πάσις, inquit, ἔστιν οἰδεῖν οἷς ψυχῶνι ὁ θεὸς χαίρων, ἀν μὲν τις ἢ θεῶ ἀκηκόη, ἢ θεῶ ἀκούσῃ, ἢ διὰ τέχνης θείας

*Deus vocatur.* ' Non facile est dignoscere quibus delectatur Deus; nisi quis eum qui Deum audivit, vel Deum ipsum audiverit, vel divinâ arte eam sibi scientiam comparaverit. *Jamblich. de vita Pyth. c. 28.* Homines iis delectantur, quibus ad complendam perficiendamque felicitatem indigent, vel si minus ad vitam tuendam necessariis egeant, voluptatem tamen ex iis percipiunt, quibus auctior & accumulatio redditur Beatitudo. Deo nullius rei opus esse, sed summâ uti beatitudine, quæque incrementum suscipere nequit, communis est sententia, & quæ rationi maximè consentanea videtur. Quid igitur summo & perfectissimo Enti gratum acceptumque præ aliis sit non habent, qui Rationem solam sequuntur ducem, unde cognoscant. Nam neque quæ homini videntur, eadem summo Deo necessario appetibilia sunt: Nec principia penes humanam rationem sunt, nec usus, aut experientia, sine oraculo aut divina apocalypsi quicquam possit depromere aut edocere, quo Natura, Voluptas, *ἐὐδαιμονία* infiniti & *ἀνταρξία* Creatoris possit innotescere.

Scitissimè igitur & sapienter fecisse videntur Ethnici, qui in quaestione de ratione Placaminis faciendi Vates, Oracula, Sacerdotes, Augures, aliosque, quibus cum Numine putabatur commercium, studiosè consulebant. Cum enim Natura dicteret credibile esse, Deum aliqua ratione esse placabilem, nostrumque interesse ut is placetur, impossibile tamen sit naturali lumine certum & indubium instituendæ, qua Numini satisfiat, Placationis Ritus dignoscere: Maximè videtur rationi consentaneum ex quibuscunque Entium generibus, quibus perspecta videtur Dei mens, has mutuare velle notitias.

Nisi enim Vatribus revera Entheis & Oraculis, quæ nec fictionis vel doli possimus suspicari, sua constet Auctoritas, quæ firma esse possit vel dogmatis cujuscunque, vel cultus hac in re notitia, explicare videtur perdifficile.

Atque hæc denique Christianæ religionis permagna commendatio est, quod à Revelatione sive Oraculo dependeat, eoque iis testibus strenuè confirmato, quibus hac in re mentiendi fingendique voluntas esse non posset, nisi ad



ad molestias, damna, doloresque gravissimos in semetip-  
sos accersendos mentiri eligerent.

**Num. 7. Quod Placationis necessitas ab  
Epicureis & Atheis negetur, ab utrisq;  
tamen sine ratione.**

Soli recenseri possunt Epicuri Atheique, qui vanam  
& inutilem qualemcunque Placationis curam cogitarunt.  
De Epicureis confessa res est, imò hìc videtur apud eos  
totius Philosophiæ finis, ut à studiis Religionum libera  
redderetur mens. Quid enim aliud imprimis querun-  
tur, quàm quod terri loquis Vatum dictis & inanibus  
somniais

*Sit ratio nulla restandi, nulla facultas,  
Æternas quoniam penas in morte timendum ?*

Lucret. lib. 1.

Hujus rei è Philosophia perì sibi voluerunt medelam  
& rationes, quibus possint quique --- *Religionibusq; atq;  
miris obistere Divinm.* Per doctrinam enim Physicam  
opinionem de necessitate Divini cultus, causà ejus sub-  
latà, quæ erat præsumptio factum esse à Deo & guber-  
natum mundum, pulchrè putabant tolli.

*Quippe (ut causantur) formido mortales continet omnes,  
Quod multa in terris fieri celoq; videntur,  
Quorum operum causas nulla ratione videre  
Possunt, ac fieri divino numine rentur.*

Hæc igitur de Divina Providentiâ, ut falsissima, à Na-  
turali Epicureorum Philosophia convellenda proponitur  
sententiâ, idque ostendendum è contrario,

— *Unde queat res queq; creari,  
Et quo quaq; modo fiant, operâ sine Divinm.*

Quod si proflus demonstrari posset, Numini profes-  
to

otio otari, si otio delectaretur, liceret, nec rerum mundanarum administratione occupari, si laboriosa, difficilis; aut molesta hæc cura sit, esset necesse. Principale autem apud Poetam sic effertur dogma.

*Omnis --- per se Divum Natura necesse est,  
Immortali avo summa cum pace fruatur,  
Semota à rebus nostris sejunctaq; longè:  
Nam privata dolere omni, privata periculis,  
Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri,  
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

Poteram rogare, Quo bono Genio, hoc Epicuro, de quo tantopere confidit, innotuit, Deum neq; ultionem prosequi, nec promeritis capi? qui illi ita Divum perfectiones perspectæ?

Certè, si quid rectè sentio, otium & vacatio summæ Numinis à rerum administratione, & à negotiis necessaria semotio, non ex aliis quàm his præmissis concludi possit, scil. Eisdem status, habitus, conditiones, actiones, divinam Essentiam beatam & perfectam reddere, qui humanam felicem reddunt: otio autem & vacatione necessariò delectari homines, voluptuariosque, & beatos reddi. De assumpta, quod planè est Epicureum, taceo, ut liberius de præmissa Propositione loquar quod sentio, eà nihil scil. unquam dici posse aut improbabilius aut absurdus: quasi ita se habere Deum necesse esset in vita sua, qualiter se habet homo in vita sua; quasi eadem fuerit Omnipotentissimi Entis & enervis pusillique hominis Ratio, Gloria, Virtus, Perfectio, Voluptas. In Diverbium abit alias esse Leonis, alias Asini delicias. Sed reprimo me; alibi fortè, si Deus dederit, hæc uberius differentur. Remitto Epicureos ad hortos suos, Lucretiumq; Sectæ Patronum ad futes & ineptas ex Hypothesi sua Deorum supplicationes, qualis præprimis illa Veneris est compellatio.

*--- Eternum da dictis Diva leporem,  
Effice ut interea fera munera militiæ  
Per maria ac terras omnes sospita quiescant;  
Et cætera ejusmodi.*

In secunda quæstione, multum ab aliquibus dubitarum est, an sint Athei, & ut plurimum tam vesanam alicubi extare sententiam negatum est. Nullam integram esse gentem, quæ non censuit Deos aliquos esse colendos, tanquam expeditum & omnibus compertum liberè pronuntiat *Cicero*.

Sed singularium, qui perfricta fronte ipsam Dei tollerant existentiam, passim extant exempla. De integris Nationibus idem scelus apud *Acostam* legimus, *lib. 7. Historia Indica, cap. 2.* Antiquissimos Novæ Hispaniæ incolas refert *Chichimecus*, ' quorum hi erant mores, nulli pati sibi superiores, Deos neque agnoscere neque colere, nullâ uti religione aut ceremoniis.

[Idem] ' primos *Americæ* incolas populum dicit *Brutum* generi non absimilem, sine testis domibusque, sine agricultura, sine pecudibus, sine Rege, Lege, Deo, aut ratione degentem. *ib. cap. 3.*

De *Souldania* ad ultimas *Africæ* totius oras incolis non incelebre est quod nostras narrat *Herbertus*. ' Quicquid, inquit, *Aristoteli* de non existentia Atheorum, quicquid etiam aliis affirmare placuit, Ipse tamen præsens nullo signo aut percontandi ratione quicquam invenire potui, quo argui possit *Souldanos*, quibuscum versabar, vel unam Religionis fovisse scintillulam, Deumve ipsum, Cælum, Infernum, aut Æternitatem omnino illis suboluisse. Nulla apud eos Cultûs loca; Feræ nullæ; nullus Naturæ ordo; nihil Verecundiæ; nihil Veritatis; nullæ ad Natalitia aut Sepulturam pietatis ceremoniæ. *Tho. Herbertus Armig. in peregrinationibus Anglicè editis, pag. 17.* Felix certè, auream quisquis mediocritatem, sicut in cæteris omnibus, ita etiam in Fide adhibenda affecutus fuerit, Illud à Generoso rogare fas fit, interpretari mihi ne gravetur, quo bono illud obvenit Genio, quoddam is, qui neque per se aut per interpretes Barbarorum calleret linguam, possit sibi res omnes expedire ad vitæ usum tum spectantes, & interea temporis sermonis & colloquii apud eos faciendû profus inops, de tot & tantis rerum circumstantiis fieri certior, cum non ultra novendecim dierum terminum ea, qua vehebatur Navis ad *Souldania* oras alicubi, ut ex Itinerario videretur

dere est, subsisteret. Quâ censurâ hac in re etiam *Acasta* dignus sit, alii per me licet faciant iudicium. Sicut nolim de credendis superfluum adhiberi, ita cum Jurisconsultis sanam saltem cautelam jubeo abundare. De his ipsis tamen comperi *Souldanis* ex aliorum etiam testimonio, de incolis etiam *Africa* mediterraneis, & Insularibus *Zeilan* in Oriente, *Nova Terra* in Occidente, aliisque etiam, ad tam stupendum barbarici genus esse omnes devolutos, ut Cœli & Terræ Creatorem omnino non agnoscerent. Eâ fortè incuriâ erant, & sensuali semper in partum Veneremque studio & proclivitate, ut ratione omni & consilio destituti nunquam animos suos excuterent, sed per summi Dei patientiam & iudicium facti sunt in monstra portentaque, cætero humano generi non sine stupore intuenda. Ad ejusmodi, populos dicam an greges, egregium illud *Porphyrii* accommodari debet. *Τινὰ, inquit, Ἰσὶδρῶν Ἰζηχίωται, Ἰζὸν ἢ αἰετοῖσι τὰ ἐυστύμονα ἢ ἀγροῦντις καταψάλλεσθαι φέροιται.* 'Quædam nationes efferatæ sunt, & factæ inhumanæ, ex quibus non oportet ab æquis iudicibus humanæ naturæ convitium fieri.

Quod autem ad singulares homines qui Atheismum profitentur, quales *Diagoras* & *Theodorus*, quorum apud *Ciceronem* in libris *de Natura Deorum* fit mentio, utinam, inquam, intra *Christianorum* castra hæc nullibi reperiretur impietas. Sed solatio est, quod qui magni emerent Deum non esse, nullis unquam animadversionibus aut ingeniorum tortura vel unum excudere potuerunt, nec adhuc possunt argumentum, quo vel minima verisimilitudinis specie contendere contra communem sententiam possit, *Deum non esse*. Si possint; edant tandem, jubemus, postulamus: sin nequeant, se sine ratione esse Atheos fateantur. Nostrum interea erit suas Naturæ non detrudere virtutes, neque beneficii memoriam & gratias Naturæ ipsius Conditori debitas sacrilegâ mente intervertere, cujus existentiam pernegare non tantum impietatis est, sed arrogantia & audaciæ summa; verum humiliter, ut æquum est, adorationem & cultum Numini Opt. Max. retribuere, quod ex divina providentia data aliquando sit insculptaque menti Lex, quod nec (in-

creverit licet ubique impietas) adhuc penitus sublata sit; Quod denique dignatus sit Deus, postquam obscuratam hanc atque susque deque habitam Legem, quam cordi inscripserat, viderat, secundas denuo nobis apparare Tabulas. & Legem indubiam scriptis præfinire, qua piè, honestè, sobriè, cum maxima in hac vita jucunditatis affluentia, & plena post mortem immensæ beatitudinis spe fideque, possimus animas nostras possidere.

---

*Judicium de posita Hypotheseos certitudine, cum Epilogo ad viros bonos, & simplicis sapientiæ in vita Christiana studiosos.*

**S**Citissimè à *Des-Cartistis* observatum videtur, certius à nobis cognosci quid cogitamus & sentimus, quàm quali sumus essentia, qualibus facultatibus ornatur, aut quas elicimus actiones. Apud omnes peræquè absurdum judicatur *Socratem* esse, loco movendi habere facultatem, aut actu sedere tum pernegare, cum sensu edoctus, se esse, movere posse, sed jam sedere districtè affirmet: Quæ siquidem sint vera, consentaneum erit eum, qui *Socratem* inficiatur concipere, cogitare, opinari, quæ sanctè concipere se, & cogitare affirmat, illud facere, quod absurdo apud omnes ælimato absurdus est.

Principia à me posita, communes hominum Sensationes esse censui: Si quos enim, ac paucissimos certè invenio, iis non animitus stipulantes; eosque ejus ingenii viros, ut quorum exemplis à rei certitudine parùm apud me detrahatur. Quippe aut Barbari sunt, de quorum consensu est quæstio, aut Philosophi; Barbari, brutorum ritu in partum solum & Venerem proclives, Diabolum frequentius quàm mentes suas, si constet historiis veritas, consuluerunt; si non constet, neque amplius exemplis in historia memoratis sua aderit autoritas.

Philosophi dissentientes sunt in antiquiori seculo unus

forteque

fortean *Epicurum*, in nostro sequiori *Hobbium Malmesburiensis*, & qui utrumque secuti sunt; uterque suo tempore Hypotheseon Ethicarum, & novæ de Officiis doctrinæ autores: Ita anomala à cæteris omnibus olim *Epicuri* visa est Philosophia; ita eam, recentiaque de honestate dogmata stupebant sapientes, imò & mundus integer, ut apud *Ciceronem de fin.* 20. non solum *Graciam & Italiam*, sed omnem etiam Barbariem dicatur commovisse.

In nostro etiam seculo, quamvis ita nequitiis est immersum, ut iis, quæ maximam in actionibus tuentur licentiam, favere debeat sententiis; quotusquisque tamen est, qui sine stupore quodam *Hobbium* legit? Et quod ad meipsum spectat (ut in re gravi sanctè coram Deo & hominibus absque omni positæ jam Hypotheseos studio sinceram mentis cogitationes proferam) plurima aio apud eum esse, ipsa scil. Principia, alibique à principiis in Hypothesi conclusa, & quæ ipso iudice rectis inde consequentiis concludi possint de moribus dogmata, quibus millies interrogata, millies consentire refugit mens. Quale imprimis illud: 'In statu Naturæ jus homini esse, ut alterum occidat innocentem: Nihil interesse, an jugulem patrem amantissimum, an non jugulem; etiam quocunque statu, Naturali scil. vel Civili, si cædes clam homines certò esse possit; imo jugulare oportere, si luctum inde indubiè accedat.

Non inveni igitur, cur à meipsum, & tot mecum sententiarum fide aut iudicio detraherem, in illius Philosophi gratiam, qui labi possit, & quo faveret Hypothesi (ex qua artificiosè confectâ maximum sibi conflare possit in Philosophia nomen) maximas ad errores tuendos haberet illecebras.

Illud aliquando in *Epicurea* juxta atque *Hobbiana* Philosophia laudandum censui, quod receptum utrobique sit, Non posse utiliter aut jucundè etiam in hoc seculo vivi, nisi honestè etiam & justè vivatur. E re enim humani generis cogitabam esse, ut caras sibi habeat quocunque nomine honestatem & justitiam. Ita tamen se res habet, ut plurimum jam verear, ne plus incommodi ex defensionis forma, quàm utilitatis aut emolumentum

ex ipsa sententia tam celebris defensione, publico accedat. Magnum enim in eo videtur *insignia*, quod novas utilitatis ex honestate proventurae non expresserit rationes, neque commodi ex virtutis studio promanantis ampliora fecerit pomaria; sed è contra cepit imere, coarctare, decurtare justitiae regulas studuerit, plurimaeque sustulerit, insita Naturae Officia; mutilamque (quo eam aut utilitati subderet, aut conformem ei redderet) conatus sit facere honestatem, eaque quae publicis confirmata testimoniis constant, probitatis phaenomena apparere atque esse negaverit. Quod perinde videtur absurdum, ac si quis Cometam ab omnibus Astronomiae peritis deprehensum inficiaretur revera esse, aut visas nuper circa *Jovem* aut *Saturnum* negaret extare phases, quod confisus à seipso hypothesebus haud bene convenirent.

Restabit igitur has revera connatas & communes hominibus, qui has animis versant res, esse Sensationes, adeoque maximam, quae naturaliter contingit, habere certitudinem; eam scilicet quam habent quaecunque in demonstrationibus principia, qualia censentur, *totum esse majus sua parte, &c, si aequalia ab aequalibus dempseris, quae restabunt fore aequalia, &c* quotquot praeterea aliam habere nequeunt quam ex communi consensu confirmationem.

Denique (quod praeteriri non debuit) si quis neget communes has esse Sensationes, quod unus & alter iis forte refragetur, & à se conceptas neget; validissima tamen, etiam ipsis iudicibus, constabunt argumenta, rationesque permanebunt ad dictas honestatis species firmiter obligatoriae, caeteri totius mundi eorumque omnium respectu, qui dicta principia in animis quasi radicata persequentur.

Sed supposito, quod tantae certitudini res haec innixa non esset, sed probabile fuisset tantum, has humano generi insitas fuisse Notiones, quibus facilius ad felicitatem deduceremur, eamque, quam quae possit ex violentiae, injuriae, perfidiaeque actibus acquiri, multo uberiorem; nonne juberet ratio, ut mercatores imitaremur, qui pauperiem fugientes absque certa, propter ventorum Oceanique incertitudinem, prosperi eventus fiducia, per infinita

(*Qualia multa mari nauta patiuntur in alto*)

itineris discrimina, ad suos tamen contendunt, è longinquo, *Indos*: ut Agricolas intruemur, qui, multà sudoris impensâ, subigunt terram, glebæ continuo vertunt, seque agrosque assiduo satiant aratro, nullâ tamen scientificâ optimæ messis, aut quæ rumpere possit horrea, certitudine? Totum quippe humanum genus in omnibus fermè operationibus spe duci, neque in certo indubioque sed verisimili versari videtur. Ipsi qui per totum terrarum orbem legibus civilibus seu gentis suæ obtemperant, demonstrativam non habent de rebus in legibus quacunque permissis, prohibitis, vel præceptis, scientiam; sed quod probabile existimant, & periti affirmant Principis fuisse placitum, Senatus-consultum, Plebiscitum, communem sibi in vita civili actionum agnoscunt regulam. Et si altius liceat ascendere, de *Physicis*, *Metaphysicis*, *Mathematicis speculationibus* dicent *Pyrhoni*, nihil habere eas, quod à principiis non dependet, ipsorum autem principiorum, quod homines attinet, certitudinem, ex probabilibus tantum dependere sententiis; qualis est illa; Deum illudere nobis nolle, nec permissurum ut humanum deciperetur genus in rebus à se clarè, distinctè, plenè perceptis & cogitatis; Nec homines omnes uni simul mendacio consentire velle. Quin & Theologi sacras in æternum Scripturas, profiteri solent non aliunde nobis, quàm ex mira probabilitate (nisi Spiritus insuper accedat testimonium) commendari.

Quibus ut oportet perpensis, atque hoc insuper animadverso, certis constare exemplis æquè hac in vita beatos, imo beatiore esse, qui justitiam & fidem cæteraque secundum honestatem Naturæ Placita sequuntur, quàm qui ex tempore vivunt, in vitiorum se volunt sentina, nec quomodocunque nobis commendatas pensi faciunt virtutes. Deinde justitiam etiam colentibus insuper accedere æternæ in futura vita beatitudinis spem, eamque non vanam, aut temerè susceptam, sed quæ maximè innixa est, seu certitudinis, seu verisimilitudinis principiis; certe requiret severè atque exiget ratio, ut præsentem felicitatem sic prosequamur, ut simul cum præsentem quem carpimus fructu, etiam de futuro bene



bene sperare possimus: ipsa quippe spes etiam ad beatitudinis uberiorem in hac vita abundantiam proficit. Quisquis igitur injuriarum & improbitatis prætulit statum, perinde fecerit, ac si quis præter commodum cum maxima probabilitate posthæc expectatum, triginta jam præsentem pecuniarum contempserit libras, quo viginti earundem statim lucraretur; aut ejusmodi contractu firmaverit, qualis *Glauco* erat cum *Diomede*,

Χρῖστα χαλκῶν, ἰστρομβοῖ ἰστροβοῖν  
permutantis, commutationem.

Sed instituta jam, quæ ad *Christianam* amplexantes religionem dirigitur, oratione, non opus erit me humanas demonstrationes aut verisimilitudines sectari. Leges enim Naturæ sub gravi pœna leverè sancitas esse, & Naturalis conscientiæ extare regulas, per quas gentes ex propria indole, juxta quod ab Apostolo est observatum, scriptæ Dei legi vivunt aliquatenus conformiter, omnes unà agnoscimus. Injurious, scortatores, malitiâ, cæde, contentione, dolo malo, pravisque moribus oppletos, delatores, Dei osores, parentibus immorigeros, fidei datæ pactorumque fœdorum temeratores, naturalis affectus & misericordiæ expertes, & quicumque his similia (qualia certè superior damnat hypothesis) patrare auserint, hos ex illa lege universus perinde terrarum orbis morte dignissimos agnoscit. Ipsumque (in quo per Dei gratiam & Spiritus auxilium confidimus) Evangelium hujusce legis obligationem strenuè asserit. Ut hoc sensu sapientissimi Regis intelligi verbum possit, *Mens seu Spiritus hominis lucerna Domini*. Et *Servatorem* venisse agnoscimus (ut in Præfatione est animadvertum) non ut tolleret in mentibus adhuc aliquàlter resplendens Juris Naturæ Luminare, sed ut illustrius faceret, & Moralem à suis legem fidelius observari procuraret.

Nostri igitur permultum interest, ut veram &, quæ acquiri possit, certissimam habeamus sententiam, quis noster status sit, quæ nostra in Deum & socias, quibus ratio aut competit, aut non competit, creaturas ratio, jus, libertas, obligatio.

Cùmque constet abundè Deum à nobis (qui si ad eum comparemur, nihil sumus) immensum naturâ, potentiâ &

& bonitate distare, omnique creaturarum generi eum, ita ut nulla cogitari possit si conferantur proportio, antecellere; rationi consentaneum est, ut divinis ejus, sive Decretis, sive Legibus & Institutis, seu quomocunque provis, humiliter obnixéque nos totos, resque omnes nostras submittamus.

Hoc autem frequenter subire mentes debet, Omnipotentissimum, Sapientissimum, adeoque cum tremore formidandum Deum, cœlum nobis & gloriam jam præparasse, imo plenitudinem & æternitatem gloriæ, speciesq; beatitudinis ita supra modum præclaras, ut omnem non sensus solum, sed & *particulari* comprehensionem longè superet; seduloque etiam recolere, animisque versare debemus, hunc Deum (qui plurima, quæ hic dici nequeunt, sed frequenter à fidei Evangelii ministris in concionibus audiri possint, nostri causa perfecit) non ex meritis nostris, sed bonitatis suæ exuberantia nos in præparata gloriæ habitacula, intra paucos annos, menses fortasse, aut dies, certissimè introducturum, si modo sine furo animos nostros, actionesque qualescunque, juxta divina ejus instituta nostri causa & in nostram felicitatem sapientissimè ordinata, componere studeamus.

Cùmque inde affulgeat Deum Optimum Maximum nos misellos dilexisse, exigit ratio, ut Deum vicissim animatus (juxta Naturæ de Gratitudine placita, & divina in Evangelio præcepta) amore prosequamur.

Cum nobis, ex incomprehensibili nihilo per omnipotentem vim procreandis, creando, redimendo, leges, nunc cordibus, nunc membranis inscriptas, quibus felicitatem adipisci deberemus, frequentes iterum atque iterum fanciendo, & sincerum religionis & sanctitatis studium, per gratiam, procurando insigniter benefecerit is, à cujus immensitate tantum distamus; consentaneum erit, ut eum verecundè honoribus, quæ maximi cogitari possunt, & vel à divinis Oraculis vel humana ratione cognosci, prosequamur, colamus, veneremur, & humiliter cum gratiarum actione (quod Natura juxta & Religio exigit) adoremus; ut afferamus Jehovæ robur & gloriam, nec qualemcunque, sed tanto Nomine, Majestate, Munificencia dignissimam.

His

His autem necessariò consequitur, ut quicquid ei inimicum aut adversum est, capitali prosequamur odio, & præ omnibus quæ accidere possint, munificentissimi Benefactoris metuamus offensam, à cujus præterea Spiritu omnia dependent, quique potens est ut valeat, & justus, ut velit vindictam à refractariis sumere; & si secus fecerimus, in animas insuper peccamus, in Philantia deficimus.

Cavendum autem præcipuè, & præ aliis est, ne quid per incredulitatem ab honore (cujus imprimis est Zelo-tes) summi Numinis detrahamus; ne divinam demolliri studeamus veritatem, aut Evangelium Dei mendacii suspicemur. Mendacem autem cum fecerit, quisquis non crediderit testimonio ejus de Filio, & vita per Filium consequenda. Neque contemnere tantam audeamus majestatem, præceptis ejus non auscultando, aut (in quibus nostra potissimum versatur utilitas) refragando consiliis.

Cum etiam per plurima vitæ hujus discrimina in fluctuanti rerum mundanarum salo, cursus ad gloriam dirigendus sit, id nostra permultum è re est, ne qua sacram Spei abjiciamus anchoram: ne cum militiam proficemur, *περὶ τὴν ἀσπίδα* simus, aut Fidei exuamus quocumque prætextu Scutum. Cum enim in eo potissimum prævaleat vitium, quod præfens præ se ferat commodum, præsentem voluptatem; Religio absentia ut plurimum proponat, & promissa; Fides efficit, ut quæ Religio proposuit, etiam ipsa sint præsentia, cum sit *ἐλπίς τοῦ μέλλοντος καὶ τῶν ἀόρατων*, confidentia rerum quæ in spe adhuc sunt, & certissimum rerum visu nondum sensatarum *ἰσχυρὸν*.

Gaudium autem omne, & gloriatio per spem & fidem in Deo, continuo & ubertim possideat nobis mentes: inde enim erit, quo quæcunque mundana aberit, abundè compensabitur, gloria, ipsaque hæc lætitia & pro officio erit, & uberrima officii ipsius mercede.

Illud denique universaliter caveamus, ut omnia perzquè quæ Deus vel erga se, vel erga vicinos, juxta hanc Hypothesin, vel supra hanc Hypothesin, voluit præstita, religiosè, quasi Deo, exequamur. Mentiri enim possit, exhibere honorem Legislatori verum nequit, cuicumque

con-

contemnere leges ab eo latas, & eas transgredi placuerit; adeo ut studio opus sit ne innocentes lædamus vicinos, pactam violemus fidem, ut ita consulto res ordinemus, quo possimus in benefactores & amicos gratitudinem, in prolem & consanguineos itorgas, in sanguine disjunctos (idque sine magno nostro vel damno vel molestia) humanitatem, in communis vitæ usu ostendere.

Sed neque ex moribus huic Hypothesi conformatis acquiescendum Christiano supponimus; sed propter Dei gloriam, & vicini commodum ad eminentiorem aliquam & heroicam virtutem potius contendere oportere: Ut scil. vili infera omnia, præsentiaque seculi bona pendamus; crucem ipsam omniaque vitæ discrimina, quo melius dictos assequamur fines, subire simus parati; ut denique vitam nostram, affectus, mentem, voluntatem, omnesque animæ corporisque actiones in obedientiam, nutum, & ad manifestationem gloriæ summi Dei accommodare sincerè, & sine omni dolo, conentur; beatitudinem interea expectantes, non à propria nostrum opera, verum ex Dei promisso; qui divinam secutis fidem, quoties domo, fratribus, sororibus, patre, matre, liberis, aut agris, Dei causa seu Evangelii destituuntur, supplebit etiam hoc ipso seculo domos, fratres, sorores, mares, liberos, agrosque, vel cum, vel sine persecutione, prout divinæ ejus Majestati placuerit, & in seculo futuro vitam æternam. Quisquis enim certo confidit, se post paucos præterlabentis seculi dies à Deo consequiturum immarcescibilis gloriæ regnum, & interea vel inter insanas ævi tempestates aliquid sibi voluptuarium magis, dulceque possidet, quàm fuerit quicquid mundus, aut Diabolus possit offerre; nulla illum (per Dei gratiam) tentatio, etsi præsentibus offerantur honores, divitiæ & voluptates, ab officio valde possit dimovere, aut procurare ut vitæ Christianæ dulcedinem contemnat. Quisquis autem non à seipso, non ab homine, (cui in naribus est spiritus) non à Diabolo, nec aliàs quomodocunque à mundo, sed à Deo solum, qui promisit, vitam, victum, beatitudinem expectat, & certò & semper expectat, & contra diaboli & mundi illecebras hac fide utitur; is est qui ex fide (per Spiritum cœlitus genita) vivit, à Deo

natus est, & vincit mundum. Scutum enim fidei tutelam præstat, & per Dei Opt. Max. *subsidium* procurat victoriam.

Et quò melius hæc omnia ordinatè à nobis fiant, cura etiam adhibenda est, ne præ mundanarum rerum studio, & temporaneis præsentis seculi negotiis, instituta à sapientissimo Deo ad pietatem & justitiam in animis figenda media irreverenter negligamus, aut perfunctoriè in iis versetur. Non enim nequicquam Orationum frequentias, Sabbata, Sacramenta, Jejunia, Scotos dies, Concionum seu Prophetiarum auditiones publicas, privatas correptiones, cæteraque ejusmodi, si quæ sunt, in Ecclesia firmavit & stabilivit Deus: Non nequicquam sedulam lectionem & meditationem in sacris Oraculis præcepit; sed hæc omnia in pietatis, justitiæ, honestatis adjuncta construxit, ad <sup>1</sup> consummationem Sanctorum, <sup>2</sup> ad ædificationem corporis Christi, donec perveniamus <sup>3</sup> in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram staturæ plenitudinis Christianæ, & <sup>4</sup> non amplius simus sicut pueri, qui fluctuemus quovis doctrinæ vento ab hominibus, dolo malo, veteratoria ratione, versutisque artificiis, concitati. Ideoque cautellæ opus fuerit, ne dum in hujusmodi institutis versamur, *opus*, quo aiunt, *operatum* exequendo, solum obedire Deo studeamus, Dei interea negligentes finem; sed ut summo opere contra contendamus potius, ut ad scopum à summo Numine præscriptum iisdem utamur mediis, eiq; ordinemus usui, (morum scil. reformationi & vitæ justitiæ) cui ipse in prima Mediorum institutione ea ordinavit.

Atque hæc de prima circa Officia cura. Secunda est, cum præ humana imbecillitate & impotentia, exemplorum prava suadentium vi, cæterisque, quæ hic adæquatè dici nequeunt, impedimentis frequenter contingat, ut à norma, à Natura & Deo posita, prævaricemur, indeque non in Deum solum, sed in vicinos simus injurii; secunda, inquam, cura est, ut frequenter etiam nostros ipsorum percontemus mores, vitæque antea actæ quæcumque sunt facinora, quid sit, quantumque mali ad alios accessit ex nostris obligationibus non ritè præstitis; de  
inde

inde ut sedulam navemus operam, ut resarciamus damna (nisi saltem remissum iis sit, aut ea resarcire sit impossibile) à nostris nata, profluxaque nequitiis.

Quo facto, consentaneum est ut Deum Opt. Max. tum demum juxta ordinem Officiorum ab ipso præstitutum deprecemur veniam; obnixequè tantam imploremus Majestatem, ut pro sua misericordia & gloria, piaculique per inæstimabilem rem, Christi sanguinem, intuitu, condonet nobis peccata, in gratiam, pacem, amicitiam nobiscum redeat.

Et quod ultimum est, & ad caritatem spectat Christianam, opportuno certè fungemur Officio, si totius mundi (qui si quando unquam, jam certè ἐν τῷ πνεύματι καὶ ἐν ἀγάπῃ, & Diabolo inservit) commiseratione, eum exantlare conemur à misero improbitatis statu, & futuris Inferni tormentis; idque tam aliis quibuscunque poterimus modis, cum quo præcipuè (in cæteris impotens licet) prævalemus, concordì Numinis adoratione; ut ei placere possit, de egressà & grassanti passim nequitiarum peste resipiscere: Ut homines omnes, & Principes præsertim primoresque viros è Narcosi excitet, ut concilium apud eos aliquando privatim fiat, quid sit quod Omnipotentissimus Deus faciendum dictavit, quid inter præcordiorum membranas in carneis scripsit, quid extra in lapideis Tabulis; ut patientur aliquando eousque (in quibuscunque versantur seu gloriæ mundanæ, seu opum, aut voluptatum studiis) moras, dum conscientias consulant, quo sciant (quocunque licet ferantur successus Favonio) nisi tamen honestè, justè, piè vivant, & si peccaverint, nisi reparent damna ab ipsorum nata improbitate, nec Christum ipsum, nec sacra Christi instituta, nec qualescunque pœnitentiæ formas, tantillum ipsis in die Judicii profuturas. Quotquot enim aliis sua non rependunt (ut justì esse possint) bona, eos tum non agnosceret *Servator*. Immensum enim à Christiana pietate distant, quæ sine sui abnegatione & commodorum, propter Dei gloriam & honestatis tutelam, temporalium abdicatione, nequaquam consistit; &, ut summopere caveant, ne quando (quo nihil impium magis excogitari possit) etiã religione ipsà, cultuque ad veræ pietatis, vitamque

vitæque honestæ perfectionem introducendam, procurandam, & tuendam instituto, contra bonos mores (quocunque pietatis prætextu) abutantur. Qui enim innocentes læserint, fidem fefellerint, aut quæcunque aliâs contra Dei Naturæque placita sceleratè perpetraverint, neque, *Zacchai* exemplo, damna reparare, aut ablatum restituere sustinuerint, & profecturum sibi tamen speraverint per nescio quas solennitates, & speciosas venerationum formulas, cultum; miselli homunciones sunt, de quibus mihi satius est tacere, quàm loqui amplius. Sacra tamen Dei non tacebunt Oracula: *a* Jejunent enim ad nauseam, spiritusque (quod faciebant aliquando *Judei*) fatorem licet, affligant etiam animas, incurventur capita, induant cilicium, cineres sibi sternant, dum tamen in morum honestate deficiunt, dum in communi vita injustè versantur, & humanitatis caritatisque Christianæ defuerint Officia, non gratæ, non acceptæ coram Deo futuræ erunt jejuniorum dies; *b* Sabbata item, festivitates eorumdem, & solennia quæ dicunt sacra, ferre nequit, odio prosequitur divina mens, & à Deo non nisi cum ægritudine quadam animi & molestia sustinentur. *c* Adveant Ecclesias, publica que frequentent Oratoria, *d* extendant etiam illinc ad cælum manus; avertet oculos sanctitatis Deus, & cum multiplicaverint orationes, non exaudiet, verùm increpabit potius, Quid vos adventistis ut compareatis in conspectu meo? Quis quæsit hoc à manu vestra, ut vos conculcatis Atria mea? Concipiunt privatim præces, etiam ipsæ præces Jehovæ erunt (ut cætera eorum omnia qui divinam non pensi faciunt legem) abominationi, & quasi execratio, aut ei sabbium proventui similes quem divinus descripsit Rex, *Psal.* 14. & Apostolus ad *Rom.* 3. v. 13, 14. Sacramenta summaque Ecclesiæ adveant mytheria, quoties aliorum intuentur Baptismos, recitata exaudient fœdera quæ ipsi fecerunt, & adhuc magis magisque faciunt irrita, & in *f* sacra Cœnæ,

*a* *Is.* 58. v. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. *Zech.* 7. 5, 6, 7, 8, &c. *b* *Is.* c. 1. 13, 14. *c* *Jer.* c. 7. 8, 9, 10, 11. &c. *d* *Is.* c. 1. 12, 15, 16, 17. *e* *Prov.* 28. 9. *Psalm.* 50. 16, 17. *f* *1 Cor.* 11. 27, 28, 29.

si quando eam accefferint, quid aliud fieri possit, quam ut avidè iudicium Dei devorent; & ita morum improbitate pollutis, nihil sanctum prorsus aut purum extat, sed omnia, perinde atque mens eorum & conscientia impunitatis labe taminata sunt, & respersa. Atque ex hac unica animadversione, omnes qui felicitatem in futura vita sperare constantè volunt, si rationem audiant, in honestatis officiis continere se debere existimo. Quod nemo propitium sibi sperare possit Deum, qui improbe fecerit, & damna vitiis infecura, reparare noluerit; difficius autem fit majorisque operis & impensarum constare, reparare damna, quam ea omnino non dedisse.

Hæc autem, & quæ sunt huiusmodi opportunius ab Evangelii Ministris audirentur, hos enim speculatores Deus Ecclesiæ constituit. Cum autem speculator viderit ultionis vindictæque gladium venientem, nec claxerit buccinâ, nec admonuerit populum, sed veniens gladius aliquem ex iis sustulerit, in iniquitate sua peribit sublatus, sanguinem verò ejus è manu Speculatoris reposcet Deus. Non tamen me sermonis cujuscunque Fidelis, atque ad utilitatem publicam spectantis, puduerit; sed Christianos alloquutus sum, qui si limites paulum transgressus sim, facile facient, quam facere debent, veniam. Alios si jam alloquendos duxissem, eosq; nostræ circa religionem professionis & ~~sanctioris~~ expertes, aliâ essem usus Parænesi, quod dum fecero, ipsos se, & ne in ornatissimo hoc rerum mundo Athei sint, ipsam hanc intueantur mundi fabricam velim. Privatas domi susurrantis conscientia exaudiant catecheses, publicasque cœli siderumque (quippe & hæc enarrant gloriam Dei) foris conciones, cœloque suo dignam *Arcturi* apud *Plantum* orationem impresentiarum ne contemnant.

*Qui gentes omnes, mariaq; & terras movet,  
 Qui est Imperator Divum atq; hominum Jupiter,  
 Cotidie ille scit, quis hic querat malum.  
 Qui hic litem apisci postulant perjurio,  
 Mali res falsas qui impetrant apud Judicem:*



Iterum ille eam rem judicatam judicat,  
 Majore multa multat, quam licem auferunt.  
 Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.  
 Atq; hoc scelesti illi in animum inducunt suum,  
 Jovem se placare posse donis, hostiis,  
 Et operam & sumptum perdunt: id eo fit, quia  
 Nihil ei acceptum est à perjuri supplicii.  
 Facilius, si qui pius est, à Diis supplicans,  
 Quam qui scelestus est, inveniet veniam sibi.  
**IDCIRCO** moneo vos ego hac, qui estis boni,  
 Quiq; atatem agitis cum **PIETATE**, & cum **FIDE**,  
 Retinete porro, post factum ut **LETEMINI**.

Plaut. in Prologo Rudentis.

DE

# DE HABITU CRINIS

## Dissertatio singularis.

*De hujus Controversiæ origine Præfatio.*

*Textus D. Pauli, 1 Cor. II. 14. expenditur. Οὐδὲ αὐτὸν ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς, ὅτι ἀνεῖ τῆς νομῆς, ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἔστι; Quod inde noluit intelligi Apostolus, Universale esse Naturæ Placitum, Ne quis Masculus prolixos gerat Crines; sed ad usum & consuetudinem Corinthiorum referendum.*

*Id plurimis argumentis probatur, præsertim ex moribus Gentium contrariis, quorum plenæ sunt omnium locorum & temporum Historia. Exempla recensentur. Idem arguitur ex voto Nazæratu in vetere Fœdere probato. Jubere tamen Naturam de usu Crinium, ut sanitati propriæ sint & gratiæ aliorum conciliandis, non noxæ aut scandalo, &c.*

**Q**UÆ certissima sunt, & apud viros bonos & honestos indubitata, Naturæ Placita, suis locis definivimus. Cujusmodi sunt præcepta de Innocentia ad Innocentes extendenda, de Fide servanda, Prole procuranda, aliaque quæ suprâ descripsimus. Non

Non defuerunt Theologi, qui, Legum Naturæ ampliamente pomœria, amicâ dissertatione contendere voluerunt, Negativum aliud, præter illud *de non ledendis Innoſcentibus*, præferri cæteris debere Naturæ præceptum, locumque habere secundum ſaltem inter primaria Naturalis Conſcientiæ-Placita, ſpeciale illud Naturæ eſſe Interdictum aſſerentes, *Ne quis Mafculus prolixos gerat Crines*. Argumentum autem deſumunt ex vulgatiſſimo Textu. I Cor. 11. 14. inde contendentes eam fuiſſe D. Pauli ſententiam, Naturam ex inſita aliqua univerſali notionè vetuiſſe, ne Capillitii habitus, prout cæteri ſolent, pro arbitrio & prudentia hominum ad ornatum corporis, & captandam gratiam, alioſque humanos & probatos fines, mutaretur; ſed ut apud omnes eadem conſtaret forma, nempe ut Maſculi omnes ſint brevi, non promiſſâ prolixâve comâ.

Nobis contraria videtur ſententia verior, quæ & communior eſt, quam & probatiſſimi Autores ſequuntur, quæ in, in controverſo Apoltoſi textu, non tam Naturam ſtrictè ſic dictam, quàm vulgarem uſum & conſuetudinem, quam alteram Naturam dixit *Ariſtoteles*, *Rhet. 1.* Alcum inſuper eſt apud omnes tam Philoſophos quam Hiſtoricos ſilentium de exiſtentia iſtiusmodi notionis; neque hoc ſolummodo verum eſt, ſed multis etiam populis contrarium placuit, & laudatiſſimus habebatur, prolixi capillitii ornatus. Quæ nos *Hypotheſi* noſtræ inſeruiſſus Naturæ Placita, ejuſmodi ſunt, ut apud omnes peræquè Nationes probentur, contraria improbentur. Idem probent de hoc Interdicto, *Ne Maſculi comam alant*, novi iſtius Placiti aſſerentes.

Quod ſi non fecerint (neque enim unquam facere poterunt) ſaltem donec ex probabili aliqua Hiſtoria è Paganis per Orbem ſparſis aliquem eſſe populum probent, qui, ex conſcientia ſingularis iſtiusmodi *exprobat*, brevi comâ uſus eſt, contrariæ puto prævalebunt Hiſtoriz, ne ſuperius recenſitis aliud *de Coma non alenda*, *Caput*, ad honeſtatis complementum accenſere neceſſarium cenſeatur.

Ferè enim diviſi ſunt moribus, quoad habitum Crinium, diverſarum gentium populi; unaquæque enim gens

gens ſua utebatur hac in re prudentiâ ; poſtquam autem uſus obtinuit, jam conſuetudo facta, quaſi altera natura eſt viſa. Ipa *Gracia* hinc diviſa, & fortè apud *Corinthios* comam ex conſuetudine alere turpe, quod apud *Spartanos*, imo & *Athemienſes* nobiliores pulchrum habebatur. Unde de Nepote *Megacis* apud *Ariſtophanem* in *Nubibus*,

Ὅ γ' ἄβηλον ἔχει  
Ἰππὸς ἔταί τε καὶ Ἰωνεὺς ἔταί.

*Ille verò qui comam nutrit,  
Equo fertur, & Bigâ.*

Sed de moribus populorum pòſt. De controverſiâ originibus modo tractamus. Narrat *Keyberus* circa tempora *Salmaſi* accidiffe, ut duo Presbyteri reformatæ religionis in *Belgio* ſimul convivio intereſſent ; alter quidem veteranus, alter novellus : ille reſectos capillos, hic prolixam comam alebat. Inter alia veteranus novelli comam reprehendere, & Juris Naturæ temeratorem appellare, ob dictum *Pauli*, 1 *Cor.* 11. 14. licèt novellus comam alere per naturam non illicitum eſſe probaret, exemplis Veteris Teſtamenti. Senior tamen ille capillorum impugnator ſua autoritate multos permovit, ut à ſuis ſtarent partibus, & comatos à communionem *Chriſtianorum* arcerent. Quo facto plerique *Belgarum* capillos circumcidere coacti ſunt, donec inter alios *Salmaſius* Dialogum hac de re in lucem ederet. Hiſtoriz autem de moribus gentium, quæ contra ſenſerunt, quomodo fecerunt, ut nec ipſi *Salmaſio* in novella ſua opinione conſentiam, ſtatim ſuo loco infra videbitur. Ad percontandam igitur veritatem, ſitne tale de comis non alendis generale maſculos ligans Naturæ interdictum, modo, ſi placet, descendamus.

Nullam extare Naturæ de tonſura legem, nec inhoneſtum per omnes mundi nationes ex naturali conſcientia cenſeri, *Maſculos comam alere*, ſequentia probare videntur exempla. Ex *Varrone* didicimus, Tonſores primum in *Italiam* veniſſe ex *Sicilia*, poſt *Romam* condi-

tam anno quadragesimo quinquagesimo quarto, (ut scriptum in publicis *Ardea* literis extat) eosq; adduxisse *Publ. Ticinium Manam*, vid. *Varronem*. lib. 2. de re rust. cap. 11. & cap. ultimo. 'Olim, inquit, Tonsores non 'fuisse adsignificant antiquorum statutz, quod plerzque 'habent capillum, & barbam magnam. Hinc & illud *Ovidii*, *Fastorum* 2. ubi veteres intonsos *Romanos* dixit.

— Quodcumq; est, quo crinina nostra piantur,  
Hoc apud intonsos nomen habebat. *Auos*.

' *Licii* comam tanti fecerunt, ut ne dubitarunt quidem  
' mulctz nomine *Fiscum Mausoli Caria Regis* inexplere,  
' bitem, & *Hydropis* instar semper siticulosum, explere,  
' quo liberis esse & immanibus liceret à Legis imperio,  
' quz crinium tondendorum necessitatem imponebat:  
uti refert *Aristoteles*. *Oeconom.* lib. 2. ' Quam legem  
' *Condalus* Regis Præfectus commentus fuit, ut *ὀμπιπέ-*  
' *λαον*, hoc est, Congiarium, eliceret. *Tiraquell*, in lib.  
5. *Alex. Genial. Dierum*. c. 18. *Rhodogin. Antiquit. Rom.*  
lib. 6. 29. Comas item aluisse, & permagni fecisse promissas, pluresque etiam integras gentes, *Indos*, *Persas*,  
*Lusitanos*, *Gallos*, tonsurâ abstinuisse, videre est in supra citato *Alexandri* loco, & annotatis ibidem per *Tiraquellum*, ubi tradit ex veterum monumentis, morem *Parthorum* fuisse capillum effundere, *Germanorum* jungere, *Scytharum* spargere. De *Spartanis* notum est, quod habet *Aristoteles*, *Rhet.* 1. c. 9. 'Εν Λακκαδαίμονι κομῆν ἔχοντες, ἀλκιδείαι γρημῶνον: Notatque *Plutarchus Charillum* Regem interrogatum, cur populares ejus comam alerent, respondisse, ὅτι οὗ κομῶν ἀδυνατώτατον ἔστι δεῖν. *Plutarch.* in *Apophteg.* *Charilli*. Nostri etiam temporis historiz sua produnt exempla: Unus *Martinus Martinus*, in exigua sua narratione, non pauca suppeditat; notat enim victoriis *Tartarorum* hoc maximè obstitisse, quod tonsos voluerunt hostes sibi subjugatos. Exemplum unum aut alterum attexam. ' *Tartari* debellatis *Chinensibus* urbem  
' *Zaokin* ceperunt: verabant deinde, ne *Chinensium* quispiam crines aleret. Percrebuit Edicti fama. Quid fit?  
' *Milites*, victi, togatique aliàs cives ceperunt arma,  
' eamq;

eamque induunt animi magnitudinem, & pugnandi audaciam, quam prior, qua pro Rege Regnoque decernebatur, minimè æquabat, maximàque exinde victoriæ sunt positi. Mirum etiam est quod de *Chenxa* Insula, Capillitii Asylo, refert. Hanc non ita pridem soli erant qui incolebant Piscatores, tandem devictâ à *Tartaris Chinâ*, editoque de crinium tonsura Edicto, omnes, hac unâ moti ratione, ut liberè possint comam alere, illuc fugiebant; adeoque est factum, ut in insula prius deserta septuaginta urbes jam stent, & infinitâ incolarum multitudine ab impressionibus hostium bene muniatur. Quod idem de *Coreensibus* narrat Autor, exemplo *Lyciorum* superius memorato persimile est. 'Eos, scil. tributum *Tartaris* quotannis pendere, ne crines tondere cogentur. Hæc *Mart. Martinus*, libro de bello *Tartarico*.

Quibus nisi *Martinus* ipse fide dignus esset, dicta confirmare possint, quæ *Semedo* (in historia quam de *Sinensibus*, post viginti annorum in Aula moram, scripserat) testatur. '*Sinenses* [scil.] in tonsis capitibus omnino esse. 'Viros pariter & fœminas in eo convenire, ut sinant in eam, quam natura fert, longitudinem crines dimitti; animoque iniquiori ferre eos unius crinis è capitis cranio jacturam, quàm si omnes, qui mento innascuntur aut genis, tollerentur. Quoties igitur pugnis res agitur, qui concertatoris capillitio primùm admolitus est manum, statim victor evadit. Ita *Franc. Alvarez Semedo*, *hist. Sin. p. I. c. 4. & p. I. c. 29.* 'Sacerdotibus *Mexicanis* [narrat *Acosta*] funicularum instar aut jubæ equinz pendere crines ad poplites usque promissos. 'Quos neque prius tondabant, (nisi si quando ex singulari gratia propter senectutem debilem, vel aliam istiusmodi causam indultum erat) quàm fato fungerentur. Ita *Acosta Hist. Ind. lib. 5. cap. 26.*

His, nisi supervacaneum esset, addere possimus plures esse gentes, quæ tum solum tonsores admittebant, cum deformari eligerent. Ita secundùm antiquas *Hierapoleos* leges, qui in delictorum pœnam peregrinationem suscipere cogebantur, Capitis & Palpebrarum crines etiam scindere cogebantur. Id refert *Rossius*, Πανσιχαι sect. 2. in publico pro *Adonide* planctu *Biblie*: τὰς καρὰς ξυρῆσαι ἔ-

μας Αἰγυπτίους ἀποδαρῶν Ἁμθ. Ita *Lucianus, de Syria Dea.* Moremque fuisse *Aegyptiis* ob mortuum bovem *Apin* dictum, in signum luctus crinem tondere testatur *Plinius, Histor. Natur. lib. 8.* *Achilles* proinde, cum ad *Patrocli* tumulum moriens ab *Homero* introducitur, α. ↓.

Ἐπις ἀποδο δε πύπης ξείνου ἀναίεγο χαίτω.

Sanè si contra naturam esset comam alere, non haberent quo se *Nazarai* sub veteri fœdere à gravi peccato defenderent; qui Voto adigebantur, idque ex lege Dei, ne ulli unquam se tonsuræ submitterent. Deo igitur comam alebant. Quod & fecit *Sampson*, qui dum crines capitis intonsos gerebat, omnem suam vim dixit in capillis consistere. Et rectè sanè. Dum enim capillus intonsus permanebat, Dei præceptum servabatur ex lege Voti, neque extincta erat qua se Deo obtulerat consecratio. Quæ donec constabat, adjuvit semper Deus *Nazararum* suum. Voto etiam *Nazaratûs* obstrictum *Beatiss. Servatorem* nostrum plures dicunt. Idque Votum Lex divina instituit & probavit: v. *Num. cap. 6.* Comam igitur alere Naturæ lege vetitum non est; nemo enim potest ad violationem legis Naturæ voto se obstringere.

Si quærat, nunquid de hoc habitu *Conscientia Naturalis* distinctè jubeat? Resp. nihil singulariter aut distinctè præcipere, sed in medio relinquere, sicut & alios se vestiendi habitus. Naturam tamen & Christianam caritatem exigere, ne cui ex habitu crinis noxa vel offensio fiat, sed ut sanitati corporis habitus comæ necessarius eligatur; deinde ut eo utamur, qui gratiosissimos nos reddat ejusmodi personis, quarum amicitiiis & benevolentia uti nostrâ interest plurimum.

Pars

Pars 2. Ubi Cl. Salmasii singularis de habitu Crinis sententia animadvertitur, & ad Historia veritatem examinatur.

**C**L. Salmasius lepido nimis inter Crinitum & Curtium Dialogo à recepta textus Paulini, quem modo recensuimus, interpretatione nonnihil variare videtur. Impri-  
mis enim κομᾶν dici intelligit non de simplici & intonsa coma sed ornata, ideo quod à verbo κομᾶν descendere videatur τὸ κομᾶν. Potissimum verò κομᾶν de eo ornatus genere debere intelligi, qui in variis crinem colligendi, substringendi, & religandi modis consistit. Secundo per φύαν Consuetudinem intelligi non patitur, quamvis communis hæc videatur interpretatio, & confiteatur ipse vocabulum non malè posse eam pati interpretationem. Naturam quippe ipsam per φύαν notari voluit, quæ omnes docuit honestum esse mulieres κομᾶν, viros indecorum.

Tandem cum duplex sit ἄτιμία, 1. contra decentiam communem, ut ridiculum est ἐπ' ἀειπερᾶ ἀναβάλλειν; 2. contra honestatem; deinde concludit, ornata esse comâ, vel saltem collectâ & religatâ, contra honestatem esse secundo dictam,, adeoque contra legem Dei, contra Naturam ipsam, ejusque in ratione utentibus moralia placita & dictamina.

Quod quidem si verum sit, extendenda certè erunt Naturæ Placita, illudque supra recensitis addendum, Ἡ comâ ornata religatâ vive simus.

Ad conclusionem suam firmiter stabiliendam has ponit magis aut postulat, quàm probat, Theses. 1. Quod eadem Natura, quæ discrevit sexus, induxit etiam homines omnes ipsorum naturis convenienter volentes vivere, ut habitum capitis etiam in capillo ipso ita instituerent, ut ex eo habitu viri à mulieribus discerni & distingui possint. 2. Quod habitus ad distinctionem sexuum à Natura præceptus is sit, ut pimirum mulieres caput suum propriis crinibus velent, dum intonsos in capite sic componunt & concinnant subnexos, ut Galeri vel Pilei ex capillis



pillis strati visum & usum habere queant ; viri autem contrario modo se habeant. Ex quibus præmissis potius quàm probatis, concludit tandem dictum habitum mulieribus à natura ita proprium esse & peculiarem, ut viri eam non debeant usurpare, nisi Naturæ leges violare velint, adeoque se reos constituere non levis sed gravissimi peccati. Hæc clariss. *Salmasius*.

Nobis tamen, ut quod res est loquamur, contrarium videtur verius. Si historias enim diversorum temporum & locorum consulamus, nullam communem istiusmodi persuasionem inveniemus, peccare eos graviter, qui ex capillorum habitu masculos à fœminis non distinguunt. Alicubi enim nullum est ex tonsura crinium sexuum discrimen. Est ubi uterque sexus tonsus, est ubi uterque intonsus incedit. ‘ Apud *Riphaeos* (ut notat *Alexander ab Alexandro*) ‘ mulieres pariter ac viri detonso sunt vertice, ‘ & capillo deraso, adeo ut glabri videantur. ‘ Et *Arimphaeos* accepimus, ita *Plinio*, haud dissimilem *Hyperboreis* gentem. Sedes illis nemora, alimenta baccæ, capillus juxta fœminis virisque in probro habitus. v. *Tiraquellum in Alex.* ubi dictum *Plinii* locum citat ex lib. 6. c. 13. Contra alibi uterque sexus intonsus incedebat. ‘ *Lusitani* (ita *Alexander d. c.*) comas tondere nefas ducunt, itaque illas diffundunt ut fœminæ. Idem & *Galli Comati*, quibus plurimus capillus erat æquè maribus & fœminis, inde nomine imposito. De *Gallia Comata* v. *Plinium, Nat. Hist.* 11. Est etiam ubi viri promissis, fœminæ tonsis incedebant comis. ‘ Illud discrimen ordinum personarumque est notatu dignum, quod apud *Tapyras, Basteranos, & Iberos*, incultasque nationes circa *Hircaniam* servari meminimus, ut viri atras vestes induant, crinesque longiores gerant ; fœminæ verò albis tunicis ac brevibus, intonsisque comis incedere cogantur. Hæc *Alexander ab Alex. Gen. diæ. lib. 5. c. 5.* vide & *Strabonem lib. 3. & lib. 11.*

Neque sanè ab ornatu crinium quoquo modo adhibito, sive per religationem, sive per collectionem, masculi naturaliter abhorrebant. ‘ Apud *Suevos* ingenui obliquant crinem, & nodo substringunt ; quum servi fluxâ comâ & crinibus incedant. *Alex. Gen. diæ. lib. 5. c. 18.* Apud

‘pud Germanos Catosq; rufus erat crinis coactus in nodum. *ib.* Hinc illud *Juvenalis. Sat. 13.*

*Cerulea quis stupuit Germani lumina, flavam  
Caesariem, aut madido torquentem cornua Cirrho?  
Nempe quod hæc illis natura est omnibus una.*

Ubi notandum, *Naturam* apud *Juvenalem*, in hoc ipso de habitu Crinium argumento, pro communi usu & consuetudine usurpari. De *Sicambriis* atque *Æthiopia* incolis notum est quod habet *Martialis, In Amphitheatro Cæsaris. Epig. 3.*

*Crinibus in nodum tortis venire Sicambri  
Atq; aliter tortis crinibus Æthiopes.*

‘Produnt Autores *Atheniensium* vetustissimos capillis col-  
‘ligendis cicadas aureas annectere. *Alex. ib. Thucydides*  
initio historiz de *Atheniensibus* scribens, ‘Postquam, in-  
‘quit, desiere uti tunicis, & religatis capitis cirrhis au-  
‘reas implicare cicadas. *Lucianus in Navigio*, ‘Majo-  
‘ribus nostris decorum videbatur senes comâ luxuriare,  
‘religantes crobylum, aureâ cicadâ exceptum. *Virgilius*  
item in *Cyri de Nyssi capillo* :

*Omnis ei cano residebat cura capillo,  
Aurea solenni comptum quoq; fibula, ritum  
Mopsopio, tereti neclebant dente cicada.*

‘*Mauris* & *Britannis* in usu fuit, ut cincinnis ornati  
‘essent, rutilis comis, & tam composito capillo, ut vix  
‘contingi se paterentur. *Alex. ibid. De Mauris Strabo,*  
*lib. 17.* ‘Ornare, inquit, se satagunt comæ implexu &  
‘barbâ, quo fiebat, ut inter ambulandum rarissimè se mu-  
‘tuo coningerent, ut intactum permaneret capillorum  
‘decus. Memorat insuper, ‘*Indos* magis pectere capil-  
‘los quàm tondere. *Strabo lib. 15.* Et *Ovidius 3. Fa-*  
*storum.* --- *Depexis crinibus Indos* dixit. *Q. Curtius*  
*Indorum* describens mores, Regem ipsum refert in pe-  
‘tendo ornandoque capillo responsa legationibus, & Jura  
popularibus reddere solitum. *lib. 8.* Fuco item uteban-  
tur

tur cærulei & crocei coloris. *Lucius Verus* & *Gallienus* Imp. auri scobem crinibus aspersere. Quod ipsum de *Salomonis* equitibus *Iosephus* tradidit. *Servius* in *Æneidos* 10. ad verba illa, --- *comptos de more capillos*, 'id est, inquit, antiquo more, quo viri sicut mulieres componebant capillos; quod verum esse & *Statuz* antiquorum docent, & personæ quas in *Tragædiis* videmus similes in utroque sexu, quantum ad ornatum corporis.

Apud *Sinenses*, *Peruvianos*, *Chicoraneos*, *Braminos*, aliosque narrant *Maginus*, *Linschoten*, aliique autores, quod masculi omnes promissum gerunt crinem, & variis modis religatum. Videatur *Maginus de Indis* & *America*. *Linschoten*. *Pet. Martyr. Decad. 7. & Decad. 1.* *Janus Delphensis*, *Revinus de usu capillitii*, *Cosmographia Hieronymi Giraxa*, &c.

In hac morum diversitate & contradicentium sibi invicem consuetudinum multitudine, suam quomodo sententiam poterint stabilire *Salmasius* ipse, aliique, qui sunt adhuc istius sententiæ patroni, ipsi viderint.

---

FINIS.







